THIS BOOK BELONGS TO

ST. MARY'S COLLEGE,

OSCOTT, BIRMINGHAM.

Press *Shelf* *Number*

43

CANCELLED BY ORDER OF THE COLLEGE AUTHORITIES

DE

PALAESTRA NEAPOLITANA

COMMENTARIUS

IN INSCRIPTIONEM ATHLETICAM

NEAPOLI ANNO MDCCLXIV. DETECTAM.

Vbi Juri Coloniae Romanae a Neapolitanis media ferme Antoninorum Impp. tempeſtate acquiſito, tribuitur, quod Palaeſtra Neapoli ceſſarit.

Ad calcem operis adnectitur

DE BUTHYSIAE AGONE PUTEOLANO

DISSERTATIO.

NEAPOLI ANN. MDCCLXX.

Ex Typographia DONATI CAMPI.

SUPERIORUM PERMISSU.

ALEXIO SYMMACHO MAZOCHIO

METROPOL. ECCLESIAE NEAP. CANONICO
REGIO SACRAE SCRIPTVRAE
INTERPRETI.

NICOLAVS IGNARRA S.

MEAS de Palaeſtra Neapolitana exercitationes Tibi nunc, ALEXI SYMMACHE, inſcribentem tradentemque in manus tuas, id me arbitrare feciſſe, quod tum grati animi officium, tum aequiſſima veterum conſuetudo a me quodammodo flagitabat. Mos olim obtinuit, quemadmodum meminiſſe potes, temporibus heroicis uſitatiſſimus, ut nati filiorum a partu rubentes, ſtatim Avi genibus imponerentur: qua caeremonia ac legitima traditione ſignificabatur, in ejus eſſe poteſtate non minus genitos, quam gignentes; eique filiorum fructus, veluti ex agro ſuo natos, deberi. Ex hujuſmodi praefatione plane jam, opinor, conſilii mei rationem intellexiſti totam: intelligis enim, Tibi tribui debere, quaecumque ego, qui tuus ſum, labore vel induſtria perfecerim. Tuum autem me eſſe reputo, non ſolum ſponte mea, qua me totum

ab aetate prima in tuam clientelam ac diſciplinam tradidi, ſed etiam debito quodam officio, reverentia ac pietate. Eo me ſiquidem amore ac prope dixerim, patria caritate, complexus es, ut neque vehementius amari a patre filius, neque prolixius ornari atque inſtitui potuerit. Ac ſane quaecumque munera & ornamenta ab indulgentia Regum noſtrorum adeptus ſum, ea nonniſi vel commendatione tua, vel honorifici de me judicii tui gratia, conſecutus ſum: id quod & palam edico ſemper, & mecum libentiſſime recordor. Quae beneficia tua cum ſingularia ſunt omnia, tum illud eſſe palmarium reor, quod diuturna atque intima conſuetudo tua, quamplurimum mihi profuit ad ſeveriorem & diſciplinam & eruditionem; ſic ut ſi quid profecerim, tua ſub inſtitutione me profeciſſe fatear. Itaque cum Tibi, quantum nemini, debeam, tuuſque ſim mancipio ac nexu; conſequens fuit, ut non alius erga Te uſu fructuque exſiſterem, & quem elaboraveram Commentarium, Tibi, magiſtro benemerentiſſimo, meique amantiſſimo, dedicarem. Atque utinam meum hoc opus, antequam prodiret in vulgus, emendari manu tua potuiſſet! Profecto quae tua ſemper fuit de mea exiſtimatione ſollicitudo, haud mihi rebuſque meis hoc tempore defuiſſes. Verum tua aetas jam devexa, nec ultra patiens laboris, ea mihi commoda invidit. Sed ah quantum jacturae in tuo ſenio, ceſſante nihilque agente, univerſi fecimus! quantum adhuc antiquitatis eruendum ſagacitate tua, illuſtrandumque ſupereſſet! quanta praeclara opera tua nunc in ſcriniis deliteſcentia, ultimam manum a Te praeſtolarentur! Nunc vero ſolitudini relicti, interceptam nobis eruditionem tuam deſideramus. Te tamen, vel inerti & obliviosae ſenectuti traditum, ne pilo quidem minus reveremur & colimus. Nam & tabulas pictorum magni nominis, quamquam vetuſtate fugientes, nec amplius, ut antea, aut linearum praeciſione, aut colorum lenocinio delectantes, jure merito magni pendimus,

caute-

cauteque ac religioſe cuſtodimus; non quod ab iis inſtitui ad graphicen informarique poſſe confidimus; ſed quia jucundum nobis eſt, in hiſce tabulis exempla praeſtantium virorum, veluti quaedam ſimulacra virtutum, contemplari. Enimvero cum Te, MAZOCHI, intuemur; ſtatim nobis excitantur in animo ſtrenui tui in republica litteraria, impigre ac ſine ulla remiſſione exhauſti labores, ad octogeſimum amplius annum ſumma cum laude producti: obverſatur ob oculos inculpata vitae tuae ratio, honorum fuga contemptuſque. Taceo morum ſanctitatem ac ſeveritatem; cum nunc quoque vel ſenex aetate collapſa, ſpirans tamen priſtinum tuum Mazochianum, hoc eſt, gravitatem cum religione conjunctam, tantae ſis auctoritatis, ut nemo, Te praeſente, non ſe quoque ſobrium, modeſtum ac religioſum eſſe ſentiat. Atque ad hoc tam excelſum exiſtimationis faſtigium nonniſi tua Te virtus per omnes aetatum gradus exercita, tua incomparabilis doctrina in tot voluminibus a Te datis emicans, evexit. Sane adeo graviter eruditeque ſcripſiſti, ut legi; adeo innocenter & caſtigate vixiſti, ut ſcribi ad poſteritatis exemplar, omnino dignus ſis. Quae duo, cum per ſe ſingula valent hominem ornare, tum in Te ſimul conjuncta ac rariſſimo exemplo connexa, Tibi auctoritatem, nomini tuo immortalitatem conciliarunt. Interim faxit Deus, ut ſis nobiſcum quam diutiſſime: nam etſi per aetatem is es, qualem Te eſſe nollemus; vel ſic tamen juvas utcumque, & praeſens ac vivus nobis es ad bene agendum & calcari & incitamento: nos vero ſenectute tua veneranda, ad ſolatium ejus MAZOCHII, qui pridem fuiſti, jucundiſſime delectamur. Vale. Neapoli Kal. Jul. Anni MDCCLXX.

AVCTOR AD LECTOREM.

SI quis fortaſſe miretur me aliud in fronte Operis polliceri ab eo, quod in receſſu praeſtare videor; ſciat is, rogo, praeter opinionem meam accidiſſe, ut profeſſus illuſtrare brevi Commentario Inſcriptionem athleticam Neapoli detectam, porro in Palaeſtra Neapolitana diutius aliquanto ſubſtiterim. Propoſueram mihi certe, quae videbantur in inſcriptione notatu digna, breviter perſtringere. Ac ſane totam ferme epigraphen feſtinanti ſimilis percurreram; & ut quaeque ſcripto tradideram, e veſtigio typis mandabantur. Ultimo loco mihi reſervaram, de Gymnaſiis inibi memoratis verba facere. Et eorum quidem gymnaſiorum recenſionem inſtitui, enarravique, ſed leniter ac leviter. At vero cum ad Palaeſtram Neap. deveniſſem; amor ac ſtudium rerum patriarum me ſuadebat, uti diligentius eo de argumento diſſererem. Itaque omni alia cura jam expeditus, huic tractationi libenter incubui; & commendata prius Neapolitani Gymnaſii architectonica ratione, exſecutus ſum Majorum noſtrorum palaeſtrica ſtudia, eaque ab Auguſto (nam intacta reliqui tempora anteriora) ad Antoninum Commodum uſque deduxi; ſub cujus imperio Palaeſtra Neap. obmutuiſſe videtur. Quae ſane tempora tum bonis moribus inimica, tum liberalibus artibus exſtiterunt perniancioſa. Hinc pro re nata libuit mihi in hoc etiam inquirere, num Palaeſtrarum deſuetudini poſſet imputari Artis Graphicae interitus: nam in Palaeſtra addiſci facile Nudi *ſcientia, adeo Graphicae neceſſaria, dabatur. Sed in primis illa mihi ſollicitudo fuit explorandi, ecquid inciderit cauſae, quamobrem Neapolitani gymnicas exercitationes, in quas antea maximo ſtudio ferebantur, frequentare neglexerint. Cauſam in jus Coloniae Rom. a Neapolitanis partum, rejicere mihi viſum fuit: per quam Coloniae dignitatem conſequens fuit, ut Neapolitani, quicquid apud ſe priſtini Graeciſmi reliquum fuerat, ſimul cum Palaeſtra deponerent. Sed enim Neapolis fuerit nec ne Colonia, res erat plurimis noſtrorum hominum jactata diſceptationibus. Incendebat rei difficultatem intuta litteratorum marmorum, unde argumenta pro Colonia noſtra vulgo deduci ſolebant, fides, nullis aetatum firmata characteribus. Ego vero, qui compertum habebam, Palaeſtram medio Antoninorum tempore deſiiſſe, ſic denique meam explicui ſententiam, ſub Antoninorum imperio & Neapolim factam fuiſſe coloniam, & ſimul Palaeſtram conticuiſſe. At hic turbas illud ciebat, quod Petronius Arbiter, quem ſub Nerone floruiſſe volebant, Neapolis tam-*

tamquam Coloniae aetate ſua factae, meminit; Philoſtratus contra Iconographus, quem Suidas ad Philippi imperium duxiſſe vitam tradiderat, Neapolitano ſe certamini interfuiſſe teſtatur: quo fiebat, ut Neapolitana Civitas citius ac ego ſenſeram, ad Coloniae nomen evaſiſſe, & Palaeſtra ſerius occluſa fuiſſe, videretur. Quae omnia ſane quam arduae, ac ſalebroſae indaginis, paucis enucleari non poterant, nec perfunctorie tractari. Itaque cum obortae ſuper Palaeſtram Neapolitanam quaeſtiones, majorem ſcriptionis hujus partem occupaſſent; idcirco in fronte operis ſignificavi, me de Palaeſtra Neap. *locuturum; tametſi* Commentarius, *quem in* Inſcriptionem athleticam *ornabam, huic tractationi obtuliſſet occaſionem. Jamvero ad calcem operis appoſui* Diſſertationem de Buthyſiae agone Puteolano, *non temere tamen, neque inconſulte: in quodam enim vacuo* Inſcriptionis athleticae *loco cum mihi viſum fuiſſet opportunum, ſiſtere Puteolos; edocendus erat lector, ecquae certaminis ſpecies eo tempore agitata Puteolis fuerit. Oſtendi autem non alium niſi Buthyſiae, h. e.* Bovicidii, *agonem tunc edi potuiſſe. Hinc res ipſa a me quodammodo expreſſit, uti de Buthyſia quoque diſſererem. In qua diſſertatione primum evici, id certamen nihil commune habuiſſe cum* Bove barbato, *in nummis Campaniae noſtrae obvio; eamque nactus opportunitatem, meam de monetali hujuſmodi monſtro biformi ſententiam aperui. Deinde jucundum mihi fuit, inſcriptionem ipſam, unde nobis Buthyſiae agon innotuit, propius contemplari, ac perbrevi commentatione percurrere. Sed opus non eſt, ut hîc pluribus detineam lectorem; qui, ſi totius operis conſpectum, qui proxime ſequitur, luſtrarit oculis; facile unoque veluti obtutu animadvertet, ecquid ipſe in hac lucubratione praeſtiterim, aut ſaltem praeſtare allaborarim.*

CON.

CONSPECTVS TOTIVS OPERIS

SIVE

INDEX Capitum & Sectionum.

IN Athleticam Inſcriptionem Neapolitanam Prolegomena. De Artis Gymnaſticae utilitate, deque athletarum laudibus nonnulla. Locus inventi marmoris. Ibi Gymnaſium olim ſtetiſſe ſuadetur. Rerum dicendarum ſeries. *pag.* 1

Inſcriptio Graeca, ejuſque Interpretatio. 6

Supplementi ratio. 10

Caput I. De Alexandrinis in Gymnaſio Neapolitano Palaeſtritis, deque eorum titulis. Cur Alexandrini in Gymnaſio Neap. compareant. De formula Ἀγαθῇ τύχῃ. An unquam Alexandria vocata fuerit *Alexunteria*. Stephanus Ethn. emendatur. Athletae περιπολιστικοί. Heſychius explicatur. Quid ſit ἀπὸ καταλύσεως κατοικεῖν. Suidas cum Platone componitur. 17

Caput II. De T. Flavio Archibio, ejuſque loco ac dignitate. Statua an quid aliud T. Flavio dedicatum? De nativa notione Τιμῆς ac *Tituli*. Hieronicarum nomina conſcripta in Gymnaſio Neapolitano. Colonia *Flavia* Puteoli. Bina cognomina uni homini impoſita. Pauſanias emendatur. Qui Παραδοξονίκης fuerit. 26

Caput. III. Qua aetate T. Flavius Archibius floruerit. Epinicia Trajani quando Heracleae commiſſa. Diſtinctio *Puerorum*, *Imberbium*, & *Virorum* in palaeſtra. Diſpares aetatibus interdum ſimul compoſiti. Peculiaris numerandarum Olympiadum ratio. Quoddam Alexandrinarum olympiadum exordium exploditur. Quo anno Flavius Archibius in Neapolitano Gymnaſio certarit. 37

Caput IV. Gymnaſior. unde Flavius victor diſceſſit, recenſio. 46

SECTIO I. De Capitolinis ludis. Flavium Archibium viciſſe luſtro ſexto Capitolino oſtenditur; quo luſtro vicit Valerius Pudens in certamine poëtico. Veterum in ſcalpendis inſcriptionibus diligentia. Certamen Capitolinum quo ſenſu *Sacrum* dicatur. *ibid.*

SECTIO II. De Heracleenſibus Epiniciis. Heracleae Epinicia Trajani in Bithynia eſſe quaerenda; ac fortaſſe primum edita a Plinio Procos. Bithyniae. *Iſelaſtica* a Trajano facta. 54

SECTIO III. De Pythiis, Nemeis, & Iſthmiis ludis. Pythiades cum Olympiadum annis compoſitae. Pauſanias emendatur. Nemeis & Iſthmiis ludis trietericis, quo ſenſu *pentaëteris* imputetur. Plinius & Auſonius a Scaligeri, Harpocration a Mauſſaci criminationibus abſolvuntur. *Pentaëteris* interdum non pro quinquennali ſpatio, ſed

pro

pro quavis recurrente periodo feſti conventûs. 57

SECTIO IV. De Actiis Nicopoli, Antiochiae, & Alexandriae editis. Actia ab Auguſto edita Nicopoli. Stephanus Ethnic. defenditur. Strabo explicatur. Actia *Antiochiae* & *Alexandriae* commiſſa. Qui *Actiaci pueri*, quive *Hieronei juniores*. An Homerus Olympici certaminis meminerit. Strabo refellitur. Olim certamina ſpe praemii conſequendi inita; ſero tandem *coronaria* evaſerunt. Certamina *Sacra* quae preſſius fuerint: eadem ac *Iſelaſtica*. Quibus gradibus vectigalia publica hieronicis deberi deſierint. 63

SECTIO V. De Epheſino atque Smyrnenſi Gymnaſio. Epheſus atque Smyrna Jonici conventûs participes. Duodenarius numerus in populi regioniſve diviſione ſedulo obſervatus. *Balbillia* Epheſi. Smyrnae *Commune Aſiae*. De *Aſiarchis* nonnulla. Quae *Aſia* proprie dicta. Dionis Caſſii locus, fruſtra vexatus, defenditur. 75

SECTIO VI. De Gymnaſio apud Echelidas, Atticae pagum. Certamen praeripiendi *ſcutum ex Argis*. Is agon dictus Χάλκειος & Ἑκατόμβαια. An inſtitutus apud Argivos, ut exprimeretur armorum Glauci cum Diomedis permutatio. *Hecatombe* tum in ſacris, tum in menſa. Plinius illuſtratur. 80

CAPUT V. De Gymnaſio Neapolitano. 87

In Caput V. Diatriba De Palaeſtra Neapolitana. Pars I.

§. I. Gymnaſium fuiſſe quid ὑλικὸν, h.e. quoddam fabricae genus, exercitationibus athleticis comparatum. 89

§. II. Gymnicas inſtitutiones impedimento fuiſſe, quo minus Neapolis, Tarentum, ac Rhegium ad barbariem defecerint. Strabo explicatur. Latina lingua loco beneficii conceſſa Graecis oppidis. 94

§. III. Vitruvium aedificandae palaeſtrae rationes a Palaeſtra Neapol. collegiſſe. Numiſius Theatri Hercul. architectus an Vitruvii Socius. Ephebeum cur dictum *Exhedra Herculis* a Dione Chryſoſt. & *Petaſus* a Graeco Scriptore Macchab. Aevo ſequiore *Ephebeum* idem ac *Lupanar*. Fabricae a forma, quam referebant, nomen mutuatae. *Ovum*, *Trulla*, *Cupa*, *Umbella*, quid in re tectonica. 99

§. IV. Gymnaſium Neap. a Tito Imp. reſtitutum. Mutila inſcriptio Gr. ac Lat. ſuppletur. An Titus Neapoli *Demarchum* egerit. Opera tum artificum tum ſcriptorum ſub alieno nomine edita. 107

§. V. Quo *Palaeſtra*, *Xyſtus*, *Gymnaſium* conveniant, differantve. *Gymnaſiarcha* an idem ac *Xyſtarcha*. Quando quave de cauſſa ſiluerint Gymnaſia. *Stadium* Gymnaſii Neapol. an aevo ſequiore vocatum *Amphitheatrum*. *Thermae* Neap. a Tito Imp. reſtitutae. 113

ΠΑΡΕΡΓΟΝ. De Picturae Sculpturaeque interitu divinatio. Maximum

mum Graphices opus in recta *Nudi* delineatione verſari: hanc vero in Gymnaſio tum ex athletarum motionibus, tum e ſtatuis facile parabilem fuiſſe: hinc videri detrimenta artis hujus a deſuetudine gymnaſiorum eſſe repetenda. *Aegyptiaca pingendi audacia*. Quaenam *Abdita loca*, ſeu *faviſſae*. Leges antiquae de ſignis non transferendis. Inſcriptio vetus illuſtratur. 122

In Caput V. Diatriba De Palaeſtra Neapolitana. Pars II. 139

§. I. Gymnici ludi Neapolitanorum ſub Auguſtis. Spectacula Gymnica Neapoli pluribus, quam in Graecia, diebus abſoluta. Claudius ac Titus Imp. in Gymnaſio Neap. *Agonothetae*. Titus rurſus atque Hadrianus Neapoli *Demarchi*. De Phratria *Antinoiton*. Sub Commodo Imp. deſiiſſe palaeſtram, tum cum Neapolis ad Coloniae jus evaſit. Quo certamen *Sacrum* ab *Iſelaſtico* differat. *Graecia antiqua* in Reſcripto Diocletiani eſt Graecia tranſmarina. 140

§. II. De initio Auguſtalium Neapolitanorum. *Olympiadum* Italicarum numeratio. Inſcriptio Neapolitana explicatur & illuſtratur. Quid τάγμα in re gymnica. *Diauli* deſcriptio. Duplex unius ejuſdemque anni conſignatio. An Agon *Neronia* Neapoli agitatus. 148

§. III. Gymnica ſtudia, inveterato Municipii jure, refrixiſſe. 159

SECTIO I. Neapolim ex foederata civitate ad Municipium Rom. per legem Juliam evaſiſſe, oſtenditur. Cicero pluribus locis explicatur. Inſcriptio Puteolana inedita ſuppletur & illuſtratur. Commentum de Neapoli in ſinu Bajano exploditur. Difficilis Strabonis locus enucleatur. Alia vetus inſcriptio producitur & explicatur. Puteolos ex Colonia libertati ſuarum legum circa Syllana tempora reſtitutos. Rurſus Strabo illuſtratur. 161

SECTIO II. Neapolitanos jam municipes Rom. operâ peregrinorum agonas edidiſſe. Inſcriptio Graeca illuſtratur. Certamen equeſtre Neapoli. Quid Πένταθλον κρίσεως, Παγκράτιον κρίσεως. *Proludia* certaminum. Κρίσις dicta dies, qua judicium de athletis ferebatur. Inde ortam videri apud medicos *dierum criticorum* denominationem. Dies *criticus* oppoſite ad *genethliacum*, eſt emortualis. Alia Graeca inſcripto illuſtratur. Quid *die Solis naſci*, & *die Solis judicari*. Athletae comparate ad peregrinos, *urbani* dicti. 173

§. IV. De abolitis Neapoli jam Colonia Aug. Gymnaſiis. 181

SECTIO I. Urbem Graecam, in qua, jam Coloniâ Rom. factâ, Petronius coenam Trimalchionis paravit, fuiſſe Neapolim. *Dicaearchiam* & *Puteolos* idem ſignificare oſtenditur. Puteoli nunquam Graeca Urbs. *Crypta* Neapol. Herculis *Porticus* fort. hodie *Portici*. *Clivus* in proximo Neapolis. Huc ex urbe indicta *nudipedalia* impetran-

trandae pluviae cauſſa. Regio *ad Arcum*. Pinacotheca Neapol. De Petronio Nodotiano judicium. Petronius cum Philoſtrato componitur. *Petronii* Satyrici nomen confictum. Ex idiotiſmis Neapolitanis, is qui Satyrica ſcripſit, proditur Neapolitanus. 182

SECTIO II. Petronii de Colonia Neapoli teſtimonia. Neapolim evaſiſſe Coloniam Baſilicam, ſed non ante Hadriani Imp. aetatem. *Baſilicam* idem eſſe ac *Auguſtam*, oſtenditur. Neapolitani magiſtratus ex formula Latini oppidi. Strabo explicatur. Epocha Coloniae Neapolit. cum aetate Petronii concurrit. 196

SECTIO III. Indicio Coloniae Neapolitanae, item e Palaeſtrae Neapol. ſilentio, Appulei cum Petronio ſimili ſcribendi fingendique licentiâ, inſana erga Mathematicos obſervantiâ, frigeſcente ſtudio Ethniciſmi, & non obſcurâ in Chriſtianos maledicentiâ, Petronius a Neronianis ad Antoninorum tempora reducitur. 204

SECTIO IV. De eo quod Petronius mentionem de Sepulcro Sibyllae Cumanae faciens, hoc ipſo recentior imperio Antoninorum arguitur. De vocali Sibyllae conditorio nonnulla. 211

SECTIO V. De aetate Petronii, deque Epocha Coloniae Neap. ſimul: utramque non eſſe recentiora temporibus Antoninorum. Cognomentum *Auguſtae* conceſſum Civitatibus. Vectigal *decimae* pro *viceſima*. Inſcriptiones duae Neap. illuſtrantur. 217

SECTIO VI. Indicio Palaeſtrae Neap. abolitae aetas Philoſtrati Iconographi a temporibus Antoninorum ad Neroniana rejicitur. 221

CAPUT VI. De Gymnaſio Puteolano. 227

De Buthyſiae Agone Puteolano Diſſertatio. Pars prior, in qua oſtenditur, *Semibovem virum* barbatum in nummis Campaniae obvium, nihil commune habere cum *Buthyſia* Puteolanorum. 230

§. I. *Semibovem* virum barbatum non eſſe *Minotaurum*, neque *Neptunum*, neque *Hebonem*, neque *Fluviorum Genium*; ſed commendatâ Pighii & Carrerae ſententiâ, ſuadetur, fuiſſe ſymbolum agriculturae atque ubertatis. Plutarchi locus explicatur. 232

§. II. Biformem tauri ſpeciem fuiſſe ex Acheloi metamorphoſi, a Sophocle deſcripta, expreſſam. Hujus Tragici locus explicatur. *Acheloi* vocem non ſolum Aetoliae fluvium ſignificare, ſed eſſe commune *aquarum* vocabulum, ac typum *abundantiae*. 238

§. III. Acheloum ſignari in nummis Graeciae Italicae & Siculae non tanquam Acarnaniae fluvium, ſed ut ſymbolum ubertatis agrorum. Chalcidenſes Acheloi typum, per Italiam ac Siciliam, conditis a ſe coloniis, circumtuliſſe. Cur *Achelous* in numiſmatis *Campaniae* populorum, ſupervolitante *Victoriâ*, cudatur. 243

§. IV.

§. IV. De Nummis Acheloiis earum regionum, quibus Regnum Neapolitanum coaluit. Plutarchus defenditur. Plinii locus tentatur. Chalcidenſes *Cumarum* conditores e Theſprotia profecti, primi videntur intuliſſe in Italiam typum *Acheloi*. Urbs *Iria* eadem ac *Uria* Plinii. Urbis *Lai* nummus ineditus. *Antinoi* effigies in nummis Urbis Neapolis. Nummus inſcriptus *Piſtuvis*, nonniſi in *Paeſto* quaerendus. Quae coloniae in Italia monetam cuderint. Urbs *Hyrina* incerti poſitûs. De uſu, quem ex nummis *Acheloiis* colligere Neapolitani in rem praeſentem poſſunt. 249

Diſſertationis de *Buthyſiae* agone Puteolano Pars altera.

Buthyſia a plurimo boum ſanguine dicta, éadem ac *Buphonia* Athenienſium. *Certamen Buthyſiae* Puteolis, potius *venationis* ſpecies, quam *Sacrificii*. Quid Χαρώνειον· Gladiatores *Manicarii* iidem, ac qui *matutino ludo* prodibant. 273

§. I. In Epiſtolam Tyriorum Puteolis conſiſtentium animadverſiones. De duplici Epiſtolarum inſcriptione. Πτύχη, involucrum Epiſtolae. Titulus Ναυαρχίδος, ab Imperatoribus aliquando urbibus conceſſus, non maris imperium, ſed poteſtatem aedificandae claſſis notabat. *Archontes* Coloniae Tyri. Diphthongi AI, OI, interdum correptae. Inſcriptio vetus illuſtratur. Orientales antiquum ſalutationum ordinem invertiſſe deprehenduntur. Inſcriptio inedita producitur. *Fratres*, quos Puteolis reperit Paullus, alios fuiſſe a Tyriis Stationariis oſtenditur. Notas numerales K̄C̄. N̄, & C̄K̄. N̄, eamdem ſummam conficere. Tyrios Stationarios pependiſſe Puteolánis Μετοίκιον, ſive *mercedem inquilinatus*. 282

§. II. Inſcriptio inedita producitur & illuſtratur. Pollio, Archon Tyri *Eponymus*. De Magiſtratibus Eponymis nonnulla. Feſti locus explicatur. Qui Conſulum Romae Majores & Minores. Βουλὴν ἄγειν, συνάγειν, ἐπαγγέλλειν, quo differant. Τὸ ἐφ' ἡμέρᾳ, eſt *opus diurnum*, ſive *Commentarium Quotidianum*. Οἱ ἐφ' ἡμέρᾳ, ſunt Senatores *Ephemerii*, ſeu qui ſtato die vices obibant in Curia. Affinitas inter Senatum Athenienſem, ac Tyrium. 299

§. III. Stationes fuiſſe quaedam ſimulacra Coloniarum, in Emporiis commercii causâ ſtabilitas. Quo jure *ſtationarii* tenerentur. Stationarii Tyrii Romanienſes perperam a Scaligero *Flamines Auguſtales* ſalutantur. Heſychii locus defenditur. Ἐπιφωνεῖν Καλῶς, formula eſt approbantis, ac laudantis. 308

§. IV. Nomina feminea impoſita maribus. Stationarii Tyrii, non Sidonii, in hoc marmore Puteolano deſignati. 312

Addenda, Mutanda. 315

IN

IN ATHLETICAM
INSCRIPTIONEM NEAPOLITANAM
PROLEGOMENA

De Artis Gymnaſticae utilitate, deque athletarum laudibus nonnulla. Locus inventi marmoris. Ibi Gymnaſium olim ſtetiſſe ſuadetur. Rerum dicendarum ſeries.

CUm multa ſunt ab homine ad ſui tutelam ac valetudinem inventa ſagaciter; tum illud opinor ſapienti conſilio excogitatum, ut palaeſtricis exercitationibus inſtitutis, nitendo quiſque totis viribus colluctandoque, firmitatem corporis acquireret. Sane quemadmodum in deſidioſo atque inexercitato homine torpentes langueſcunt vires; ſic ille contra qui laborioſam ſuſcipit corporis exercitationem, ingens ab ipſa palaeſtrae defatigatione roboris incrementum contrahit; omneſque vires a natura datas, artus ac membra ſibi obſequentia ac prope famulantia, experitur. Enimvero quot fibrae, quot partes ſunt in humano corpore, quae inertiâ motuſque fugâ paullo concitatioris, conſeneſcunt ſitu & obſtupeſcunt? At in palaeſtra, ubi curſu, ſaltu, luctatione certatur, totaſque vires intendere, ſeque in omnes partes inflectere & componere oportet; nulla quidem in corpore fibra eſt vel minima, quae ſimul quodammodo non concertet. Ex qua contentione, minimarumque partium actione oritur illa totius corporis firmitas, quae non ſolum juventuti valetudinem, ut ita dicam, pubeſcentem parit; ſed ipſi quoque ſenectuti quandam tradit viriditatem.

Sed praeter haec privata commoda, ſi modo privata, quae in commune conferunt, dici poſſunt; praeter haec, inquam, palaeſtrae exercitatio bono publico conſulebat. Quid enim? Ut omittam, quae in utramque partem diſputari poſſunt; eaque tantum, quae negaverit nemo, perſequar: unde illam gerendi belli peritiam, & admirandam in laboribus perferendis conſtantiam Graecorum, niſi a diuturnis gymnicis meditationibus, repetemus? Sane ſi quis at-

tente belli labores cum palaeſtrae contulerit; nae is intelliget, nihil aliud, niſi belli praeludium, eſſe palaeſtram. Famem enim ſitimque tolerare, aeſtu torreri, algere, currere, ſaltare, pedem cum adverſario conferre, quanta maxima vi lacertos intendere, compoſite brachia jactare, jaculari ſcienter, haec omnia ita ſunt militibus peculiaria, ut etiam ex aequo conveniant athletis. Itaque qui ab aetate prima diu ſe gymnaſii laboribus aſſuerit, is quidem certe ad ſubeunda militaria faſtidia non imparatus acceſſerit. Quamobrem nulli mirum eſſe debet, ſi palaeſtras priſci illi legumlatores in ſua quiſque republica tantopere commendarint; rati profecto, cives ſuos optime ad militiam inſtructos fore, ſi antea belli tirocinium in palaeſtra poſuiſſent.

Atque ab ea quoque eſt cauſa, quamobrem qui tyrannidi ambitioſius inhiarent, nihil ei curae magis ſibi praevertendum putarunt, quam ut uſu palaeſtrae civibus, quippe non ſuis, interdicerent. Ariſtodemus cognomento Malacus apud Dionyſium Halicarnaſ. VII. p. 424. nullam ad Cumas in Campania opprimendas viam expeditiorem reperiſſe traditur, quam ut e medio gymnaſia tolleret, ut ſimul & armorum exercitia peſſum irent. Athenaeus XII. p.602. palaeſtras inquit tyrannis exoſas fuiſſe, atque adeo dirutas; etſi aſtutam hujus conſilii rationem Dipnoſophiſta non eſt aſſecutus. Veram tamen cauſam aperit Plato VIII. de LL. p. 831. eamq. a tyrannide, quae viros fieri robuſtos ac bellicoſos aegre patitur, explicate repetit. Quamobrem eo mihi inclinat animus, ut Strabonem VI. p. 253. cum Civitates Magnae Graeciae ad barbariem defeciſſe queritur, de gymnaſiis praeſertim, ubi fundamenta libertatis inaedificata erant, abolitis conqueſtum fuiſſe credam: ac rurſus, cum idem Geographus tres ab ea barbarie exemptas urbes Neapolim, Tarentum, ac Rhegium narrat, de non intermiſſis adhuc aetate ſua in hoc urbium ternione gymnaſiis intelligendum eſſe, ipſe mihi perſuadeo.

Ceteroqui magna ſemper fuit atque altius excitata hominum de gymnaſiis opinio, uſque adeo ut victoriae e ſacris Graeciae certaminibus relatae cum ipſo conſulatu Romanorum aequarentur. Nolo autem, quae in athletarum laudes antiqua Graecia excogitavit, hîc in medium afferens faſtidium creare lectori. Hoc unum affirmate poſſum breviterque dicere, praeſtantiſſimos & poëtas & artifices prope ſolis ornandis hieronicis inſudaſſe, vix ut aliud quam

epinicia

epinicia illi canerent; hi vero ab effingendis ſculpendiſque victorum imaginibus perraro manus ſubmoverent. Adeo ingens fuit id genus ſtatuarum, ut ita dicam, populus. Profecto ſi quis Graeciae deſcriptionem Pauſaniae percurrerit, fieri non poteſt, quin ad tot tabularum, imaginum, ſtatuarum, quas vetus Graecia paſſim honori athletarum dedicavit, conſpectum admiratione ſumma percellatur. Sed & illud palmarium mihi eſſe videtur, quod ut Romani Conſules in faſtis, ſic Victores in ſplendidiſſimo gymnaſii loco poſteritati mandarentur, annique eorum victoriis conſignarentur. Quid porro de titulis & inſcriptionibus, quae, tamquam praecones, athletarum victorias vociferabantur, dicam? Illas ajo inſcriptiones, in quibus de victorum palmis, deque vario ludorum genere diſſeritur; quaſque ex argumento quod tractant, *athleticas* vocari placuit eruditis. Quanta vero fuerit olim hujuſmodi inſcriptionum copia, inde facile oſtendi poteſt, quod vel poſt infamem atque horrendam, quae in venerandae antiquitatis monumenta detonuit (utinam & ſaevire deſinat!) barbariei tempeſtatem; tamen ex lapidibus id genus ſuperſtitibus, veluti quibuſdam tabulis e naufragio, ſpiſſum atque ingens volumen compingi poſſet.

Inter athleticas autem inſcriptiones, quae hodie dum ſuperant (ut ad id quod mea intereſt, aliquando deveniam) illa mihi videtur longius eminere, quae Neapoli in aedibus nobilium Aſcetriarum ſub nomine S. Mariae Aegyptiacae prope Portam Nolanam eruta anno 1764 fuit. Novo Monaſterio ſtruendo tunc opera dabatur; cum fabri in vetuſtas aliquot ſubterraneas parietinas, picturis & opere tectorio exornatas, forte inciderunt. Ibi inter plura antiquitatum veſtigia, praegrande litteratum marmor, tres palmos Neap. quaquaverſus latum, quinque altum, oculos illorum hominum ſibi contraxit. Quod ubi reſcitum; continuo ut marmor in auras educeretur, ſumma diligentia & ingenti labore curatum eſt. Nec enim leve negotium fuit, loco movere ingens illud pondus, ac per fundamentorum amfractus circumferre, donec eo ventum fuit, unde liberior ſurſum librando marmori dabatur facultas.

Locum autem inventi marmoris indicaſſe, non omnino abs re fuit; immo ad fulciendam Scriptorum noſtrorum in hac vicinia Gymnaſii ſpatia metantium, opinionem plurimum conferre videtur. Et gymnaſium quidem Neapoli, in urbe Graeca magni nominis, non defuiſſe, tum ſcripti lapides, in quibus de praefe-

ctura gymnaſii noſtri mentio eſt, tum veteres auctores oſtendunt. Nam, ut omittam diſertam Strabonis auctoritatem, Seneca, Dio Chryſoſtomus, aliique ſitum noſtrae palaeſtrae prope intento digito demonſtrant. Hinc capto argumento Petrus Laſena, rerum patriarum ſcriptor non indiligens, pluribus conatus eſt ſuadere, immanes gymnaſii Neapolitani fabricas inter portam Nolanam & Campanam patuiſſe: quod urbis ſolum, totum quantum eſt, Fabius Jordanus vetuſtis ruderibus ſubſtratum ſe vidiſſe teſtatur. Inter ceteras autem non contemnendas rationes hanc quoque ſummo ſtudio extulit Laſena noſter, quod nuſquam alibi in urbe noſtrâ plura marmora ad rem gymnaſticam pertinentia, quam in hac viciniâ, effoſſa fuerint. Hoc autem, ſi nihil aliud, non levi eſt indicio, ibidem olim ſtetiſſe palaeſtram. Exploratum eſt enim, titulos victoribus athletis dedicatos in gymnaſio ut plurimum erectos fuiſſe, ut alii quoque eidem gloriae inhiantes, hiſce titulis veluti quibuſdam facibus propius ad coronas adipiſcendas incenderentur. Ergo cum noſtra inſcriptio eademque athletica hoc eodem loco detecta ſit, nonne hinc pondus ingens Laſenae ſententiae accedit?

Nolo hîc, diligenti noſtri marmoris commendatione properantem lectorem, in ipſo veluti veſtibulo, impedire. Ceteroqui quae ſua praeſtantia fulciuntur, alienum praeconium indignantur. Accedit quod, ſi a marmoris orthographia, ſi a longitudine ſcripturae, ſi a rebus ìpſis argumentique varietate vellem inſcriptioni arrogare pretium; nonnullis fortaſſe viderer, me antecapto lectoris judicio voluiſſe oſtendere, meam in re non tenui impendiſſe operam. Quamobrem cui legendi haec fuerit cupido, ipſe ſtatuat, digna nec ne fuerit inſcriptio, quae qualicumque commentario a me ornaretur; ac praeterea num opinione ſua minor acciderit, an potius ſuam aequarit expectationem.

At inſcriptioni noſtrae illud interim accidit incommodi, quod manca ſit, & ſcriptio quinta plus minus parte a capite ad calcem cum diſſecto marmore diſparuerit. Sic enim mutilum maleque affectum e tenebris, in quas temporum inclementiâ conjectum fuerat, nuper emerſit. Vel ſic tamen nihil e marmoris praeſtantia decedit; immo neſcio quae major in eo legendo interpretandoque ſuboritur voluptas. Profecto enim quae plana ſunt atque expedita, ea fugiente oculo ſolemus praetervolare: at quae ſtudio

dio atque induſtria ſunt edomanda, totam noſtram diligentiam primum requirunt; mox ubi ea animo & cogitatione complexi fuerimus, laetamur ea comprehendiſſe; & eo majore pretio digna eſſe judicamus, quo majore nobis labore ſteterunt.

Sed nec opinans contra mea commoda ipſe laboraſſe videor. Enimvero admovere manus fracto marmori, ejuſque partes quae diſſiluerunt, apte reſtituere; tum res plena difficultatis eſt, tum laboris, ut parcius loquar, non mediocris. Ita ſane res eſt: ſed tamen ita factum oportuit. Itaque patriarum antiquitatum amatoribus rem non injucundam me facere arbitratus, labori libens accingor. Interim nolo ſibi lector perſuadeat, me pro ſupplemento, quod dabo, tamquam pro aris fociſque, velle decertare. Temerarium enim & indignum gravitate viri ſemper duxi, quae non ſatis perſpecta ſint & explorata, ea eſſe vera pertinacius affirmare. Equidem quae habeo dicere, in medium afferam; nunquam tamen in incerto opinionum contendam. Quamobrem quod unum in me recipere poſſum, hoc illud eſt; quod, ſi legentis expectationi interdum defuerim, mihi certe non defuturum confidam: hoc eſt ut magis explicate dicam; ſi quis in iis quae conjectando dicturus ſum, aliquando veritatem flagitaverit; ut is porro veriſimilitudinem ac judicium non deſideret, Deo bene juvante, conabor.

Ad rerum autem dicendarum ſeriem quod attinet; primo producetur inſcriptio ad fidem marmoris, quoad ejus fieri potuit, expreſſa; plane ut qua proportione lineae litteraeque decurrant, legentium oculis ſubjiciam. Adnectitur ſupplementum; ſed linea dirimens verſuum contextum, ecquid ſuperſtitis epigraphes reſtet, ecquid porro ſit additum, oſtendet. Continuo eadem inſcriptio minutis characteribus exhibebitur, uncis additionem intercluſam gerens: & e regione latina interpretatio aequis paſſibus incedet. Deinde ſupplementi ratio tradetur; tum poſtea, quae paullo latius diſſerenda ſunt, in Commentarium rejiciam.

Ἀγαθῇ τύχῃ

Ἡ φιλοσέβαστος καὶ φιλορώμα[ιος Ἀλε-
ξανδρέων περιπολιστικὴ εὐσεβὴ[ς σύνοδος
ἐτίμησεν Τ. Φλαούιον Κυρείνᾳ Ἀρχίβιον, τὸν[καὶ Ζώσιμον,
Ἀλεξανδρέα, ἀρχιερέα διὰ βίου τοῦ σύμπ[αντος ξυστοῦ
παραδοξονίκην, νικήσαντα τὴν ΣΚ. Ὀλ[υμπιάδα, καὶ
τὴν ΣΚΑ. Ὀλυμπιάδα ἀνδρῶν παγκράτ[ιον· καὶ ἐν τῇ
Ῥώμῃ τὰ μέγαλα Καπετώλεια· τὴν τρίτην[Ὀλυμπιάδα
ἀγενείων παγκράτιον στεφανωθέντα· κα[τὰ τὸ ἑξῆς
ἀνδρῶν παγκράτιον νικήσαντα· καὶ τὴν πέμπ[την ἀνδρῶν
παγκράτιον στεφανωθέντα· καὶ τὴν ἕκτην ὁμ[οίως ἀνδρῶν
παγκράτιον στεφανωθέντα πρῶτον ἀνθρώπω[ν· Ἔτι δὲ τὰ ἐν
Ἡρακλείᾳ ἐπινίκια αὐτοκράτορος Νέρουα Τραϊάνου κ[αίσαρος σεβάστου
Γερμανίκου, Δακίκου στεφανωθέντα ἀνδρῶν παγκρά[τιον· Πύθια ἀνδρῶν
παγκράτιον· καὶ τῇ ἑξῆς Πυθιάδι ἀνδρῶν πάλην καὶ π[αγκράτιον· καὶ τῇ
ἑξῆς ἀνδρῶν παγκράτιον πρῶτον ἀνθρώπων· Νέμεια π[άλην παγκράτιον·
καὶ τρὶς κατὰ τὸ ἑξῆς ἀνδρῶν παγκράτιον πρῶτον ἀν[θρώπων· Ἴσθμια
ἀνδρῶν παγκράτιον· Ἄκτια ἀγενείων πάλην, παγκρά[τιον· καὶ δὶς κατὰ

τὸ

Bono Eventui

Amica Imperatorum amica Romanorum Ale-
xandrina circumforanea pia Synodus
honoravit Titum Flavium, Quirinâ (tribu) *Archibium, qui & Zoſimus,*
Alexandrinum, Pontificem perpetuum totius Xyſti
Paradoxonicam, qui vicit CCXX. Olympiade, &
CCXXI. Olympiade virorum pancratium; &
Romae Magnâ Capitolina. Tertiâ (ſupra ducenteſimam viceſimam) *Olympiade* (vicit)
Imberbium pancratium coronatus. Sequenti (Olympiade)
Virorum pancratium vicit. Et Quintâ virorum
Pancratium coronatus. Et Sextâ pariter virorum
Pancratium coronatus primus hominum. Ad haec
Heracleae Epinicia Imperatoris Nervae Trajani Caeſaris Auguſti
Germanici, Dacici coronatus (vicit) *virorum pancratium. Pythia virorum*
Pancratium; & ſequenti Pythiade virorum luctam & pancratium, &
Sequenti virorum pancratium (vicit) *primus hominum. Nemea luctam, pancratium;*
Et ter deinceps virorum pancratium primus hominum. Iſthmia
Virorum pancratium. Actia imberbium luctam, pancratium; & bis de-

inceps

τὸ ἑξῆς ἀνδρῶν παγκράτιον πρῶτον ἀνθρώπων· Νέαν π[όλιν ἀγενείων
παγκράτιον· καὶ δὶς κατὰ τὸ ἑξῆς ἀνδρῶν παγκράτιον· [Ἀθήνας ἀγενεί-
ων πάλην παγκράτιον· καὶ δὶς κατὰ τὸ ἑξῆς ἀνδρῶν πάλην, παγκρ[άτιον· Ποτιόλους
ἀνδρῶν παγκράτιον πρῶτον ἀνθρώπων· Τὰ ἐν Ἐφέσῳ Βαλβίλλεια[ἀνδρῶν πάλην, πυγ-
μὴν, παγκράτιον πρῶτον ἀνθρώπων· καὶ τὸν ἐν Ἀντιοχείᾳ ἱερὸν πεν[ταετηρικὸν ἀγῶνα
Ἀκτιακῶν παίδων παγκράτιον· καὶ τῇ ἑξῆς πενταετηρίδι ἀγεν[είων πάλην, καὶ πυγ-
μήν· καὶ τῇ ἑξῆς ἀνδρῶν παγκράτιον καὶ τῇ ἑξῆς ὁμοίως ἀνδ[ρῶν παγκράτιον
πρῶτον ἀνθρώπων· Σμύρναν Κοινὸν Ἀσίας ἀγενείων πά[λην παγκράτιον·
καὶ τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἱερὸν πενταετηρικὸν ἀγῶνα Ἀκ[τιακῶν παίδων
παγκράτιον, καὶ μετὰ μίαν πενταετηρίδα ἀνδρῶν πά[λην, παγκράτιον·
καὶ τῇ ἑξῆς ὁμοίως ἀνδρῶν παγκράτιον καὶ τῇ ἑ[ξῆς ὡσαύτως
ἀνδρῶν πάλην, παγκράτιον πρῶτον ἀνθρώπον· Ἐχε[λίδας τὴν ἐξ
Ἄργους ἀσπίδα· Καὶ ἄλλους πλείστους πενταετηρικ[οὺς ἀγῶνας
παίδων, ἀγενείων, ἀνδρῶν πάλας παγκράτια.

Baſis marmorea altero diſſecto latere mutila, effoſſa Neapoli anno 1764. in Aedibus Monaſterii S. Mariae Aegyptiacae ad Portam Nolanam.

ΑΓΑΘΗΙΤΥΧΗΙ	*Supplementum*
ΗΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΣΚΑΙΦΙΛΟΡΩΜΑ	ΙΟΣΑΛΕ
ΞΑΝΔΡΕΩΝΠΕΡΙΠΟΛΙΣΤΙΚΗΕΥΣΕΒΗ	ΣΣΥΝΟΔΟΣ
ΕΤΙΜΗΣΕΝΤ·ΦΛΑΟΥΙΟΝΚΥΡ·ΑΡΧΙΒΙΟΝΤΟΝ	ΚΑΙΖΩΣΙΜΟΝ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑΑΡΧΙΕΡΕΑΔΙΑΒΙΟΥΤΟΥΣΥΜΠ	ΑΝΤΟΣΞΥΣΤΟΥ
ΠΑΡΑΔΟΞΟΝΙΚΗΝΝΙΚΗΣΑΝΤΑΤΗΝΣΚ·ΟΛ	ΥΜΠΙΑΔΑΚΑΙ
ΤΗΝΣΚΑ·ΟΛΥΜΠΙΑΔΑΑΝΔΡΩΝΠΑΓΚΡΑΤ	ΙΟΝΚΑΙΕΝΤΗΙ
ΡΩΜΗΙΤΑΜΕΓΑΛΑΚΑΠΕΤΩΛΕΙΑΤΗΝΤΡΙΤΗΙ	ΙΟΛΥΜΠΙΑΔΑ
ΑΓΕΝΕΙΩΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΣΤΕΦΑΝΩΘΕΝΤΑΚΑ	ΙΚΑΤΑΤΟΕΞΗΣ
ΑΝΔΡΩΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΝΙΚΗΣΑΝΤΑΚΑΙΤΗΝΠΕΜΓ	ΤΗΝΑΝΔΡΩΝ
ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΣΤΕΦΑΝΩΘΕΝΤΑΚΑΙΤΗΝΕΚΤΗΝΟΙ	ΛΟΙΩΣΑΝΔΡΩΝ
ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΣΤΕΦΑΝΩΘΕΝΤΑΠΡΩΤΟΝΑΝΘΡΩΠΩ	ΝΕΤΙΔΕΤΑΕΝ
ΗΡΑΚΛΕΙΑΕΠΙΝΙΚΙΑΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣΝΕΡΟΥΑΤΡΑΙΑΝΟΥΚ	ΑΙΣΑΡΟΣΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥΔΑΚΙΚΟΥΣΤΕΦΑΝΩΘΕΝΤΑΑΝΔΡΩΝΠΑΓΚΡΑ	ΤΙΟΝΠΥΘΙΑΑΝΔΡΩΝ
ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΚΑΙΤΗΙΕΞΗΣΠΥΘΙΑΔΙΑΝΔΡΩΝΠΑΛΗΝΚΑΙΠ	ΑΓΚΡΑΤΙΟΝΚΑΙΤΗΙ
ΕΞΗΣΑΝΔΡΩΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΠΡΩΤΟΝΑΝΘΡΩΠΩΝΝΕΜΕΙΑΠ	ΑΛΗΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ
ΚΑΙΤΡΙΣΚΑΤΑΤΟΕΞΗΣΑΝΔΡΩΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΠΡΩΤΟΝΑΝ	ΘΡΩΠΩΝΙΣΘΜΙΑ
ΑΝΔΡΩΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΑΚΤΙΑΑΓΕΝΕΙΩΝΠΑΛΗ [sic] ΠΑΓΚΡΑΤ	ΙΟΝΚΑΙΔΙΣΚΑΤΑ
ΤΟΕΞΗΣΑΝΔΡΩΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΠΡΩΤΟΝΑΝΘΡΩΠΩΝΝΕΑΝΓ	ΟΛΙΝΑΓΕΝΕΙΩΝ
ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΚΑΙΔΙΣΚΑΤΑΤΟΕΞΗΣΑΝΔΡΩΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ	ΑΘΗΝΑΣΑΓΕΝΕΙ
ΩΝΠΑΛΗΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΚΑΙΔΙΣΚΑΤΑΤΟΕΞΗΣΑΝΔΡΩΝΠΑΛΗΝΠΑΓΚΡ	ΑΤΙΟΝΠΟΤΙΟΛΟΥΣ
ΑΝΔΡΩΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΠΡΩΤΟΝΑΝΘΡΩΠΩΝΤΑΕΝΕΦΕΣΩΙΒΑΛΒΙΛΛΕΙΑ	ΑΝΔΡΩΝΠΑΛΗΝΠΥΓ
ΜΗΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΠΡΩΤΟΝΑΝΘΡΩΠΩΝΚΑΙΤΟΝΕΝΑΝΤΙΟΧΕΙΑΙΙΕΡΟΝΠΕΝ	ΤΑΕΤΗΡΙΚΟΝΑΓΩΝΑ
ΑΚΤΙΑΚΩΝΠΑΙΔΩΝΠΑΓΚΡΑΤΙΩΝΚΑΙΤΗΙΕΞΗΣΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΔΙΑΓΕΝ	ΕΙΩΝΠΑΛΗΝΚΑΙΠΥΓ
ΜΗΝΚΑΙΤΗΙΕΞΗΣΑΝΔΡΩΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΚΑΙΤΗΙΕΞΗΣΟΜΟΙΩΣΑΝΔ	ΡΩΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ
ΠΡΩΤΟΝΑΝΘΡΩΠΩΝΣΜΥΡΝΑΝΚΟΙΝΟΝΑΣΙΑΣΑΓΕΝΕΙΩΝΠΑ	ΛΗΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ
ΚΑΙΤΟΝΕΝΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΙΕΡΟΝΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΚΟΝΑΓΩΝΑΑΚ	ΤΙΑΚΩΝΠΑΙΔΩΝ
ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΚΑΙΜΕΤΑΜΙΑΝΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΔΑΑΝΔΡΩΝΠΑ	ΛΗΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ
ΚΑΙΤΗΙΕΞΗΣΟΜΟΙΩΣΑΝΔΡΩΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΚΑΙΤΗΙΕ	ΞΗΣΩΣΑΥΤΩΣ
ΑΝΔΡΩΝΠΑΛΗΝΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝΠΡΩΤΟΝΑΝΘΡΩΠΩΝΕΧΕ	ΛΙΔΑΣΤΗΝΕΞ
ΑΡΓΟΥΣΑΣΠΙΔΑΚΑΙΑΛΛΟΥΣΠΛΕΙΣΤΟΥΣΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΚ	ΟΥΣΑΓΩΝΑΣ
ΠΑΙΔΩΝΑΓΕΝΕΙΩΝΑΝΔΡΩΝΠΑΛΑΣΚΑΙΠΑΓΚΡΑΤΙΑ	

inceps virorum pancratium primus hominum. Neapoli imberbium pancratium: & bis deinceps virorum pancratium. Athenis imberbium luctam, pancratium; & bis deinceps virorum luctam, pancratium. Puteolis virorum pancratium (vicit) *primus hominum. Epheſi Balbillia luctam, pugilatum, pancratium primus hominum. Antiochiae in ſacro quinquennali certamine Actiacorum puerorum pancratium; & ſequenti pentaëteride imberbium luctam, & pugilatum; & ſequenti virorum pancratium; & ſequenti pariter virorum pancratium* (vicit) *primus hominum. Smyrnae Communis Aſiae imberbium luctam, pancratium; & Alexandriae in ſacro quinquennali certamine Actiacorum puerorum pancratium, & poſt unam pentaëterida virorum luctam, pancratium; & ſequenti* (pentaëteride) *pariter virorum pancratium; Et ſequenti ſimiliter virorum luctam, pancratium primus hominum. Echelidis ex Argis ſcutum. Et in aliis plurimis quinquennalibus certaminibus* (vicit) *puerorum, imberbium, virorum luctas, pancratia.*

SVPPLEMENTI RATIO.

QUam viam ſupplendo marmori iniverimus, operae pretium eſt paucis monere lectorem. Nam praeter illam curam addendi tot non amplius litteras, quot excidiſſe probabilis opinio eſt; alia quoque advertenda fuerunt, quae ſedulitatem non vulgarem flagitabant. Et primo quidem, quandoquidem lineae inſcriptionis non unâ eademque elementorum figura ſcalpuntur, ſed modo laxioribus modo gracilioribus exarantur ductibus; hinc cauto fuit opus, ut in unaquaque linea eo plus minuſve litterarum adderetur, quo vaſtiores exilioreſve fuerint illarum litterarum formae, in illa linea decurrentium. Ex. gr. linea ſecunda litteras omnino 24 continet, at in linea tertia & viceſimâ elementa amplius 50 ſtipantur. In pari ergo marmoris jactura, non tamen par ſupplendarum litterarum numerus utrobique deperiit.

Praeterea illa omnium graviſſima cura fuit, explorare, quouſque olim lineae excurrerint, ne plus minuſve litterarum temere in ſupplemento adſciſceretur. Nec enim nunc, quid ſcalptum fortaſſe fuerit; ſed quid hîc revera deſit, tentando quaerimus. Itaque in figendo limite, ultra quem limitem aut citra lineae producendae non erant, primum impendi laborem. Ad hujus autem limitis inquiſitionem explorato, ni fallor, primae, ſecundae, & penultimae lineae indicio perveni.

Enimvero ex primi verſus poſitione certum totius areae marmoris argumentum capi poteſt. Sane ſymmetriae leges poſtulant, ut prima eaque brevis linea ita in media marmoris area ſcalpta fuerit, ut non magis ad partem dexteram, quam excurreret ad laevam. Cum ergo utrimque par intervallum aequari neceſſe fuerit; ex medio primi verſus ſi demittatur linea ad perpendiculum; ea in duas aequas partes ſcindens inſcriptionem, oſtendet, ecquod verſus cujuſque ſit medium, ecquae ſuperſtitis lateris latitudo. Perſpectâ porro integri lateris latitudine, jam latitudinem manci alterius lateris facile metieris. Profecto ſi cui haec nimis ſubtiliter excogitata videantur; ſciat is dextri lateris dimenſionem ex ſymmetriae rationibus petitam, recte cum illa dimenſione, quae ex certiſſimo aliquot linearum ac praeſertim ſecundae & penultimae lineae ſupplemento deprehenditur, convenire.

Sane

Sane ſecunda linea ſic deſinit: Φιλορωμα --- tertia porro inchoat: --- ξανδρεων. Utrumque vocabulum mutilum eſt; illud calce, hoc minutum eſt capite. Jam reddatur utrique, quod ex diſſecto marmore deperiit; confient verba illa ΦιλορωμαΙΟΣ ΑΛΕξανδρεων. Itaque ſi ſuppletae litterae (quas majoribus characteribus exhibui) addantur ſecundae lineae; continuo lateris dextri latitudinem habebis; quam rurſus cum illa dimenſione, quam nuper ex ſymmetriae legibus repetebam, congruere animadvertes. Idem prorſus ex complemento penultimae lineae argui poteſt; ubi in fine ſic legitur: πενταετηρικ --- Quivis, vel me tacente, intelligit, ſcalptum in marmore fuiſſe πενταετηρικΟΥΣ ΑΓΩΝΑΣ. Longius quidem eſt hujus lineae ſupplementum, ſi cum ſupplemento ſecundae lineae conferatur: at ſi rationem habeas ſpiſſitudinis litterarum in hac penultima linea exaratarum; ſtatim intelliges, quamobrem ſupplementum lineae ſecundae ſex, penultimae vero novem litteris abſolvatur. Illic enim litterae non amplius 24, hîc autem elementa 41 denſantur. Atque inde eſt, quod, ut modo monebam, in pari marmoris jactura, non aequale factum ſit ubique diſpendium litterarum.

Jamvero explorata integra latitudine ſecundae & penultimae lineae, jam dexter limes totius inſcriptionis figi poteſt. Etenim ſi ex latere exteriore ſupplementi horum duûm verſuum linea ducatur; terminus, quouſque linea quaeque protendenda eſt, eo veluti ſulco finietur. Quamobrem nihil mihi aeque diligenter curandum fuit, quam ut ſingulae lineae (habita tamen ſpiſſitudinis litterarum ratione) in praeſcriptum jam limitem inciderent; ne, ſi contractius eſſet ſupplementum, fluitarent; neve, ſi longius, delirarent. Haec omnia perpendere, ac veluti in conſilium adhibere, mihi fuit animus; an vero pro dignitate praeſtiterim, aliorum eſto judicium. Interim monendus eſt lector, me nolle hîc, niſi quae paucis expediri poſſunt, enarrare; quae vero aliquanto ſpinoſiora ſunt & impeditiora, ea, veluti re ampliata, in Commentario diſquirentur.

Verſ. 2. Secundi verſus ſupplementum ΦιλορωμαΙΟΣ ΑΛΕξανδρεων oritur ex ipſo complemento vocum, quarum illa, ut ante dixi, finis, hæc initii jacturam paſſa eſt. Ne quid porro inter utramque vocem deeſſe quis ſuſpicetur, facit par ſequentium verſuum indubitata dimenſio.

Verſ. 3. Palaeſtritarum familia, quae paſſim alibi ἱερὰ σύνοδος, hîc aequipollenti locutione εὐσεβηΣ ΣΥΝΟΔΟΣ appellatur. Sane

vox Σύνοδος adeo peculiaris erat ſacris hujuſmodi collegiis, ut Salmaſius Hiſt. Aug. p. 35. aliorſum ferme accipi conſueviſſe, neget. Σύνοδος τῶν μυστῶν legitur Grut. CCCIX. 1. & p. CCCXXX. 3. *Sacerdos Synhodi Apollinis*.

Verſ. 4. Ἀρχίβιον τὸν ΚΑΙ ΖΩΣΙΜΟΝ. Vide Commentarii cap. II. ubi ratio ſupplementi hujus ex conjectura non plane, opinor, contemnendâ traditur.

Verſ. 5. Ἀρχιερέα διὰ βίου τοῦ σύμπΑΝΤΟΣ ΞΥΣΤΟΥ. Inſcriptio Gruteri CCCXIII. 10. memorat *Demetrium* ἀρχιερέα τοῦ σύμπαντος ξύστου, Reineſii V. 43. Ulpium Domeſticum ἀρχιερέα τοῦ σύμπαντος ξύστου. His, atque aliis id genus inſcriptionibus praeeuntibus veluti manu ductus, pontificatum *totius xyſti* Flavio Archibio reſtitui.

Verſ. 6. Τὴν ΣΚ ὀΛΥΜΠΙΑΔΑ ΚΑΙ. Non equidem hîc litterarum ſuppletarum reddendo rationem abutar patientia lectoris. Quae enim expedita ſunt, & veluti ſua ſponte fluunt, ea paullo ſtudioſius enarrare, intoleranda temporis jactura foret. Haec autem eo conſilio praefatus ſum, ne quis mihi, ſicubi res breviloquentiam poſtulaverit, pauca locuto ſuccenſeat.

Verſ. 7. ΠαγκρατΙΟΝ ΚΑΙ ΕΝ ΤΗΙ Ρώμῃ. Nempe Flavius Olympicos ludos vicit Olympiade CCI. & eadem Olympiade, etſi non eodem anno, vicit Romae Capitolina certamina, quae inita anno Chriſti CVI. ut in Commentario dicam, incidunt in annum tertium Olympiadis CCI. Hinc ſub eadem Olympiade CCI. recenſentur hîc Olympica, & mox Capitolina certamina. Jamvero articulus ΤΗΙ, additus hîc non temere fuit: etſi in noſtro marmore deſit articulus in urbium nominibus, ut verſ. 22. ἐν Ἐφέσῳ, verſ. 23. ἐν Ἀντιοχείᾳ, verſ. 27. ἐν Ἀλεξανδρείᾳ· tamen urbis Romae praeſtantia articulum flagitabat, quem praeterea lacunae ſpatium merito ſibi poſtulat.

Verſ. 8. Τὴν τρίτηΝ ΟΛΥΜΠΙΑΔΑ. Quae *tertia* hîc Olympias enunciatur, ea coacervanda eſt cum Olympiade CCXX. ſupra verſu 6. memoratâ, ut in univerſum ſit Olympias CCXXIII. ut in Commentarii capite III. dicam. Idem eſto judicium infra verſ. 10. de *quinta*, & verſ. 11. de *ſexta*, ſcil. Olympiade.

Verſ. 9. ΚαΙ ΚΑΤΑ ΤΟ ΕΞΗΣ. Cum praeceſſerit *verſ*. 8. Olympias ἡ τρίτη *tertia*, & mox verſ. 10. Olympias ἡ πέμπτη *quinta* ſequatur; ordinis ratio poſtulabat, ut hîc in medio τὴν τετάρτην,

τάρτην, *quartam*, ſuppleremus. At hujus vocis paullo numeroſiores erant litterae, quam ut hîc commode admitti poſſent. Quamobrem illo ſupplemento contenti fuimus, κατὰ τὸ ἑξῆς, quod rurſus repetitur verſ. 17. 19. 20. 21. Ceteroqui res eodem plane recidit: ea enim formulâ notatur Olympias, quae proxime memoratam Olympiadem ſubſecuta eſt. Proxime autem Olympias *tertia* praeceſſit: itaque κατὰ τὸ ἑξῆς in hoc verſu Olympiadem *quartam* reipſa ſignabit.

Verſ. 10. Τὴν πέμπΤΗΝ ΑΝΔΡΩΝ. Poſt πέμπτην quominus ὀλυμπιάδα ſubnexuerim, fecit vocis hujus immanior vaſtitas, ab lacunae anguſtiis excludenda. Ubi igitur ab ea voce temperaveris; nulli vocabulo, quam τῷ ΑΝΔΡΩΝ, concinnior & aptior apparet locus.

Verſ. 11. Τὴν ἕκτην ὁΜΟΙΩΣ ΑΝΔΡΩΝ. Si quando pentaëterides pari victoriarum genere obitae ſubſequuntur; ſolet auctor inſcriptionis hujus, locupletandi ſermonis cauſa, uti particula ὁμοίως. Vide verſ. 25. & 29. Itaque cum Flavius Olympiade *ſexta* conſecutus ſit eamdem victoriam, ac quae Olympiade proxime praecedenti relata ab eo fuit; patet non abs re hîc ſuppletam fuiſſe particulam ὁμοίως, quae ab ingenio ſcriptoris non abhorret.

Verſ. 12. Πρῶτον ἀνθρώπωΝ· ΕΤΙ ΔΕ ΤΑ ΕΝ ἡρακλείᾳ ἐπινίκια· Hactenus Olympicarum victoriarum recenſio fuit; quae porro certamina ſequuntur, ea non obſervato temporis ordine enunciantur. Itaque auctor ab Olympicis ad alias, ubi ubi partas, victorias facturus gradum, recte particula tranſitionis Ἔτι δὲ *ad haec* uſus fuiſſe deprehenditur. Porro τὰ ἐν Ἡρακλείᾳ ἐπινίκια, ut verſ. 22. τὰ ἐν Ἐφέσῳ βαλβίλλεια. Quod autem ab ΗΡΑΚΛΕΙΑ abſit jota adſcriptum, id ſuſque deque habendum eſt. Nam praeterquam quod frequens in marmoribus ſit hujus elementi jactura, idem prorſus verſ. 27. ἐν ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ peccavit quadratarius. Jam vero quaenam ex tot cognominibus Heracleis hîc ſit capienda, quae porro Ἐπινίκια iſthaec fuerint, quove tempore commiſſa, dicam Comment. Cap. IV.

Verſ. 13. Τραϊάνου κΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Spiſſiores hoc verſu litterae coarctantur, ut conferenti hanc cum linea praecedente patet: major ergo litterarum jactura in abſciſſo marmore facta fuit; cui me plane ſatisfeciſſe, auguror. Littera enim ſingularis

laris K de τῷ ΚΑΙΣΑΡΟΣ admonebat lectorem: at ea ſola vox in ampliore ſpatio inconcinne fluitabat; quamobrem, ut litterae loco ſuo continerentur, ſulcienda lacuna fuit tibicine illo ΣΕΒΑΣΤΟΥ; ut ſit *Imperator Nerva Trajanus Caeſar Auguſtus*: nec ſecus in vett. nummis ac lapp. optimus hic princeps enuntiatur.

Verſ. 14. Ἀ᾽νδρῶν παγκραΤΙΟΝ. ΠΥΘΙΑ ΑΝΔΡΩΝ: Nihil hoc ſupplemento certius. Poſt Olympicos ludos ex ordine recenſenda erant Pythia certamina: quae revera hîc ſcalpta fuiſſe, indicat verſus ſequens, ubi τῇ ἑξῆς Πυθιάδι legitur. Ergo ex Pythiade verſ. 15. memorata procul dubio arguitur, verſu praecedenti de Pythiis ludis injectam fuiſſe mentionem.

Verſ. 15. Πάλην καὶ παγΚΡΑΤΙΟΝ ΚΑΙ ΤΗΙ-εξης h. e. Pythiade tertia, facto nimirum initio ab illa prima Pythiade, quam verſui praecedenti reſtitui.

Verſ. 16. Νέμεια πΑΛΗΝ ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. Victoriae hîc ἀσυνδέτως recenſentur; nec porro monetur, cum pueris ne an cum viris certarit Archibius. Sic verſu 18. & bis verſu 21. παλην παγκρατιον.

Verſ. 17. Ἀ᾽νΘΡΩΠΩΝ· ΙΣΘΜΙΑ· Περιοδονίκης ille dicebatur, qui univerſa quatuor Graeciae certamina victoriis obiverat. At neſcio quid majus inſonat auribus vox Παραδοξονίκης, cujuſmodi praedicatur verſ. 6. fuiſſe Archibius; perinde ac ſi dicatur, tot tantaſque exſtitiſſe ejus victorias, ut omnium opinionem excederent ac longe ſuperarent. Quamobrem numeratis jam tribus ſacris ludis, Olympicis nimirum, Pythicis ac Nemeis, ordo poſtulabat, ut ultimo, pro conſuetudine quidem certe, loco recenſerentur *Iſthmia* certamina, quae huic lineae reſtituenda ſunt.

Verſ. 18. ΠαγκράτΙΟΝ ΚΑΙ ΔΙΣ ΚΑΤΑ τὸ ἑξῆς. Monoſyllabum ΔΙΣ, implendae lacunae gratia e meo admenſus ſum. Ceterum καὶ δὶς κατὰ τὸ ἑξῆς verſu 20. & 21. repetitur.

Verſ. 19. Νέαν πΟΛΙΝ ΑΓΕΝΕΙΩΝ. Ad verſ. 12. innui victorias non obſervato temporis ordine recenſeri; nolo tamen quis credat, illas temere ac tumultuarie fuiſſe ab quadratario exaratas. Profecto enim in ipſa perturbatione quidam ordo fuit, quem ſequi, neceſſarium ſibi eſſe duxit ſcalptor; ut Commentarii capite IV. oſtendam. Interim in anteceſſum hîc monitum volo, poſt ſacra Graeciae certamina, ac praeterea illa (ut par erat), quae Romanos Imperatores habuerunt auctores, Capitolina ſcilicet atque

que Actiaca; ſecundum haec inquam certamina, primum tribui locum ludis Neapolitanis; utique ob loci, ubi Archibius pontificatum xyſti gerebat, atque ubi perhonorifica haec inſcriptio dicabatur, praerogativam. Qui hîc Α'γένειοι, in alio vetuſto lapide Neapolitano, παῖδες πολιτικοὶ vocantur. De quo dicam ſuo loco. De Neapolitano enim gymnaſio ſeorſum accurate diſſeram ad calcem Commentarii: quo in loco ſimul agetur de Puteolanis ludis: nec enim duas haſce urbes celeberrimas, quibus ἀδελφότητα quamdam vicinia conciliat, a se avulſas diſtrahere, e re viſum fuit.

Verſ. 20. Παγκράτιον ΑΘΗΝΑΣ ΑΓΕΝΕΙ-ων. De τῷ ΑΓΕΝΕΙ-ων nullus dubito; at illud ΑΘΗΝΑΣ quis tuto praeſtare auſit? In voce tamen ΑΘΗΝΑΣ libenter conquievi; tum quia vacuum ſpatium ea vox apprime aequabat; tum porro non temere mihi viſum eſt, Neapolitano certamini appictum fuiſſe Athenienſe. Neapolis enim colonia Athenienſium fuiſſe perhibetur.

Verſ. 21. ΠαγκρΑΤΙΟΝ ΠΟΤΙΟΛΟΥΣ. Puteolos quoque ex ingenio ſupplevi. Ceterum in inſcriptionibus athleticis, ubi Neapolitanorum ludorum mentio eſt, raro non Puteolani ludi ſimul comparent.

Verſ. 22. Βαλβίλλεια ΑΝΔΡΩΝ ΠΑΛΗΝ ΠΥΓ-μην. De *Balbilliis* dicam loco ſuo. Vox Πυγμὴν *pugilationem*, hîc & mox verſu 24. occurrit, utrobique initiali ſyllabâ multata, ſed tamen ex indicio finalis ſyllabae Μην recte, opinor, reſtituta.

Verſ. 23. Ι'ερὸν πενΤΑΕΤΗΡΙΚΟΝ ΑΓΩΝΑ. Omnium linearum confertiſſima ſpiſſius ſupplementum praeſtolabatur: de quo cave dubites.

Verſ. 24. Α'γενΕΙΩΝ ΠΑΛΗΝ ΚΑΙ ΠΥΓμην. Supra *verſ.* 22. Πάλην πυγμὴν, ſine conjunctione και, quae hîc media inſeritur, παλην και πυγμην, pro varia ſcilicet ſupplendi vacui ratione.

Verſ. 25. Α'νδΡΩΝ ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. Rurſus rareſcere incipiunt characteres, qui hinc ad finem uſque liberiore gradatim ſpatio vagantur. Ex particulâ ὁμοίως patet, ἀνδρῶν παγκράτιον hîc rite ſuppletum: par enim victoria praeceſſerat.

Verſ. 26. Α'γενείων παΛΗΝ ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. Ex argumento ſyllabae ΠΑ, oritur productio totius vocis ΠΑλην. Cui comes additur Παγκρατιον, ut tum alibi, tum verſ. 18. 21. cernere licet.

Verſ. 27. Α'γῶνα ἀκΤΙΑΚΩΝ ΠΑΙΔΩΝ. *Actiaci pueri* pluribus in ſpectaculis committebantur. Hos autem pueros in Alexandrina

drina palaeſtra prodiiſſe, indicant litterae illae initiales AK· nam ex olfactu duûm horum elementorum, haud aegre fuit, AKτιακῶν παίδων certamen hîc inveſtigare.

Verſ. 28. Α'νδρῶν παΛΗΝ ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. Eaedem omnino litterae ſuppletae fuerunt verſ. 26. Vide ibi dicta.

Verſ. 29. Καὶ τῇ εΞΗΣ ΩΣΑΥΤΩΣ. Malui ὡσαύτως quam ὁμοίως. tum quia hujus poſtremae particulae in hac eadem linea fuit uſus; tum quia τὸ ΩΣΑΥΤΩΣ mihi magis appoſitum lacunae implendae videbatur.

Verſ. 30. Ε'χεΛΙΔΑΣ ΤΗΝ ΕΞ. In litteris EXE, loci (ubi certamen τῆς ἐξ Α'ργους ἀσπίδος in Junonis honorem committebatur) nomen latere, procul dubio eſt. Id autem nomen fuiſſe Ε'χελίδας, Atticae pagum, in Commentario cap. IV. Stephani Ethnic. auctoritate ſuadebo.

Verſ. 31. ΠηνταετηρικΟΥΣ ΑΓΩΝΑΣ. Hujus verſûs ſupplementum, ut antea praefatus ſum, mihi quidem, quouſque ceterae lineae ſupplendo producendae forent, explorata norma fuit.

Jam ſupra praefatus fui, me nolle, niſi quae levi brachio tractari poterant, in *Supplementi Ratione* enarrare; quae vero expolitionem paullo diligentiorem flagitabant, de iis me in Commentario diſſerturum recepi. Et hujus quidem propoſitionis alteram partem obſervavi ſanctiſſime: ſi quis enim meam hactenus ſcribendi rationem aeſtimarit; mutire, quam diſſerere, maluiſſe deprehendar. Reliquum eſt, ut in praeſentia parti alteri faciam pro virili ſatis; hoc eſt ut quae prius ad lectorem exiliter ac jejune retuli, dicendo jam eloquendoque ſuadeam. Quamobrem orationem totam ab initio retexens, primum qui ſint Alexandrini illi qui titulum T. Flavio Archibio poſuerunt, inquiram; tum poſtea de ipſo Flavio, de ejuſque aetate ac victoriis athleticis, de gymnaſiis, varioque certaminum, unde is victor diſceſſerit, genere ſermonem inſtituam.

COM-

COMMENTARII
IN ATHLETICAM INSCRIPTIONEM
CAPUT I.

De Alexandrinis in Gymnaſio Neapolitano palaeſtritis, deque eorum titulis.

Cur Alexandrini in Gymnaſio Neap. compareant. De formula Ἀγαθῇ τύχῃ. *An unquam Alexandria vocata fuerit* Alexunteria. *Stephanus Ethn. emendatur. Athletae* περιπολιστικοί. *Heſychius explicatur. Quid ſit* ἀπὸ καταλύσεως κατοικεῖν. *Inſcriptiones athleticae Farneſianae illuſtrantur. Suidas cum Platone componitur.*

DE Gymnaſio Neapolitano jampridem Petrus Laſena noſter accurate diſſeruit, tantâque copiâ eruditionis, ut illa tempora ferebant, hanc tractationem ornavit, nihil ut poſterorum diligentiae paene reliquum fecerit. Haud ita longo poſt intervallo perſecutus eſt idem argumentum Dominicus Auliſius vir praeſtantis ingenii, acerrimiqui judicii; niſi quod aliam, ac Laſena, ingreſſus viam, eodem tamen collineaſſe videtur. Enimvero ille in id totus incubuit, ut εἰδικὸν (*formale*) gymnaſium, hoc eſt, gymnicas Neapolitanorum exercitationes explicate traderet; idcirco ex quo primum memoriae proditum eſt Neapolitanos excoluiſſe gymnaſia, hinc uſque incipiens, omnes aetates percurrit, & ad citeriora tempora ſermonem feliciſſime traduxit. Contra Auliſius, qui ὑλικὸν (*materiale*) gymnaſium, hoc eſt, palaeſtrae ejuſque partium dimenſiones ſpectabat; in Vitruvii caput XI. libri V. (quo loco praecepta de conſtruenda palaeſtra traduntur) juſtum commentarium, quo nihil exactius & expolitius, abſolvit. Ad gymnaſium ergo quod attinet, ſive qua εἰδικὸν, ſive qua ὑλικὸν contemplari libeat; utrique parti a ſcriptoribus noſtratibus cumulate factum eſt ſatis.

Si quid tamen hiſce vigiliis addendum eſſet, hoc illud, puto, dignum obſervatione foret, quod Neapolitani quamdiu in Graeciſmo durarunt, per ſemet ipſi gymnica miniſteria obiverint: poſtea cum ad Romanorum, quibus aliae artes, alia ſtudia erant in pretio, inſtituta deflexerint; operâ vicariâ peregrinorum eoſdem

 ludos

ludos inſtaurarint. Profecto ſi quis hieronicarum titulos, qui plurimi ſunt in urbe noſtra, percurrerit; paucos admodum incertae patriae comperiet, peregrinae vero originis ſane quamplurimos. Nolo autem hîc corradendis exemplis ultra tricari; univerſum hoc argumentum, cum de Neapolitano Gymnaſio dicam, opportune refricabo; tum & id quod inde prono alveo fluat, monebo lectorem. Interim mutatam jam Neapolitanae reip. formam vel inde adverte, quod univerſa gymnica familia in lapide noſtro ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ *Alexandrinorum* fuiſſe dicatur. Sane ſi tunc reſpubl. Graeca hîc omnino integra floruiſſet, plane facinus inexpiabile fuiſſet, accire peregrinos: id perinde mea ſententia fuerit, ac aditum ad gymnicas coronas, hoc eſt ad honoris ſummum apicem adipiſcendum, civibus occludere ſuis, patefacere peregrinis. Haec olim; at poſtea civitate Romana cum noſtris hominibus communicatâ, cum indigni jam gravitate Romana putarentur ii ludi, quos Graeculi tantopere expetebant; Neapolitani paullatim inſtituta patria dediſcentes, ſeveriora Romanorum ſunt aemulati. Exploratum hujus rei capi argumentum poteſt, ut cetera nunc diſſimulem, ex gymnica familia, quae tota quanta fuit, Alexandrinis hominibus conſtabat, ad imitationem quidem certe Romanorum. Nam Romae quoque gymnica certamina commiſſa fuiſſe proditur; ſed nonniſi peregrinos artifices hujuſmodi miniſteriis deputatos fuiſſe, inſcriptiones athleticae Farneſianae ſatis ſuperque docent. Habes jam, cur Alexandrini in gymnaſio Neapol. compareant: eaque natio illa eſt, quae titulum hunc marmoreum communicipi ſuo T. Flavio Archibio, Xyſti Pontifici poſuit; quam epigraphen age propius inſpiciamus.

A ſollemni precationis carmine ordiuntur Alexandrini homines, Ἀγαθῇ Τύχῃ (1): qua vulgari formula rite pronuntiatâ veteres,

(1) *Bono Eventui*; ut in nummo Galbae apud Goltzium, & in vett. inſcript. Gruteri p. CI. 7. 8. legitur; vel *Quod felix fauſtumque ſit*; de quo adeatur Briſſonius de Form. 1. Ceterum potuiſſet brevius verti *Praefiſcine*; quae vox, teſte Chariſio, laudationibus praemittebatur, ne laudatus faſcinaretur: quo eodem conſilio Graeci laudes ab invocatione *Nemeſis* inſtituebant, ut notat Barneſius ad Eurip. Rheſ. 342. Profecto hujus deae patrocinium fortunatiſſimi quique ambiebant potiſſimum, ne a priſtina felicitate dejecti in fortunae alterius indignationem inciderent. At aegre in lapidibus invenias ubi *Nemeſi*, aeque ac *Bonae Fortunae* tanquam omini contra faſcinationes praeſentiſſimo, ſupplicetur. Res tamen eodem recidit.

res, contra faſcinationes & adverſae fortunae jacula ſibi ſatis praecaviſſe arbitrabantur. Vulgarem dixi formulam: nam cuicumque operi manus admovebatur, fauſtum id omen, velut anteambulo quidam, praemittebatur. Enimvero ſive ſciſcerentur leges, ſive foedera ſancirentur, ſive quid dedicaretur; piaculum prope fuit, ab ea formula rem non auſpicari. Quid quod ne ipſi quidem emortuales tituli (2) bono hoc omine carent? Adeo late patuit vulgare praejudicium ac ſuperſtitio. Sed & in familiari loquendi genere nullus dubito, quin frequentiſſimus fuerit bene ſibi ominandi uſus & conſuetudo. At nuſquam rectius a quoquam uſurpatum id omen, opinor, fuit, quam a Socrate; qui ad nuntium potandi ſibi mox cicutae poculi, apud Platonem in Critone, dixit: Ἀγαθῇ Τύχῃ· εἰ ταύτῃ τοῖς θεοῖς φίλον, ταύτῃ ἔςω· *Quod felix, fauſtumque ſit: ſi ita diis placeat, ita eſto*. Quo dicto ſuo vir innocentiſſimus oſtendit, non magis in proſperis, quam in adverſis rebus, ut bene omnia aliquando cedant, Numen hac auſpicali formula eſſe ſalutandum. Litant ergo religioni aut potius moribus receptae ſuperſtitioni Alexandrini palaeſtritae, dum dedicationem ſuam a fauſto Ἀγαθῆς τύχης omine ordiuntur.

Atque haec palaeſtritarum caterva cum longo elogiorum ſyrmate

dit. Νέμεσις enim & Ἀγαθὴ Τύχη ſunt Heſychio aequipollentia vocabula.

(2) Quod in proſperis rebus Bonae Fortunae patrocinium invocaretur, non miror: miror magis, quod fauſtum hoc omen infauſtis quoque argumentis praeire ſiverint. Vt ecce in marmoribus Arundellianis, & alibi, plura ſunt monumenta ſepulcralia, in quibus formula Ἀγαθῇ Τύχῃ appicta viſitur. Quid ea de re eruditi ſenſerint, ignoro; equidem ſi quid conjicere mihi liberum foret, ſtatuerem, hunc alterum in triſti miniſterio uſum, profectum eſſe ex alio principio ſuperſtitionis, qua conſulebatur incolumitati legentis inſcriptionem. Enimvero inauſpicatum omen erat in ſepulcra incidere; eoque conſpectu veluti contaminari veteres opinabantur. Mitto quod vulgaris opinio fuit, qui monumenta ſepulcralia ſaepius legiſſet, amittere memoriam. Huic autem ſuperſtitioni ut obviam iretur, bona prece, veluti quodam faſcino, ad legendum alliciebantur viatores. Nam & hodiedum idem prope artificium obtinet: ſi cui enim mors alicujus nuntianda eſt; huic antea ſalutem ominamur, tum poſtea eventûs atrocitatem exponimus. Itaque eodem ſpectare mihi videtur ſepulcralis illa formula Ἀγαθῇ τύχῃ· qua formulâ non bono defuncti, cujus nulla ratio haberi poterat, conſulebatur; ſed legentis ſuperſtitioni, quominus oculos averteret a tumulo, medicina fiebat. Ergo ut rem paucis contraham: duplex erat uſus formulae Ἀγαθῇ τύχῃ, tum in ſecundis rebus, tum in adverſis; illic fortunae ut bene juvaret, hîc ne noceret, ſupplicabatur.

mate prodit in ſcenam; nam ſe Φιλοσέβαςον, φιλορώμαιον, περιπολιςικὴν, & εὐσεβῆ fuiſſe jactat. Sed de εὐσεβέος titulo explorata res eſt: paſſim enim in inſcriptionibus Synodus hujuſmodi εὐσεβὴς & ἱερὰ adnuntiatur: at hîc nunc primum φιλορώμαιος, Φιλοσέβαςος, & περιπολιςικὴ dicta occurrit. Quamobrem nulla erit invidia, ſi in hoc vocabulorum ternione paullulum immorabor.

ΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΣ καὶ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΣ. Quanti olim ſtetit, quantaque ambitione expetitum, ut quis *Amicus Romanorum* diceretur! Pridem cum res pro majeſtate nominis Romani gerebantur, titulus hic φιλορώμαιος non athletico pulveri, ſed labori militari tribuebatur; at nunc Alexandrinis hieronicis, fortuna rebus humanis illudente, proſtituitur. Fruantur tamen hac honorifica nomenclatione Alexandrini homines, & ſe *amicos Imperatorum*, *amicos Romanorum* jactent: hoc unum, quod ad me preſſius attinet, monitum volo, titulos hoſce Φιλοσέβαςος & Φιλορώμαιος non ſolum ἐπιθέτως (*adjective*) ſed etiam ἐπωνύμως (*cognominis loco*) interdum capiendos eſſe: quemadmodum fuere Aegypti regibus quaeſita nomina εὐεργετοῦ, Φιλοπάτορὸς, Φιλαδέλφου &c. quae tametſi natura ſua ſint ἐπίθετα, tamen illis tamquam cognomina propria evaſerant. Hujus autem conjecturae indicium mihi fecit Cicero Epiſt. Fam. XV. 2. qui Populo Rom. ſcribens ſic de Rege Ariobarzane loquitur: *Cum enim veſtra auctoritas interceſſiſſet, ut ego regem Ariobarzanem* εὐσεβῆ & Φιλορώμαιον *tuerer*. Is latine ſcribens graeca vocabula intacta reliquit, ne ſcilicet latine verſa non tamquam tituli honoris, ſed tamquam epitheta privatum ſcribentis judicium prodentia, acciperentur. Ad φιλοσέβαςος autem quod propius attinet: Jam populi Rom. majeſtas elanguerat; nec magis amicitia populi, quam Auguſtorum expetebatur. Quamquam Alexandrini homines jampridem in Σεβάςου nomine ſibi placuerant; cum ipſa urbs Alexandria in Σεβάςης nomenclationem, utique in *Auguſti* gratiam, conceſſerat. Id didici ex Stephano Ethnic. cujus locum afferre in medium non pigebit, vel eo magis, quod inde maculam detergere conabor: Ἐκλήθη δὲ (de Alexandria loquitur) ἐπὶ τῶν Ρωμαϊκῶν Σεβάςη, καὶ Ἰουλία, καὶ Κλαυδία, καὶ Δομιτιανὴ, καὶ Ἀλεξυντηρία. Berkelius ſic vertit: *In rebus Romanis* (3) *etiam Sebaſte*,

(3) Mallem *Romanis temporibus*. Ut enim Graece ſcribentibus τὰ Ἀννίβεια ſunt *Hannibalica tempora*, h. e. totum illud intervallum, quo Hannibal

baſte, *&* *Julia*, *&* *Claudia*, *&* *Domitiana* *&* *Alexunteria nuncupata fuit*. Sub Imperatoribus Alexandria ad coloniarum imaginem & exemplar multiplicia cognomina nacta eſt; quorum primum facto initio ab Auguſto, *Sebaſte* fuit, tum deinceps Julia, Claudia, Domitiana, tum poſtremo, ſi Diis placet, *Alexynteria*. Sed quid monſtrum hoc vocis eſt, *Alexynteria*? Nolo hîc a propoſito aberrare; dicam infra (4) quid ſentiam. Ergo ut eo redeam: Alexandrini homines Σεβάστου nomine delectati videntur; urbs enim ipſa Σεβάστη dicta fuit; Σέβαστα porro fuerunt ibi ludi agonales, ut ſuo loco dicam. Athletae igitur, cum ſe Φιλοσεβάστους nuncupant, hoc nomine non privatim ipſi Auguſtorum gratiam affectaſſe, ſed publicum ſuae civitatis judicium videntur aemulati.

ΠΕΡΙΠΟΛΙΣΤΙΚΗ. A περιπολίζω liquido περιπολιστικὸς fluit; itaque hujus derivati notio ab illius verbi notione eruenda eſt. Etſi in hodiernis lexicis τὸ περιπολίζειν non comparet, eo tamen uſus comperitur Strabo. Is Geogr. XIV. p. 675. cum paullo ante monuiſſet, Tarſenſes philoſophos facile a patria peregre diſcedere, paucoſque admodum eſſe eorum qui lares patrios reviſant, ſic pergit: Τῶν δ' ἄλλων φιλοσόφων . . . Πλουτιάδης τε ἐγένετο καὶ

bal in Italia fuit; ſic τὰ Ρωμαϊκὰ ſunt hîc *tempora Romana*, quibus nempe Romani ſub Auguſtis imperium orbis terrarum explicuerunt. Et ſane omnia illa cognomina, quae Stephanus memorat, nonniſi ad Auguſtorum tempora pertinent.

(4) Berkelius ſcribendum ſuſpicatur καὶ Ἀλεξαντρία, mutato Δ in Τ, pro more veterum, quibus *Alexanter*, *Caſſantra* fuit pro *Alexander*, *Caſſandra*. Nugae. Quid enim attinebat, inter varia cognomina & illud inculcare, quod ab alio jam ante memorato nonniſi unius litterulae, & quod magis eſt, ſoni affinis, mutatione diſtabat; cujuſmodi eſt *Alexandria*, & *Alexantria*? Verum age ſcripturae ipſi propius admoveamus oculos; ſic enim in editis & in MSS. cod. legi monet Holſtenius: καὶ ἀλεξυντηρία, καὶ ἀλλεξεντηρία, καὶ ἀλλεγξεντηρία. Ex hac autem tanta ſcribendi varietate, vera, ut mihi videtur, lectio eruitur in hunc plane modum, καὶ ἄλλ' ἐξ εὐετηρίας. Quibus verbis Ethnicographus dat intelligere, Alexandriam praeter ſcripta cognomina ab Auguſto, Julio, Claudio, Domitianoque mutuata, *alias* quoque ſub aliis Imperatoribus geſſiſſe *nomenclationes pro temporum opportunitate*. Εὐετηρία Heſychio eſt καλοκαιρία. Itaque quemadmodum ſub Claudio dicta eſt Claudia, Domitiana ſub Domitiano, ita porro temporibus ſerviens ſub aliis Auguſtis alia ſibi quaeſivit cognomina ex. gr. Vlpia, Commodiana, Severa &c. quae cognomina Stephanus, ne ſingula recenſendo longum faceret, per haec verba καὶ ἄλλ' ἐξ εὐετηρίας, *&* *alia pro temporum opportunitate*, compendifecit. Quae verba in unum poſtea per librarii ſtuporem coëuntia, portentoſum *Allexynteriae* nomen obtruſere.

καὶ Διογένης τῶν ΠΕΡΙΠΟΛΙΖΟΝΤΩΝ, καὶ σχολὰς διατιθεμένων εὐφυῶς. *de reliquis autem philoſophis . . . . Plutiades fuit & Diogenes, qui circum urbes proficiſcentes ſcholas apte conſtituerunt.* Xylandri haec verſio eſt, qui cum *circa urbes proficiſcentes* interpretatus ſit, videtur τὸ περιπολίζειν arceſſiviſſe a πόλις. Sed quid vetat, quominus a primitivo περιπολεῖν (5) *vagari, circumire*, frequentativum περιπολίζειν deducatur? enimvero τὸ πολίζειν procul dubio ἀπὸ τοῦ πολεῖν ductum Heſychio (6) non latuit. Itaque philoſophi περιπολίζοντες fuerint *circulatores* id genus homines, qui nullibi certum fixumque domicilium inſidentes, hac illac pro libidine

(5) Περιπολεῖν, *circumire*, ut & περιπόλοι *circuitores* in uſu ſunt vulgari. Περιπόλος δυνάμις Suidae eſt *Comitatus* qui pone Imperatorem, quacumque is incederet, ſequebatur. Ἡ περιπόλος apud Rhodios navis erat, quae hac illac convehendis mercibus circumcurſabat, teſte Arriano lib. 2. quemadmadum Ἀλεξανδρέων στόλος in inſcript. Grut. CCIV. eadem de cauſſa πορευτικὸς vocatur. Nec alia eſt ratio quamobrem athletae noſtri dicti fuerint περιπολιστικοὶ nimirum ob eam ipſam cauſam, quâ Rhodiorum navis περίπολος vocabatur. Quod utrumque vocabulum ut ſignificatione, ſic etymologia quoque convenire mihi videtur. Etenim ut ab οἰκέω οἰκίζω, a πορέω πορίζω; ſic a περιπολέω etiam περιπολίζω factum fortaſſe fuit. Profecto τὸ πολίζω Heſychianum potius a πολέω quam a πόλις derivandum, adnotatione ſeq. ſuadebo.

(6) Heſychius: Πολίστην Σικελίαν ἀντὶ τοῦ Νῆσον. Guietus mancum locum putat, & ita ſupplet: Πολίστην Σικελίαν ἀντὶ τοῦ Νῆσον Σικελίαν. *Urbibus frequentatam Siciliam pro, Inſulam Siciliam*; perinde ac ſi πολίστη a πόλις *urbs* eſſet. Scio huic correctioni plauſum ab eruditis viris eſſe factum; tamen mihi mancus non videtur Grammatici locus, ſed opportuna tantum interpretatione juvandus. Heſychius ergo cum in Poëtae alicujus locum incidiſſet, ubi πολίστη Σικελία legebatur, ipſe more ſuo poëtica vocabula cum uſitatioribus commutans, τὸ πολίστην interpretatus eſt Νῆσον. Hîc autem ſi τὸ πολίστη a πόλις *urbs* arceſſas; nulla ratio conſtabit, quo pacto πολίστη (*urbibus frequentata*) ſignificatione conveniat cum νῆσος *inſula*. At contra ſi πολίστη deducatur a πολίζεσθαι h. e. *circumagi*; ſtatim intelliges, cur πολίστη & Νῆσος ſint prope aequipollentia vocabula. Inſulae enim, fluctuantibus circum undis, *innare* quodammodo ac *circumagi* videntur. Sic Homerus Odyſ. K. initio, Aeoliam vocat integra locutione Νῆσον πλωτὴν, h. e. κινουμένην, ἐπιπλέουσαν (*nutantem, fluitantem*); ut ipſe Heſychius hunc Odyſſeae locum ob oculos habens interpretatur. Quae inſulae duae in Jonio pelago antea *Plotae*, teſte Plinio & Apollonii Scholiaſte, dicebantur, eae poſtea Στροφάδες nuncupatae ſunt. Jamvero στρέφειν Proclo ad Heſiod. ἔργ. 462 eſt πολεῖν, ut ἀναστρέφειν eidem eſt ἀναπολεῖν. Itaque cum familiare poëtis fuerit, ut inſulae πλῶται & στροφάδες dicerentur; cumque Heſychius τὸ πολίστην Σικελίαν verterit Νῆσον; facile inde eſt colligere, vocem hanc πολίστην potius a πολίζεσθαι (quod a πολεῖν *circumagere*), quam a πόλις *urbs* fuiſſe a Grammatico arceſſitam.

dine diſcurrebant. Ejuſdem prorſus ingenii ſunt athletae noſtri περιπολιςικοὶ, qui quaquaverſus circumvagando artis ſuae edebant ſpecimina; h. e. ut uno verbo dicam *circumforanei*; quemadmodum *laniſta circumforaneus* eadem de cauſa dicitur Suetonio in Vitel. cap. 12. Alexandrini autem eo ceteris impenſius expetebantur, quod & in re gymnica exercitatiſſimi erant; & in muſicis artibus valebant plurimum. Nero Caeſar apud Sueton. cap. 20. *captus modulatis Alexandrinorum laudationibus* (7) *qui de novo commeatu Neapolim confluxerant, plures Alexandriâ evocavit*. Qui locus hiſtorici mire perplacet; quod hinc docemur, Alexandrinos & turmatim Neapoli commoratos, & alios alio ad oſtentationem artis ſuae paſſim accitos fuiſſe: adeo ut ii non immerito ſe περιπολιςικοὺς h. e. *circumforaneos* in epigraphe noſtra ex vero compellent.

Jamvero ex comperta jam horum hominum hac illac vagandi licentiâ facultas mihi praebetur explicandi alteram prope aequipollentem formulam ἀπὸ καταλύσεως· quae formula inſcriptionibus athleticis obvia, criticorum tamen ingenia ſatis exercuit. Sic in lapidibus Farneſianis legitur: Η ιερα ξυςικη συνοδος των περι τον Ηρακλεα απο καταλυσεως εν .... Ρωμη κατοικουντων. Reineſius (8) hîc longe a ſcopo aberravit; nec Vandalus (9) Reineſium caſtigans tutiora conſilia ſecutus eſt. Paullo ingenioſior eſt Falconerii (10) ſententia,

(7) *Modulata laudatio*, opinor, fuit *Paean*; ut & qui eam peragerent, *Paeaniſtae*. Ἱερὰ τάξις τῶν Παιανιςῶν τῶν ἐν Ῥώμῃ, *Sacer ordo Paeaniſtarum Romae commorantium* memoratur in inſcript. Grut. CCCXIV. 2. Hi Paeaniſtae Alexandrini erant, traducta fortaſſe a Nerone conſuetudine, ut Alexandriâ evocarentur, qui *modulatas laudationes* canerent.

(8) Reineſius Cl. V. 41. praeter fidem marmorum legit ἄνευ καταλύσεως; tum quod commentatur, ἀθλητὰς ἄνευ καταλύσεως *eſſe quos Romani dixere* gladiatores ſine miſſione, *pactos inter ſe certam mortem niſi vincant*, id, inquam, recto talo non conſiſtit. Gladiatores enim ſervilis conditionis homines & certae morti devotos ipſe palaeſtritis ingenuo loco natis nec niſi de gloria certantibus pares facit: quo nomine carpitur a Vandalo.

(9) Vandalus Diſſ. VIII. p. 651. recte καταλύσιν vertit *hoſpitium*, *diverſorium*; ſed neſcio quid porro paſſus, τὸ ἀπὸ καταλύσεως interpretatur *a concilio*; praetexit autem, olim Romae conciliabula agoniſtica *in diverſorio* habita; hinc deducit, Gymnicas ſanctiones, a loco unde proficiſcebantur, inſcriptum geſſiſſe ἀπὸ καταλύσεως, *ab diverſorio*.

(10) Falconerius in Athleticis Inſcript. conjicit, eo ſenſu hîc Herculem ἀπὸ καταλύσεως *ab hoſpitio* dici, quo dicebatur Janus *ad theatrum Marcelli*, Venus *hortorum Salluſtianorum &c.* ideo fortaſſe quod prope Herculis templum hoſpitium eſſet,

quo

ſententia, ſed quae ad obruſſam exacta non majoris eſſe pretii arguetur. Atqui tota quanta eſt difficultas, ex recta illorum verborum ἀπὸ καταλύσεως expoſitione difflabitur. Κατάλυσις ut & Κατάλυμα eſt *hoſpitium*, *diverſorium*: eaque eſt vocis hujus obvia, quaeque hîc optime quadrat, notio. Profecto enim qui athletae in marmore Neapolitano ſe περιπολιστικοὺς *circumerrones* nuncupant, ii in lapidibus Farneſianis, ut hoc ipſum inculcent, ajunt ſe *Romae* quidem *habitare*, ſed ἀπὸ καταλύσεως *ab hoſpitio* h. e. jure hoſpitii; quibus verbis ſignificare volunt, ſe non ut cives, neque ut ſtationarios in ea urbe conſiſtere, ſed peregrinantium more in conducto degere, paratos, quando ita libido tulerit, alio diſcedere. Qui nimirum talia de ſe praedicant, ii certe περιπολιστικοὶ videri volunt.

Satis diu fortaſſe in hac nova noſtri marmoris voce enucleanda immorati ſumus; & tamen reſtat adhuc, quod ſalivam ciere poſſet. Nam cui bono, roget quis, inter ampliſſimos honorum titulos (cujuſmodi illi ſunt, τοῦ Φιλοσεβάστου, τοῦ Φιλορωμαίου, τοῦ εὐσεβέος) & ille quoque τοῦ περιπολιστικοῦ medius infinditur? Nonne

quo athletae agonum ſacrorum occaſione in urbem adventantes diverterent. Haec Falconerius. Quod is de diverſoriis in urbe Roma certo hominum generi deputatis conjicit, id inquam firmari poſſet auctoritate Victoris, qui in regionum Urbis deſcriptione memorat *Municipiorum hoſpitia*; quo fortaſſe municipes, quibus id jus erat, ſuffragii ferendi cauſa conveniebant: at quod ait hîc deſignari templum Herculis, nullo pacto ferendum eſt. Enimvero nulla hîc ſacrae aedis mentio, nec Herculis indicatio aliorſum, quam ad teſtandum hujus dei in ſuos clientes patrocinium, trahenda eſt. Compertum eſt enim, quemadmodum theatrum ejuſque artifices in *Bacchi* tutela erant, ſic gymnaſium cum xyſtica familia *Herculi* praecipue cultum impendiſſe. Hinc illi hiſtriones, ſive tibicines, ducta a deo tutelari nomenclatione, vocantur Ariſtoteli in Probl. τεχνῖται Διονυσιακοί, *artifices Bacchanales*. Contra palaeſtritae ab Hercule ſibi nomen quaeſivere; uſque adeo ut ipſi Gymnici agones auguſtiore vocabulo *Herculei* cognominati fuerint, teſte Polluce III. 155. Jamvero, ne a propoſita theatralium cum gymnicis ludis comparatione diſcedamus; quos Romani *hiſtriones* vocavere, ii Graecis ΟΙ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΔΙΟΝΥΣΟΝ τεχνῖται dicuntur, ut ex Plutarcho in Quaeſt. Rom. conſtat. Ex aequo igitur ΟΙ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ἀθληταὶ quid niſi *Herculei athletae* fuerint? non quidem ab aliquo Herculis templo cujus in vicinia degebant, ſed utique ut in hujus dei ſe clientela eſſe teſtarentur, ita cognominati. Quamobrem cum nihil *Herculi* commune cum *hoſpitio* intercedat; rectius omnino feciſſet Falconerius, ſi τὸ ἀπὸ καταλύσεως (ut vocabula cognata ſibi mutuo reſponderent) ad τὸ κατοικεῖν *incolere*, retuliſſet.

Nonne τὸ πολυπλάνητον (*ſemper errandi ſtudium*) potius vitio quam laudi vertitur ? Ita ſane : ſed ajo , hieronicas non temere nec inconſulte , ſed gloriae aucupandae gratiâ ſuas obiviſſe peregrinationes . Compertum eſt enim , athleticorum certaminum victores cum palma hac illac diſcurriſſe; eâque gratiâ eos Plato vocat περιαγειρομένους , h. e. ut recte Suidas (11) interpretatur περιπορευομένους, *circumeuntes*: etſi aliorſum trahat hujus vocis originationem . Plato autem ſic libri X. de Rep. claudit : *Juſtitiamque cum ſapientia omni ſtudio & ratione colemus: ut & nobis ipſis & diis ſimus amici , quamdiu & in hac vita verſamur , & poſtquam virtutis praemia reportaverimus* (ὥσπερ οἱ νικηφόροι περιαγειρόμενοι καὶ ἐνθάδε καὶ ἐν τῇ χιλιετεῖ πορείᾳ) *tamquam hieronicae cum victoriae inſignibus diſcurrentes , & hic & in illa mille annorum profectione . . . felices tandem aliquando ſimus* . Itaque athletae περιαγειρόμενοι ſunt quidem, ut Suidas monet, οἱ κύκλῳ περιπορευόμενοι, non ſportulas & raudusſcula corrogantes , ſed favorem plauſumque populorum, quacumque incederent, collecturi . Eodem procul dubio ſpectat noſtrorum Alexandrinorum τὸ περιπολιστικόν · qua voce notantur ii homines , qui exhauſtis tot annos gymnicis laboribus, gloriae ſuae inſignia circumferentes, hac illac vagabantur: quique eo ſenſu hîc περιπολιστικοὶ dicuntur , quo περιαγειρόμενοι antea dicti a Platone fuerant .

(11) Suidas τοὺς περιαγειρομένους recte quidem interpretatur τοὺς κύκλῳ περιπορευομένους *circumeuntes* ; at perperam ita dictos ait ἀπὸ τοῦ ἐπαγείρειν τὰ διδόμενα , *quia munera colligerent* . Etſi non negaverim , hieronicas a popularibus ut plurimum ſuis praemia ſponte retuliſſe ; at alia prorſus , eaque longe nobilior iis cauſa *vagandi* fuit , ut ex Platone colligere licet . Veram autem hujus vocis ſignificationem pandet Euſtathius , qui ex Aelio Dionyſio notat , ἀγείρειν eſſe quoque τὸ περιιέναι καὶ περινοστεῖν ἐπὶ νίκῃ , *circumire & vagari victoriae cauſa* . Quamobrem οἱ περιαγειρόμενοι ſunt περιπορευόμενοι , ſeu , ut jam novo noſtri marmoris vocabulo aſſueſcam , οἱ περιπολιστικοὶ *circumeuntes* athletae , populis ſpectatoribus ſeſe ob partam victoriam venditantes .

CAPUT II.

De T. Flavio Archibio, ejuſque loco ac dignitate.

Statua an quid aliud T. Flavio dedicatum? De nativa notione Τίμης *ac* Tituli. *Hieronicarum nomina conſcripta in Gymnaſio Neapolitano. Colonia* Flavia *Puteoli. De eo quod Neapolis Colonia ſub* Flaviis *Impp. evaſerit. Bina cognomina uni homini impoſita. Pauſanias emendatur. Qui* Παραδοξονίκης *fuerit. Plutarchus illuſtratur.*

ANtequam de T. Flavio Archibio Alexandrino dicere aggrediar, operae eſt inquirere, ecquam *honoris* ſignificationem Alexandrina Synodus ſuo communicipi detulerit.

Verſ. 4. ΕΤΙΜΗΣΕΝ Τ. ΦΛΑΟΥΙΟΝ &c. *honoravit* (palaeſtritarum familia) *T. Flavium*. Hîc autem cupido inceſſit explorandi, ſtatua ne T. Flavio dicata fuerit, an potius τὸ ὑποκείμενον (*ſubjectum*) honoris nonniſi hac ipſa, quam commentamur, inſcriptione definiri oporteat. Equidem a ſuſpicione ſtatuae abſum quam longiſſime. Profecto enim quominus erectam homini ſtatuam fuiſſe credam, plane illud perſuadet, quod in ſuperiore baſis ſuperficie nullum omnino impoſitae ſtatuae veſtigium appareat. Nec porro ad ſuſcipiendum ſtatuae patrocinium poteſt quidquam a notione verbi τιμᾷν arceſſi praeſidii: nam etſi pervulgata eruditorum opinio ſit, voce τιμῆς ſtatuae honorem deſignari; vereor tamen ut hi vero propius acceſſerint. Fateor quidem, interdum τὸ τιμᾷν ad ſtatuae dedicationem pertinere; ut apud Grut. CCCXIV. 2. Paeaniſtae ἐτίμησαν, *honorarunt* Emben *protome marmorea*. Sed hîc liquido ratio fluit; nec ceteroqui aliorſum, cum diſerta ſtatuae injecta mentio ſit, trahi res poteſt. At ubi nulla ſtatuae ſunt veſtigia; adhaec ubi τὸ τιμᾷν ſine alia (1) diſcriminante nota legitur, ibi

(1) Vt in inſcript. modo memorata τιμᾷν. προτόμῃ μαρμαρίνῃ. Sed & τιμᾷν *ad picturam* refertur in lapide apud Grut. p. CCCXXVIII. ubi commune Aliptarum τετίμηκεν γραπτῇ εἰκόνι *honoravit picta imagine* Batonem Gymnaſiarcham: id quod argumento eſt τὸ τιμᾷν nonniſi ab adjuncto, quod ei comes additur, vocabulo notionem mutuari ſuam. Contra ubi τὸ τιμᾷν ſolitarium, veluti remotis arbitris, incedit; res ipſa, ubi τιμᾷν illud ſcalpitur, loco *honoris* cedit. Idem omnino ſentiendum, ſi breviloquentiae cau-

ibi *Honor*, nonniſi inſcriptionis ipſius perhonorificae poſitione, totus abſolvitur: tunc, ut uno dicam verbo, τὸ ἐτίμησε reſpondet illi formulae latinorum *Honoris ergo poſuit*, vel *Titulum poſuit*. Nam & Graeci ipſi pro ſimplici τιμῆσαι, interdum copioſius dixere, τὴν τιμὴν ἀναςῆσαι, vel τὴν τιμὴν ἀναθεῖναι (2) quod ad Latinorum *Titulum ponere* propius accedit. *Titulus* autem ea, qua Horatius uſus eſt, notione accipiendus eſt: *Qui ſtupet in titulis & imaginibus* &c.

Quae cum ita ſint nequeo perſpicere, cur Vandalus *Diſſert. VI. de Concil. Amphict.* p. 496. in laudatis adnot. 2. inſcriptionibus τὸ τιμὴν pro *Statua* poſitum contenderit. Non alia, puto, ratio afferri poterit, quam quod Falconerius in ea opinione illi praeluſerit. Atqui Vandalus eo magis Falconerio culpandus eſt, quod ille in promptu habuit Herodiani locum; unde facile doceri poterat, quid vocem τιμὴν in hujuſmodi inſcriptionibus interpretari ipſe deberet. Herodianus ergo de Maximino ſic inquit: ΑΝΔΡΙΑΝΤΑΣ οὖν καὶ ΕΙΚΟΝΕΣ, ΤΙΜΑΙ τε ΠΑΣΑΙ τοῦ Μαξιμίνου ΚΑΤΕΣΠΩΝΤΟ. Quae in Maximinum hoſtem judicatum atrociter decreta fuerunt, ea in hujuſmodi homines tralaticia erant, & veluti ex formula (3) peragebantur. Nam & Suetonius eadem

D 2

causâ vox ipſa τιμᾶν judicio lectoris ſupplenda relinquitur. E. g. ubi in numiſmatis haec aut illa civitas *honoraſſe* (& quidem ſuppreſſo verbo ἐτίμησε) legitur ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΝ, ΤΡΑΙΑΝΟΝ &c. haud difficile dictu eſt, in quo *honor* ille conſtiterit: nimirum in ipſo numiſmate, quod in Imperatoris honorem cuſum fuerat.

(2) Apud Vandal. p. 496. Η βουλη και ο δημος ετιμησαν Ουλπιαν Μαρκελλαν . . . . ΑΝΑΣΤΗΣΑΝΤΩΝ ΤΗΝ ΤΕΙΜΗΝ Ανδρονικȣ και Στρατονικης. Apud Spon. Miſcell. p. 360. num. CIV. η ιερα ξυςικη συνοδος (ſupple ἐτίμησε) Μ. Ουλπιον Δομεςικον . . . ΤΗΝ ΤΕΙΜΗΝ ΑΝΑΘΕΝΤΟΣ Μ. Μεττιου Αμεριμνου. Quibus in locis nullum Latinorum verbum voci τῇ τιμῇ aptius e regione reſpondet, quam *titulus*. His adde, quod τιμὴ ac *titulus*, ut notione ſic etymologia conveniunt. Vox enim *titulus*, utroque Scaligero probante, a verbo τίειν, aeque ac τιμὴ, deſcendit. Propria ergo ea eſt *tituli* acceptio, & rectâ, tamquam ex propagine in traducem, derivata.

(3) Hiſtoria Auguſta affatim exemplorum hujuſmodi ſuppeditat. Illud praecipue indignatione an riſu excipiendum eſt, quod Nero ſtatuit contra hieronicas, quos victoriarum ſuarum luminibus obſtruere ſuſpicabatur: ita certe in hos, tamquam in capitales hoſtes, animadvertit, ut ex illa, quam dixi, formulâ videatur exprimere voluiſſe exemplar. Suetonius in ejus vita 24. *Ac ne alterius*, inquit, *hieronicarum memoria, aut veſtigium exſtaret uſquam, ſubverti & unco trahi, abjicique in latrinas omnium ſtatuas & imagines imperavit*. Sabellicus illud *imagines* interpretatur *tabulas*. Nimis arcte jejuneque. *Statuae & imagines* ſunt, quas alibi Suetonius *Clypeos & imagines*, & Herodianus

eadem in Domitianum, qui itidem hoſtis fuerat judicatus, publicae indignationis exempla edita fuiſſe refert in ejus vita cap. ult. *CLYPEOSQ. & IMAGINES ejus coram DETRAHI . . . noviſſime eradendos ubique TITVLOS, abolendamque omnem memoriam* (Senatus) *decerneret*. Quanta ſit in utroque hiſtorico convenientia, ſtatim in omnium oculos incurrit; ut omittam enim quod uni *detrahi* eſt, id alteri κατασπᾶσθαι dicitur; & quod illi Ἀνδριάντες & εἰκόνες, ſunt huic *Clypei* & *imagines* (4): quid quaeſo ΤΙΜΑΙ ΠΑΣΑΙ Herodiani, niſi cum Suetonio *TITVLOS omnemque memoriam* interpretabimur? Ergo Τιμαὶ & *Tituli*, de quibus Suetonius & Herodianus, erant inſcriptiones ipſae, e quibus eradi mos erat nomen ejus, quem Senatus hoſtem judicaverat: cujuſmodi titulos eraſos non paucos cernere eſt apud Gruterum, Reineſium, alios. Paene praeterieram monuiſſe, quod mecum aliqua ex parte conſentientem nactus ſum Vandalum, extremâ pag. 496. ubi de Herodiani loco verba faciens, *niſi hîc*, inquit, τιμαὶ *pro titulis honorum ſtatuis ipſius* (Maximini) *ſubſcriptis capiendae ſunt*: & tamen is adeo obſtinate pro *ſtatuis* digladiatur, ut ab iis cogitationem avertere

dianus ἀνδριάντας καὶ εἰκόνας appellat. Vide adnot. ſeq.

(4) *Imago* apprime reſpondet εἰκόνι. Vtrumque vocabulum univerſe deſignat *ſimilitudinem*. Et ſane *ſimilitudo* interdum pro *imagine* ponitur; ut in illo Plinii XXXV. 12. *fingere ex argilla ſimilitudines*. Quo eodem ſenſu *ſimilis* uſurpatur Juvenali II. 6.

Si quis Ariſtotelem ſimilem vel Pittacon emit.

h. e. imaginem Ariſtotelis vel Pittaci. Integra locutio fuiſſet *imaginem ſimilem Ariſtotelis* &c. quemadmodum loquitur Plinius XXXVII. 1. *Divi Auguſti imaginem ſimilem expreſſit, qua poſtea Principes ſignabant, Dioſcorides*. *Imago* igitur vi nominis ſui, uſuque Latinorum latiſſime patet, & quicquid ad exprimendam ſimilitudinem effictum eſt, ut ſunt ſtatuae, clypei, toreumata, anaglypta, gemmae, pictae tabulae &c. notione ſua complectitur: ad ſummam *imago* non aliis, ac εἰκὼν, limitibus continetur.

Eadem ſignificationis convenientia inter ἀνδριάντας & *clypeos* intercedit; niſi quod ἀνδριὰς latius quam *clypeus* patet; illud enim integras, hoc plerumque ſtatuas umbilico tenus deſignat. Hoc amplius differt, quod vox ἀνδριὰς, quippe ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς deſcendens, etſi ſignandae *viri* imagini nata ſit, ad quamvis aliam imaginem notandam liberrime traducta fuerit. Herodotus II. 121. ἀνδριάντας vocat ſtatuas aeſtatis & hyemis: ac fortaſſe de ſtatua aeſtatis intelligendus eſt Strabo VI. 264. cum ait, Metapontinos Delphis dedicaſſe θέρος χρυσοῦν *aeſtatem auream*. Hoc vero commune eſt ἀνδριάντι & *clypeo*, quod utraque vox ad id omne protenditur, quod ſcalpro feriente, vel mordente viriculo effingitur; tum etiam quod flando cudendoque exprimitur, ſub eiſdem vocabulis ex aequo cenſetur.

tere nequeat, vel cum vox τιμὴ nonniſi *tituli* notionem ejus animo ſupponat.

Ergo ut eo redeam, *honor* habitus T. Flavio noſtro nihil aliud omnino fuit, niſi *titulus* ipſe marmoreus, multiplices ab eo relatas victorias ſedulo gerens enucleateque deſcriptas. Enimvero athletarum nomina aeternitati conſecrata fuiſſe, Pauſanias pluribus locis teſtatur, ſed nullibi diſertius, quam Eliac. II. cap. 6. ubi notat *ad aliorum aemulationem* (τῶν νικησάντων Ὀλυμπιάσι τὰ ὀνόματα ἀναγράψαι ἐν γυμνασίῳ ἐν Ὀλυμπίᾳ) *victorum nomina conſcripſiſſe veteres in Olympico gymnaſio*. Quam perſcribendi nomina hieronicarum conſuetudinem in aliis quoque, praeter Olympicum, gymnaſiis obtinuiſſe mihi perſuadeo. In Neapolitano certe gymnaſio nobile hoc acuendis animis incitamentum non defuiſſe, declarat egregia inſcriptio, proſtans in villa Raphaëlis Mazzae patricii Salernitani, ad oram Pauſilypi: ubi quae nomina victorum, quaeve patria fuerit, quoque porro ludi genere ii devicerint, diſerte notatur:

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΑΜΜ·ΑΛΕ
ΣΕΒ·ΚΡΙΣ·ΠΑΝΚΡ
ΣΕΡΑΠΙΩΝ ΠΟΠΛΙΟΥ·ΑΛ
ΑΠΟΒΑΤΑΣ
Ā ΠΟΣΤΟΥΜ·ΙΣΙΔΩΡ·ΑΛΕ
ΚΡΙΣΕΟΣΠΕΝΤ

Illuſtrando hoc (5) marmore nunc ſuperſedeo; loco opportuniore, quanti id ſit pretii, dicam. Interim lector hinc colligat, nomina hieronicarum in gymnaſio, aeque ac Romae nomina Conſulum in Faſtis, palam fuiſſe propoſita. Sane quod nomina Gymnaſiarcharum referrentur in album, jam Vandalus *Diſſert. VIII. pag.* 595. poſt Sponium vetuſto lapide docuerat; at nullibi adhuc, quod equidem ſciam, emerſerat lapis, qui hieronicarum nomina nobis legenda proponeret: id quod egregie ab Neapolitano hoc marmore praeſtatur. Itaque quicumque is erat, qui voce praeconis in publico

(5) Ad Neapol. gymnaſium pertinere hanc inſcriptionem, ſuadent tum natale ſolum ipſius marmoris, tum mentio ludorum Σεβάςων *Auguſtalium*, quos Neapoli frequentatos fuiſſe nuſquam non legitur. Sed & ex patria victorum, qui omnes Alexandrini ſunt, non incertum capitur argumentum, eos Neapoli decertaſſe. Confer quae de Alexandrinis Neapolim confluentibus initio Cap. I. notavimus, quaeque memorat Suetonius Ner. cap. 20.

blico conventu victor certaminum renuntiatus fuerat; ejus nomen pro more aeternitati mandabatur: at ſi quis, vel multitudine victoriarum vel praeſtantia, ſupra ceteros eminuiſſet, huic privatim peculiaris inſcriptio dedicabatur. Exſtat decretum quoddam Gymnaſii apud Gruterum p. CCCXVII. quo ſancitur, ut Batoni lapis marmoreus, ejus beneficia teſtaturus, in celeberrimo loco gymnaſii ponatur. Ex quo datur intelligi, moris olim fuiſſe, ut ſingularia merita hieronicarum, praeter communem cum aliis ejuſdem loci hominibus commendationem, ſingulari etiam honoris ſignificatione decorarentur, poſitâ nimirum homini in ipſo, ut plurimum, gymnaſio perhonorifica inſcriptione. Atque haec eo mihi ſunt pluribus diſputata, ut oſtenderem, *honorem* T. Flavio noſtro habitum non ſtatuae, ſed inſcriptionis ipſius, ut ante innui, poſitione definiendum eſſe; ac τὸ τιμῆσαι noſtrae epigraphes, potius *titulum*, quam ſtatuam, *poſuiſſe* notare.

Sed jam ad *T. Flavium* ipſum propius diſpiciendum accedamus; quo in homine, cum plurima ſint, quae notaſſe non pigeat; non abs re erit, ſi perſpicuitatis gratiâ praeeuntem inſcriptionem pone ſequamur.

Verſ. 4. Τ. ΦΛΑΟΥΙΟΝ ΚΥΡ.] Τίτον Φλαούιον Κυρείνα, h. e. QVIRINA Tribu, in qua Archibius cenſebatur. Ex tribu adſcripta patet, Archibium obtinuiſſe civitatem Romanam; ac porro *T. Flavium* appellatum, eo quod ex aliquo *Flaviorum* Impp. quorum praenomen ac nomen adſcivit, id beneficii conſecutus fuerit. Veſpaſianum ac Titum patricias gentes auxiſſe, novoſque tunc patricios *Flaviorum* nomine fuiſſe delectatos, notat Caſaubonus ad D. Claudium Trebel. Pollionis. Sed non patriciis tantum gentibus, verum communicata cum pluribus aliis civitate, orbem Romanum latius amplificaſſe Flavios Auguſtos, teſtantur jura civitatis data veteranis quibuſdam peregrinae conditionis Grut. DLXXIII. 1. DLXXIV. 5. DLXXV. 1. & in Antiquit. Hercul. Tom. V. p. XXX. Praeterea Municipia *Flavia* (6), quae plurima in vett.

(6) Sub Flaviis Imperat. Puteoli quoque Neapoli adjacentes *Colonia Flavia* evaſit; ita ut geminae in proximo ſorores eâdem reip forma uſae videantur. De Neapolitana enim Colonia vide adnot. ſeq. Ergo Puteoli in mutilo marmore apud Gruterum pag. CLXI. 15. dicitur *Colonia Flavia*; & p. MCV. Κολωνία Σεβάστη, *Colonia Auguſta*; Sed integra locutione appellatur in tubis plumbeis ibi repertis & in Regium Muſeum Herculanenſe illatis: *Colonia Flavia Auguſta Puteoli*.

vett. lapp. occurrunt, nullus dubito, quin par beneficium conſecuta ſint. Denique ingens populus *Flaviorum*, qui leguntur in inſcriptionibus, tantum non exſerta voce praedicant prolixam Veſpaſiani, Titi, ac Domitiani in donanda civitate liberalitatem. Jamvero & illud puto eſſe animadverſione dignum, quod nullibi frequentiores, quam Neapoli, *T. Flavii* occurrant. Nam ut omittam *T. Flavium Archibium* noſtrum; in lapide Neapolitano ex ſeleƈtiſſimo omne genus antiquitatum Muſeo Excell. Ducis Nojae Joannis Carafae, legitur *T. Flavius Evanthes*, *T. Flavius Zoſimus* pater ac filius: praeterea in titulo noſtrate apud Reineſium Cl. I. 156. *T. Flavius Pius* pater ac filius; Claſ. V. 22. *T. Flavius Artemidorus*; ac plures alii rimantibus, ſat ſcio, obviam fient.

Ac fortaſſe roget quis, quo pertinet iſthaec de Neapolitanis *Flaviis* tam curioſa notatio? Scilicet ut qualicumque tibicine firmem Alexii Symmachi Mazochii ſententiam, qui in *de Cathedr. Neapol.* p. 233. ſeqq. pluribus argumentis evicit, ſub *Flaviis* Principibus jura coloniae Rom. a Neapolitanis acquiſita fuiſſe. Quam quidem viri doƈtiſſimi ſententiam ſcio adlatraſſe nonnullos; at nunc ſi rem totam loco non ſuo refricarem, patientia quidem certe leƈtoris abuterer. Interim detur tantiſper eruditioni Mazochii, quod ceteroqui ſine juſta cauſa (7) denegari non poteſt; detur ejus ingenio eruendis antiquitatibus feliciſſimo, Neapolim ſub *Flaviis* Impp. jus civitatis obtinuiſſe; & continuo erit in promptu ratio, quamobrem tot *Flavii* in urbe noſtra compareant. Nimirum quia quo tempore

(7) Non is ego ſum, apud quem tantum poſſit viri doƈti praejudicium, ut etiam ſine ratione valeat auƈtoritas; ſed unum id contendo, quae graviter affirmantur, ea temere licenterque negari non debere. En quo iſthaec praefatio pertineat. Pro Colonia Neapolitana ſtrenue Mazochius in *Differt. de Cathedr. Neap.* p. 233. paucis abhinc annis decertavit; remque diu contentioſe agitatam eruditione ſua plane confecit. Explorata enim ad id ille cepit indicia ex pluribus lapidibus, ubi diſerta hujus coloniae mentio fit; ac porro ex aetate *L. Baebii*, qui in inſcript. vet. *Patronus Coloniae Neapolitanae* enuntiatur, quique Flaviis Impp. vixit, non levem conjeƈturam fecit, ea ferme tempeſtate, ac fortaſſe ſub Domitiano, fuiſſe jura Coloniae a Neapolitanis acquiſita. Haec ſumma ibi diƈtorum eſt. Ceterum quae ibi vir ſummus doƈte in hanc ſententiam pro more ſuo, ornateque diſſeruit, in leƈtorum gratiam libenter exſcriberem, niſi meus hîc eſſe mallem. Interim donec ſolidiora contra Neapolitanam Coloniam (nam quae huc uſque a nupero doƈtoque ſcriptore obduƈta ſunt, vereor, ut ſatis probari poſſint) donec inquam ſolidiora argumenta producentur, libeat in doƈtiſſimi ſenis auƈtoritate conquieſcere.

tempore data Neapolitanis civitas Romana fuit; qui peregrini homines tunc Neapoli degebant, his, ut aequo jure cum Neapolitanis uterentur, privatim exoranda fuerat civitas ab Imperatore, qui tunc temporis ex Gente *Flavia* erat; idcirco qui ſingulari Imperatoris beneficio civitatem Romanam adepti ſunt, hi ſe *Flavios* appellari facile ſiverunt. Atque haec hactenus; cetera quae de T. Flavio noſtro dicenda reſtant, perſequamur.

Ibid. ΑΡΧΙΒΙΟΝ ΤΟΝ . . . . . . *verſ.* 5. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ] Nomen *Archibii* non inſolitum Alexandrinis fuiſſe oſtendi poteſt ex Suida, qui grammatici cujuſdam *Archibii* nomine Alexandrini, qui docuit Romae, mentionem facit. Alexandrinus quoque videtur fuiſſe *Archibius* ille, qui ab Auguſto, ne Cleopatrae ſtatuae dejicerentur Alexandriae, impetravit; ut Plutarchus in Vita M. Antonii refert. Hoc leve eſt: illud puto prope deſperandum, quî lacuna hujus quartae lineae tuto expleri poſſit. Sollemne quidem hieronicis fuit, tum ad oſtentandam nominis celebritatem, tum ut aliis urbibus rem ipſi gratam facerent, ſe plurium (8) urbium, vel ejus, quam quiſque maxime vellet, civitatis municipes ſtatim a victoria voce praeconis renuntiari: id quod detrimento fuit Aſtylo Crotoniatae, qui quod Syracuſanum in gratiam Hieronis ſe proclamari curaſſet, in juſtam ſuorum civium (9) indignationem incurrit. In hanc ergo ſententiam ſuſpicari quis poſſet, lacunam illam

(8) Ad plurium urbium oſtentationem quod attinet; digna prae ceteris lectu eſt inſcriptio Grut. CCCXIII. 10. ubi *M. Aſclepiades* enuntiatur *Alexandrinus*, *Hermopolites*, *Puteolanus*, *Neapolitanus*, *Eleius* &c.

(9) Quid Aſtylus eam ob cauſſam ſit paſſus a Crotoniatis, amplius non ſuis, refert Pauſanias lib. VI. 13. *Domum* (Aſtyli) *ad publici carceris uſum deſtinarunt*, *&* *ſtatuam* (παρὰ τῇ Ἥρᾳ τῇ Λακεδαιμονίῃ) *in templo Junonis Lacedaemoniae dedicatam everterunt*. *Exſtat Olympiae pila in qua* (τοῦ Λακεδαιμονίου Χιόνιδος) *Lacedaemonii Chionidis victoriae inciſae ſunt*. Paullo productiorem, quam opus erat, locum Pauſaniae recitavi; ſed eo conſilio, ut erroris, quem inde mox emendatum imus, prima origo aperiatur. Latet ulcus in voce Λακεδαιμονίῃ· nam quis umquam Junonem *Lacedaemoniam* cultam Crotone novit? Contra nihil in eo tractu nobilius templo Junonis *Laciniae* fuit, nihil opulentius. Lacinium enim promontorium in agro Crotonienſi erat. Quamobrem facile adducor, ut non Λακεδαιμονίῃ, ſed Λακινίῃ ſcriptum a Pauſania fuiſſe credam: illud vero pro hoc altero irrepſiſſe; quia ex proximo Λακεδαιμονίου, quod ſequitur, amanuenſis oculo fallente, uti fit, illud deſumpſerit; vel eo praeſertim, quod fortaſſe compendiaria Λακεδαιμονίου ſcribendi ratio, ab Λακινίῃ quam minimum diſtaret.

lam oppletam fuiſſe olim alicujus civitatis, cujus fortaſſe municeps quoque fuit Archibius, nomine gentilitio. Verum articulus praepoſitivus TON, omnino reſpuit hoc ethnicum ſupplementum.

Quid ſi poſt articulum τὸν, patris Archibii nomen additum a ſcalptore fuerit? ex. gr. Ἀρχίβιον τὸν Ἀρχιβίου, patris nomen uti ſit, gerente filio. Sed huic conjecturae obſtat illa conſtans Romanorum conſuetudo; qui quidem ſi patris nomen adjicere volebant, perpetuo illud inter proprium nomen ac tribum inſindebant medium; ut (Reineſ. V. 22.) Τ. Φλαούιος Ἀρτεμιδώρου υἱὸς Κυρείνα Ἀρτεμίδωρος Ἀδανεύς. eaque diſponendorum nominum Romanis ſeries & ordo fuit. Fabret. Inſcr. IV. p. 337. Itaque Flavio noſtro, cum e tribu Quirina ſe eſſe dicat, hoc eſt, cum ſe Romanum civem eſſe profiteatur, haud dubie more Quiritium nomina ſua digerenda fuerant. Quam ergo medicinam fracto marmori faciam? Dicam equidem libere, quae ſentiam.

Puto Archibium noſtrum, fuiſſe binominem; ita ut praeter *Archibii* nomen, aliud quoque geſſerit cognomen, ex. gr. *Zoſimi*, aut tale hujuſmodi: etſi cur magis *Zoſimi* cognomen mihi praecipue arrideat, non omnino futiles habeo (10) cauſas. De binis cognominibus uni homini quaeſitis, adeatur Fabrettus Inſc. III. p. 145. qui plura ejuſmodi exempla corrogavit. His adde titulum Reineſ. V. 42. qui memorat quemdam hieronicam Κλαύδιον Ροῦφον, TON KAI Ἀπολλώνιον, Πίσαιον, *Claudium Rufum, QVI & Apollonius, Piſaeum*. Ea nimirum vis eſt articuli praepoſitivi ſequente conjunctione,

E

(10) In ſupplendis inſcriptionibus prima ratio ſpatii vacui habenda eſt, ut totidem addantur litterae, quot intercidiſſe veriſimile eſt. Vacuum autem noſtri marmoris vox ΖΩΣΙΜΟΝ ad amuſſim exaequat. Enimvero ut *Zoſimi* nomen prae aliis ἰσαρίθμοις (*ejuſdem numeri litterarum*) vocabulis optem; movet me lapis ille Neapolitanus, ubi memoratur Τ. φλάβιος Ζώσιμος, pater T. Flavii Evanthis & T. Flavii *Zoſimi*, in ludis Auguſtalibus victorum; adeo ut gloria certaminum prope domeſtica huic familiae fuiſſe videatur. Jamvero hic Flavius *Zoſimus* titulum poſuit anno Chriſti 171. Flavius vero Archibius ad Hadriani, qui ab anno Chr. 117. ad 137. regnavit, tempora vitam traduxit. Itaque cum per aetatem liceat, ut unus e liberis alterius eſſe potuerit; praeterea cum ſollemne fuerit, filiis cognomina patrum imponere; facile crediderim T. Flavium juniorem *Zoſimum* ſcil. a ſeniore Flavio *Archibio* contraxiſſe nomenclationem *Zoſimi*. Porro cum genti *Flaviae* familiare fuiſſe cognomen *Zoſimi* vidimus, corrigenda videtur inſcriptio Neapolitana apud Grut. DCCCCXII. 8. ubi ΦΑΒΙΑ ΖΩΣΙΜΗ perperam, ni fallor, ſcribitur pro ΦΛΑΒΙΑ ΖΩΣΙΜΗ, *Flavia Zoſima*.

ſtione, ut, ſi ille medius inter bina nomina propria ſitus ſit cumque iis grammatice congruat; tunc detur intelligi, duo illa nomina ad unam eamdemque perſonam pertinere. Hujuſmodi uſus articuli, non recentiori ſolum, ſed vetuſtae quoque Graeciae innotuit; ut ex Herodoto ac Thucydide, ſi id agi neceſſe foret, poſſem oſtendere. Itaque, ut ad lacunam hujus lineae opplendam aliquando redeam; equidem tum ex iis, quae de *Zoſimi* nomine Flaviis Neapolitanis impoſito in ſubjecta adnot. 10. illevi; tum ex iis, quae de uſu articuli praepoſitivi modo innuebam, obſervationibus veluti manu ductus, ſic verſum hunc integritati ſuae reſtituerem: Τ. Φλαούιον Κυρείνα Α᾽ρχίβιον ΤΟΝ καὶ Ζώσιμον, Α᾽λεξανδρέα, *T. Flavium Quirina, QVI & Zoſimus, Alexandrinum.*

Verſ. 5. ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΤΟΥ ΣΥΜΠΑαντος ξυςȣ.] *Pontificem perpetuum totius Xyſti*. Nullum prope corpus ſive collegium apud Ethnicos fuit, quod non peculiaria ſacrificia coleret; quibus peragendis quemadmodum qui dabant operam, ex re quam tractabant, ἱερεῖς dicebantur; ſic qui ceteris ἱερεῦσι praeibant dignitate, Α᾽ρχιερεῖς audiebant. Sua ſacra habebat & Gymnaſium, eaque adeo neceſſaria videbantur, ut vel profligatâ jam idololatria, ſpectaculis tamen praemitterentur: nec niſi ſero tandem ab iis temperatum; tum nimirum cum Arcadius & Honorius datis litteris Apollodoro Procoſ. Africae l. 4. *Vt profanos ritus. C. de Pag. & Sacrif.* juſſerunt *abſque ullo ſacrificio . . . exhiberi populorum voluptates*: de feſtis populi conventibus hîc agitur, quos paullo ante lex memoraverat. Hujus loci & ordinis erat Pontificatus Archibii, qui ideo hîc διὰ βίου dicitur, ut oſtendatur, hoc ſacerdotium ita fuiſſe proprium, ut ei viventi eripi invito non poſſet; quemadmodum Plinius de Auguratu Rom. loquitur. Eleganter quoque Euſebius Sacerdotes Chriſtianorum vocat ἱερεῖς διὰ βίου ad notandam ſcilicet eorum perpetuitatem. Atque haec, cum ſatis trita ſint, miſſa facio; meque ad ea, quae ſunt in noſtra epigraphe peculiaria, convertam. Sequitur enim

Verſ. 6. ΠΑΡΑΔΟΞΟΝΙΚΗΝ..... *Verſ.* 22. ΠΡΩΤΟΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ.] Παραδοξονίκης novum videri poſſit eſſe compoſitum; ſi quidem nova vocabula dicenda forent ea, quae in locupletiſſimo Stephani theſauro non comparent. Vide inferne (11) notata. Non raro in

(11) Vſus ea voce fuit Plutarchus in comparatione Cimonis & Luculli pag.

in inſcriptionibus athleticis legitur περιοδονίκης παράδοξος. Quid ſit περιοδονίκης, docet Reineſius Cl. III. 36. additur praeterea παράδοξος, ut oſtendatur, tot exſtitiſſe ejus victorias, ut expectationem omnium longe ſuperarint. Totum id quantumcumque fuit, uno vocabulo abſolvitur in noſtra epigraphe: παραδοξονίκης q. d. *incredibilis victor*. Nimis exaggerate. Sed id aetatis erat vitium, cum homines intra priſcae modeſtiae limites aegre continebantur: ad bene dicendum vel contra, ut effuſiora erant ſtudia, ſic linguae liberiora fraena laxabantur. Eo refer & hyperbolicum dicendi genus in noſtro marmore paſſim obvium: πρῶτον ἀνθρώπων, *primum hominum*; perinde ac ſi poſt homines natos *primus* omnium Archibius fuerit, qui hanc aut illam victoriam reportarit. Haec & his ſimilia elogia ſunt quidem praeter verum enuntiata; hinc tamen cujuſmodi olim conceptae fuerint acclamationes (12), unde haec

elogia

pag. 521. Edit. Franc. niſi quod pro Παραδοξονίκας, diu in Chaeronenſi biographo lectum fuit Παραδόξω νίκας, ſciſſo nimirum in duas partes vocabulo, & quod caput eſt, ſine ullo commodo ſenſu. Hodieque ea menda cubat in elegantiſſima Pariſienſi editione; fortaſſe quia Editores ſententiam H. Stephani non liquere pronuntiarunt. Sane Stephanus in Adnot. ad Plutarchum monuerat, Παραδοξονίκας junctim eſſe legendum, ut ceteroqui in quibuſdam MStis legebatur. Accedat nunc noſtri marmoris auctoritas, quae ſuffragio ſuo Stephanianam Plutarchi emendationem rite factam teſtetur.

Sed jam Plutarchum ipſum, qui ſit Παραδοξονίκης, docentem audiamus: Ὥσπερ δὲ τῶν ἀθλητῶν τοὺς ἡμέρα μιᾷ πάλη μιᾶ (corr. ἅμα, monente eodem Stephano) καὶ παγκρατίῳ στεφανομένους, ἔθει τινὶ Παραδοξονίκας καλοῦσιν &c. *quemadmodum illos athletas qui uno die lucta ſimul & pancratio coronantur, conſuetudine quadam Paradoxonicas appellant*. Paullo contractior eſt notio, quam τῷ Παραδοξονίκῃ aſſignat Plutarchus. Vt dem, ſic proprie fuiſſe vocatum, qui uno die bina certamina vicerit; non tamen illa alia, quam ſupra innui, excludi debet ſignificatio. Vox Παραδοξονίκης ad imaginem uſitatioris vocabuli Περιοδονίκης efficta videtur. Περιοδονίκης autem ille preſſius nuncupabatur, qui quatuor ſacra Graeciae certamina (quae *Periodus* vulgo dicebatur) vicerat. Vicit hujuſmodi *periodum* ac plura alia certamina Flavius Archibius, ut ex ejus victoriarum recenſione patet: attamen homo noſter nonniſi Παραδοξονίκης in marmore compellatur. Quamobrem ut Plutarcho ſua conſtet auctoritas, ac porro ne inſcriptioni noſtrae ſit fraudi, omiſiſſe Περιοδονίκην ſic res puto tranſigi poteſt, ut qui uno die duplicem victoriam retulerit; idque non vice ſimplici, ſed repetitis in ſacra *periodo* & alibi experimentis conſecutus ſit; is demum, ad teſtandam utique ejus in vincendo incredibilem celeritatem, ambitioſo titulo τοῦ Παραδοξονίκου ornaretur.

(12) Ab acclamationibus, quas eliciebat ſpectatorum favor, repetenda cenſet

elogia ſunt contracta, luculenter oſtenditur.

Tametſi, verum ut fatear, aliunde quam ab hujuſmodi acclamationibus, arceſſenda mihi videtur formula illa Πρῶτος ἀνθρώπων (*primus hominum*) ſaepe in noſtro marmore repetita. Vicit Archibius in certaminibus ſane quam plurimis; ſed nonniſi bis ϛεφανωθεὶς (*coronatus*), ac ſepties πρῶτος ἀνθρώπων (*primus hominum*) adnuntiatur. At ſi poſtrema haec formula fuiſſet in victores quoſcumque tralatitia; cur, quaeſo, non & in ſingulis victoriis totidem vicibus inculcata oportuiſſet? Contra cum exploratum apud omnes ſit, in certaminibus plura paria athletarum in unoquoque ludi genere commiſſa fuiſſe; ac praeterea cum ſit aeque notum, propoſita fuiſſe athletis praemia *majora* & *minora*, illa primis, haec ſecundis certantium paribus auferenda (de quo conſulantur Faber Agoniſt. III. 19. Potterus Archaeol. II. 23.); facile adducor, ut credam, illum πρῶτον ἀνθρώπων (*primum hominum*) fuiſſe dictum, qui in *primo pari* decertarat. Nec porro quivis in quovis ludi genere victor coronabatur, ſed ille prorſus, cui coronae praerogativam Brabeutae arbitrium fecerat. Atque ea mihi ſatis idonea videtur eſſe ratio, quamobrem Flavius noſter, etſi pluries vicerit, bis dumtaxat *coronatus* ac ſepties *primus hominum* in marmore fuiſſe prodatur: nimirum quia ex tot victoriis bis coronam retulerit, & ſeptem vicibus in primis paribus certando vicerit.

cenſet Reineſius haec effuſiſſima elogiorum praeconia. Vide quae vir doctiſſimus innuit cl. V. 20. quo in loco P. Ant. Septimius citharoedus *μόνος καὶ πρῶτος τῶν ἀπ' αἰῶνος*, *ſolus*, & *primus ab aevo* praedicatur. Abſolutiſſimum acclamandi exemplum ſervavit nobis Dio Caſſius LXIII. verba faciens de Nerone, cui ex Graecia redeunti ſic acclamatum a populo Rom. fuit: Ὀλυμπιονίκα ὄβα, πυθιονίκα ὄβα, Αὔγουστε Αὔγουστε, Νέρωνι τῷ Ἡρακλεῖ, Νέρωνι τῷ Ἀπόλλωνι, ὡς εἷς περιοδονείκης, εἷς ἀπ' αἰῶνος. *Ova victor Olympice, ova victor Pythice; Auguſte Auguſte; Neroni Herculi, Neroni Apollini: ut ſolus victor es periodicus, ſolus ab aevo!* Ergo ex hujuſmodi acclamationibus hyperbolicae illae, quas ſupra memoravi locutiones, ſunt repetendae. Itaque quae verba temere ac ſubito calore mentis effundebant ſpectatores, ea ſerio ac conſulto mandata olim fuiſſe litteris, non ferenda libido ſcripturiendi fuit.

C A P V T III.

Qua aetate T. Flavius Archibius floruerit.

Epinicia Trajani quando Heracleae commiſſa. Diſtinctio Puerorum, Imberbium & Virorum *in palaeſtra. Diſpares aetatibus interdum ſimul compoſiti. Peculiaris numerandarum Olympiadum ratio. Quoddam Alexandrinarum Olympiadum exordium exploditur. Quo anno Flavius Archibius in Neapolitano gymnaſio certarit.*

QUis & unde domo fuerit Archibius, quis ejus locus, quaeve dignitas, ſatis ſuperque fuit capite ſuperiore pertractatum; reſtat nunc ut in aetatem qua ille floruerit, inquiramus. Quae quidem quaeſtio, etſi prima fronte videatur planiſſima, vereor tamen, ne tractando ſpinoſior inter manus evadat. Ac profecto prima difficultas illinc oritur, quod victoriae athleticae non eo quo relatae ſunt ordine, recitantur in epigraphe. Perturbatum enim eſſe ordinem, indicio eſſe poſſunt *Epinicia Trajani*, quae non ultra annum Chriſti 116. conſignari poſſunt (1); & tamen in marmore noſtro poſt Olympiadem CCXXVI, quae in annum Chriſti 124 incidit, recenſentur. Atqui ſi ut quaeque res acciderat, loco ſuo mandata marmori fuiſſet; facile quidem foret ex ordine victoriarum qualemcumque aetatis Flavii conjecturam facere; at nunc eo veluti filo deſtituti, per incerta rapimur. Quae cum ita ſint: in digerenda victoriarum ſerie primus a me impendetur labor; tum poſtea unde eae victoriae praeter propter ordiendae ſint, quove anno

(1) Trajanus anno Tribuniciae poteſtatis quinto, ſeu Chriſti anno 102. cognomen *Dacici* adeptus eſt; at ſero tandem ſub imperii ſui finem, ac fortaſſe anno Ch. 115. vel 116. (ut Fabrettus Col. Traj. cap. IX. pag. 294. pluribus contra Reineſium contendit) ſalutatus eſt *Parthicus*. Itaque cum Epinicia, quae in honorem Trajani edita ſunt Heracleae, praeferant in marmore cognomen *Dacici*, non item *Parthici*; vero ſimile eſt, ea certamina nec citius anno Ch. 102. nec ſerius anno 115. commiſſa fuiſſe. Atqui Epinicia iſthaec nonniſi poſt Olympiadem CCXXVI. h. e. poſt annum Chriſti 126. recitantur: patet igitur certamina non eo, quo inſtaurata ſunt, ordine, ſed prout libitum fuit, inſcripta marmori fuiſſe. Jamvero etſi temporis ſeries hîc obſervata non fuerit; vel ſic tamen praerogativa quaedam illuſtrioribus agonibus a Scalptore prudenter delata fuit, ut Cap. IV. dicam.

anno finiendae, quoad ejus fieri poteſt, ediſſeram.

Ad ordiendam ergo victoriarum telam, incompoſite, ut modo querebar, textam; illa mihi expeditior eſſe ratio videtur, ſi Archibii aetatem certaminibus exercitam, in claſſes quaſdam dirimamus. Tres aetatum claſſes Graecia novit ad palaeſtram idoneas, nimirum παίδων, ἀγενείων, ἀνδρῶν, *puerorum*, *imberbium*, *virorum*; (2) ac revera in totidem aetatum gradibus decertaſſe Flavius comperitur, uti legenti patet inſcriptionem. Ad cujus inſcriptionis calcem ſcalptor, ne quid forte omittens, piaculum commiſiſſe argueretur, ſic quaſi ſtudens brevitati peroravit: Καὶ ἄλλους πλείστους πενταετηρικοὺς ἀγῶνας ΠΑΙΔΩΝ ΑΓΕΝΕΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ πάλας καὶ παγκράτια. *Et alia plura* (vicit) *quinquennalia certamina*, *PVERORVM*, *IMBERBIVM*, *VIRORVM palaeſtras & pancratia*. Enumerat acervatim ludi genera, *luctas* ſcilicet ac *pancratia* (3); ſed quibuſcum certando vicerit, nempe cum *pueris*, *imberbibus*, *viris*, partite deſignat. Enimvero fuit hoc in more poſitum,

(2) Plato in VII. de LL. pag. 833. per totidem aetates partitus eſt gymnica certamina: Τριττὰ δὲ ταῦτα, inquit, ἀθλήματα διανοηθῶμεν· ἓν μὲν παιδικῶν· ἓν δὲ ἀγενείων· ἓν δὲ ἀνδρῶν· *Trifariam haec certamina diſtribuamus*, *unum puerorum*, *alterum imberbium*, *tertium virorum*. Eadem quoque partitio aetatis obſervata fuit in ſplendidiſſima illa, quae accurate a Dionyſio Halicar. Antiq. Rom. VII. pag. 474. deſcribitur, Romanorum pompâ; ubi procedebant *ſaltatorum chori* (τριχῆ νενεμημένοι, πρῶτοι μὲν, ἀνδρῶν· δεύτεροι δὲ, ἀγενείων· τελευταῖοι δὲ, παίδων) *per claſſes virorum*, *imberbium ac poſtremo puerorum diſtributi*. Igitur pro tribus hiſce aetatibus tria propoſita erant diſpertita certamina. Verum non ſemper idem diſcrimen aetatis athleticae apud omnes peraeque obtinuit: fuit olim cum ſumma diviſio in *pueros* fieret & in *viros*; ut colligi poteſt ex illo Pauſaniae Eliac. II. cap. 14. ἐπὶ παισὶν οὓς ἀγενείους καλοῦσι, *in pueris quos imberbes vocant*. Tunc, opinor, qui mediae erat aetatis h. e. *imberbis*, ſed ita tamen ut magis accederet ad viros, quam abeſſet a pueris, cogebatur is certare cum viris. Sic certe Hyllo Rhodio, qui cum eſſet annos natus duodeviginti, peteretque ut cum pueris committeretur, reſponſum ab Elaeis fuit apud Pauſaniam loc. cit. & ut cum viris congrederetur, imperatum. At ſi ea tempeſtate peculiare *imberbium* quoque certamen exſtitiſſet; qui eam, quam Hyllus, ageret aetatem, cum *imberbibus* utique non cum viris contendiſſet.

(3) *Luctae* dumtaxat ac *Pancratia* hîc diſerte memorantur; de *pugilatu* vero verbum nullum: tametſi pugilatu quoque valuerit Archibius; ut verſu 23 & 25. noſtrae inſcriptionis innuitur. Num ea cauſa ſilentii fuerit, quia agon hic poſtremus rarior, illi fuere frequentiores? an potius quod ab illis aliis, quae non ſine oratorio artificio reticentur, certaminibus revera *pugilatus* exſulaverit?

ſitum, ut pueri cum pueris, imberbes cum imberbibus, ac poſtremo viri cum viris in palaeſtra componerentur. Atque hujus diſcriminis aetatis nuſquam non habita ratio fuit; ut tum aliunde, tum maxime noſtri marmoris auctoritate oſtendi poteſt. Ibi verſ. 23. *ſeq.* ſic ſcalpitur: Καὶ τὸν ἐν Ἀντιοχείᾳ ἱερὸν πενταετηρικὸν ἀγῶνα Ἀκτιακῶν παίδων παγκράτιον· καὶ τῇ ἑξῆς πενταετηρίδι ἀγενείων πάλην, πυγμήν· καὶ τῇ ἑξῆς ἀνδρῶν παγκράτιον &c. *Et Antiochiae in ſacro quinquennali certamine* (vicit Flavius) *Actiacorum puerorum pancratium; & ſequenti pentaëteride imberbium luctam pugilatum; & ſequenti, virorum pancratium.* Vbi vides Archibium pro varia aetate cum variis athletis, ac profecto gradatim, fuiſſe compoſitum. Idipſum quoque ſignificatur verſ. 27. *ſeq.* Καὶ τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἱερὸν πενταετηρικὸν ἀγῶνα Ἀκτιακῶν παίδων παγκράτιον, καὶ μετὰ μίαν πενταετηρίδα ἀνδρῶν παγκράτιον &c. *Et Alexandriae in ſacro quinquennali certamine* (vicit) *Actiacorum puerorum pancratium; & poſt unam pentaëterida virorum pancratium.* Quo poſtremo loco a pueris fit continuo gradus ad viros; & quidem recte: nam pentaëteris illa, quae media inter utramque victoriam interceſſit, vel vacua certamine, vel certe exſors victoriae, fuit. Ergo ut eo unde diſceſſeram redeam; cum olim obtineret, ut athletae καθ' ἡλικίας *per aetates* committerentur; praeterea cum in epigraphe noſtra, eccujus generis agones ſinguli fuerint, ſedulo notetur: jam in proclivi erit cuique colligere, qua aetate ſingula certamina Flavius obiverit, eaque in claſſes quaeque ſuas digerere.

Jam vero hac inſtituta partitione, non arduum nec difficile fuerit indicio Olympiadum aetatem, quâ certamina quaeque conſignanda ſint, explorare. Sex vicibus, quantum ex Olympiadibus ibi notatis intelligi datur, victor ex Olympicis ludis Archibius diſceſſit, nimirum ab Olymp. 220. ad 226. Tribus autem poſtremis Olympiadibus, h. e. 224, 225, & 226 cum *viris* certavit; & Olympiade 223 cum *imberbibus*; ergo Olympiadibus praecedentibus cum *pueris* certarit oportet. At, inquies, Olympiade 220 & 221 dicitur in marmore Flavius viciſſe ἀνδρῶν παγκράτιον, *virorum* pancratium. Verum quidvis a me potius impetrari ſinerem, quam ut vocem ἀνδρῶν hoc loco tuerer. Ex iis enim, quae paullo ante de aetatis diſcrimine in agonibus habito, commentabar; adhaec ex ipſa hac gradatione in gymnaſio Antiochenſi & Alexandrino perſpectâ doctus, tantum abeſt, ut hîc τὸ ἀνδρῶν probem, ut potius oſcitantiae arguam ſcalptorem,

ptorem, qui pro τῷ παίδων, animo peregrinante τὸ ἀνδρῶν inciderit. Verum enimvero volo cum ſcalptore noſtro, cujus ceteroqui diligentia (4) commendanda eſt, agere mitius. Sit ergo ab eo nec temere nec inconſulte ſcalptum ἀνδρῶν· nec equidem repugno; modo certamen illud Archibius obiviſſe puer dicatur, tametſi non cum puero, verum ipſe *puer* cum *viro* commiſſus. Nam hoc etiam uſu veterum obtinuiſſe proditur, ut interdum diſpares aetatibus una ſimul componerentur: de quo conſulatur Faber Agoniſt. III. 8. non magis, opinor, majoris oblectamenti, quod ex imparium commiſſione oriebatur, gratiâ; quam ut facto ipſo docerent, victorias agonum non ab firmiore aetate, & vaſtiore corporis magnitudine, ſed utique ab arte, uſu atque exercitatione, pendere. Iſtiuſmodi agon fuerit neceſſe eſt, quo Flavius Olympiade 220. & 221. vicit *virorum* pancratium. Virorum quidem fuit hoc certamen, ſed in eo certando Archibius *puer* (tametſi de pueritia ejus ſiletur in marmore) cum *viro* luctatus eſt. Ceterum per inſcriptionem obſcurum ſane eſſe non poterat, Flavium tunc temporis egiſſe pueritiam; etenim qui Olympiade 226 *vir* enuntiabatur, & Olympiade 223 *imberbis*; ſatis ſuperque dabatur intelligi, illum Olympiade 220 cum pueris aetatem ſuam agitaviſſe.

Sed quando huc oratione delapſi ſumus; libeat non vulgarem ſupputatarum hîc Olympiadum rationem paullo accuratius expolire. Profecto enim Olympiades CCXXIII. CCXXV. & CCXXVI. non explicate quidem in marmore traduntur; ſed ſcalptor verſu 6. plane enuntiata Olympiade CCXX. & CCXXI. memorat deinceps verſu 8. τὴν τρίτην, *tertiam*; verſu 10. τὴν πέμπτην, *quintam*; & verſu 11. τὴν ἕκτην, *ſextam*. Hîc autem cave credas, ordinales hoſce minores numeros ad notandas palmas, quae loco pretioque & *primae* & *ſecundae* & *tertiae* dicebantur, pertinere. Nimis abſona quidem ea cogitatio (5) foret, & quidem, puto, repudianda. Signant potius ii breviores numeri Olympiadas; ita tamen ut ſingulae ſummae ſuperaddendae

(4) Rari profecto exempli eſt noſtri ſcalptoris diligentia, ſi quidem cum aliorum incurioſa ſcribendi ratione conferatur. Quotus enim quiſque lapis antiquus eſt, qui non ſupinitatis argumenta plurima ſuppeditet? Atqui in noſtra epigraphe, quae longiuſcula quidem eſt, ſi ſemel Πάλη pro Πάλην ſcalptum verſu 18. exceperis; mendam unam praeterea, vel ſi magni velis redimere, non omnino inveſtigaveris. Quo fit, ut reum agere negligentiae, qui in ceteris diligentiam ſatis probavit ſuam, prorſus illiberale putem.

(5) Athletis varia praemia ab Hel-

peraddendae ſint Olympiadi *ducenteſimae viceſimae*, paullo ante memoratae: pro conſueta ſcilicet in ſupputandis numeris breviloquentia veterum; qua fit, ut cum minore numero major numerus, arceſſitus e vicinia, connectatur. Id quod tum vulgari conſuetudine

 obtinet

Hellanodicis proponebantur, quae ab ordine *prima*, *ſecunda*, *tertia* &c. dicebantur, cedebantque iis qui in prima, ſecunda, tertia &c. actione vincebant. Praeclara in hanc rem ſunt verba Plutarchi, Alcibiadem eo nomine commendantis, quod tres palmas, eadem ſcilicet Olympiade, retulerit: *Hujus* (Alcibiadis, inquit in ejus vita p. 196.) *in equis alendis magnificentia curruum multitudine fuit celebris; ſolus enim hic, praeterea nemo, ad Olympios ludos neque privatus neque rex, ſeptem miſit.* (Καὶ τὸ νικῆσαι δὲ, καὶ δεύτερον γενέσθαι, καὶ τέταρτον, ὡς Θουκυδίδης φησὶν, ὁ δ᾽ Εὐριπίδης, τρίτον) *Palmam vero quod retulerit primam & ſecundam, & quartam, ut ait Thucydides; vel, ut Euripides, tertiam: in his excellit ſplendore & gloria omnibus qui in eo genere elaboraverunt*. Recitat deinde Chaeronenſis carmina Euripidis, apud quem ἅρματι πρῶτα δραμεῖν, καὶ δεύτερα, καὶ τρίτα, eſt *curru primam, ſecundam, & tertiam palmam vincendo ferre*. Porro locus Thucydidis, ad quem digitus a Plutarcho intenditur, exſtat lib. VI. p. 202. Edit. Steph. ubi Alcibiades ſic de ſe ipſo loquens inducitur: ἐνίκησα δὲ, καὶ δεύτερος, καὶ τέταρτος ἐγενόμην, ubi Scholiaſtes: ἐνίκησα δὲ τὰ πρῶτα, καὶ τὰ δεύτερα, καὶ τὰ τέταρτα, *retuli & primam & ſecundam & quartam palmam*. Cum Graecis Latina concinunt. Legatur inſcriptio apud Grut. p. CCCXXXVII. ubi *Appulejus Diocles agitator factionis Ruſſatae* in Circenſibus ludis, praeter *praemia majora*, tuliſſe quoque narratur tot *ſecundas*, *tertias*, *quartas*. Quae cum ita ſint, ſuſpicari quis fortaſſe quiverit, eodem referenda eſſe verba illa noſtrae inſcriptionis τὴν τρίτην, τὴν πέμπτην, τὴν ἕκτην· ut oſtenderetur, Archibium viciſſe *tertiam*, *quintam*, *ſextam* in eadem Olympiade victoriam. Verum ut ſuſpicionem hanc omnino repudiem, ſi nihil aliud, illud certe quod verſu 11. & 12. legitur, mihi plane perſuadet: Τὴν ἕκτην . . . . παγκράτιον ςεφανωθέντα πρῶτον ἀνθρώπων· *Sextâ . . . pancratium* (vicit) *coronatus primus hominum*. Hîc autem ſi *ſextam*, utique palmam, non vero Olympiadem, interpreteris; inconcinna & incompoſita erunt omnia. Quî enimvero *ſextam* palmam ille tuliſſe diceretur, qui *coronatus*, & quidem *primus hominum*, fuiſſe proditur? Vel quis, rogo, *coronam*, h. e. praemia majora conſecutus, idque *primus* omnium, quis, inquam, non *ſextam* palmam aſpernaretur? Profecto a ratione abhorret, ut quis virtute meritoque ſuo *primus* in gymnaſio proclamatus, tandem nonniſi *ſextam* in extrema ſorte palmam, ac veluti in praerepti ſibi praemii majoris ſolatium, adipiſcatur. Contra ſi *ſextam* non palmam, ſed Olympiadem hîc ſignatam dixeris; omnia recto talo conſiſtent: tunc enim, quod res ipſa fert, datur intelligi; Flavium Olympiade *ſexta* (ſupra ducenteſimam viceſimam, ut ſupra monui) viciſſe pancratium virorum, eâque victoriâ *coronatum* fuiſſe, *primumque hominum* voce praeconis renuntiatum. Jam ſi haec ſententia magis arriſerit; prono alveo fluet, & *quintam* & *tertiam* verſuum praecedentium, Olympiadem quamque ſuam, ſignificare.

Sed

obtinet (6), tum priſco uſu probatum Graecis Latiniſque fuit; uti Caſaubonus ad Suetonium (7) monuit. Ac praeſertim id uſuvenit, cum enuntiantur in eadem decade numeri; tunc enim decade ſemel elata, excurrentes porro numeri ſolummodo recenſentur, ſuppreſſa ſcilicet decade; quae ſi ſingulis vicibus efferretur, faſtidium omnino crearet (8). Nec ſecus in recenſendis Olympiadibus ſe geſſit noſter quadratarius; qui quidem indicato prius rotundo numero CCXX, mox Olympiadas, quae numerum hunc in eadem decade ſuperabant, ſatis habuit dixiſſe *tertiam*, *quintam*, *ſextam*; ratus certe cuique facile fore, ut Olympiadem *ducenteſimam viceſimam* cum excurrentibus *tertia*, *quinta*, *ſexta* Olympiadibus pro more coacervaret, conficeretque Olympiadas CCXXIII. CCXXV. & CCXXVI. Atque haec ſupputandi ratio diligenter quidem notanda eſt, ad Scriptorum intelligentiam plurimo uſui futura; quâ contra ignoratâ chronologicas rationes plurima caligine infuſcari neceſſe eſt.

Et

Sed quid ultra tricamur? Nonne tota ipſa orationis συνέχεια (*contextus*) id quod contendo, tantum non exſerta voce clamitat? Sane qui dicitur in *tertia* viciſſe imberbes, in *quinta* viros, in *ſexta* item viros; ex hac ipſa numerorum ſerie, & reſpondente aetatum varietate, arguitur is, non uno eodemque tempore imberbes ſimul & viros profligaſſe, ſed certâ quadam diversâque aetate imberbis cum imberbibus, vir cum viris compoſitus decertaſſe. Itaque verba illa *tertia*, *quinta*, *ſexta* non palmas eadem Olympiade partas, ſed potius ipſas Olympiades, quibus edita ſunt certamina variis illis aetatibus inita, ſignificabunt.

(6) Nam quis, rogo, eſt, qui annos aliquot continuos numeraturus non ea breviloquentia uti deprehendatur? Ex. gr. ubi quis annos 1760. 1761. integra locutione recenſendo extulit, in enuntiandis, qui porro ſequuntur, annis ejuſdem decadis, ſatis habet dixiſſe, 63, 65, 66, &c. tacitâ ſcilicet majore ſummâ, cum judicio tamen ſingulis minoribus ſummis adjiciendâ.

(7) Suetonius de Auguſto 43. *Feciſſe ludos ſe ait ſuo nomine quater; pro aliis magiſtratibus . . . ter & vicies*: ubi τὸ *vicies* etiam in priore commate ſupplendum eſt, ut ſit *quater & vicies*. Conſulatur ibi Caſaubonus.

(8) Pauſaniae Eliac. 1. 8. commemorandae erant Olympiades *viceſima tertia*, *viceſima quinta & viceſima octava*, tres nimirum in eadem decade Olympiades. At ſcriptor hic diligentiſſimus, ut ſuam in ſcribendo copiam, quae oritur ex varietate ſermonis, commendaret; diverſimode illas Olympiades expreſſit. Primo enim inquit τρίτῃ δὲ Ὀλυμπιάδι καὶ εἰκοστῇ, *tertia & viceſima Olympiade*: deinde: Πέμπτῃ δὲ ἐπὶ ταῖς εἴκοσι, *quinta ſupra viceſimam*: ut porro *viceſimam octavam* enuntiaret, ne tertio *viceſimam* ad nauſeam uſque inculcaret, ſic ſcripſit: Ὀγδόῃ δὲ ἀπὸ ταύτης Ὀλυμπιάδι, *octava ſecundum hanc* (viceſimam ſcil. quam paullo ante indicarat) *Olympiade*.

Et ſane Dodvellus & Corſinius, viri ſummi uterque, ſed hac putandorum numerorum βραχυλογίᾳ (*breviloquentia*) ludificati, ſibi viſi ſunt Alexandrinarum Olympiadum exordium primi deteхiſſe, indicio, ut inquiunt, capto ex inſcriptione Gruteriana pag. CCCXIV. ubi ſic legitur: Ἀσκληπιάδης ὁ καὶ Ἑρμόδωρος....Ὀλύμπια τὰ ἐν Πίσῃ ΣΜ Ὀλυμπιάδι... ἀθλήσας τὰ πάντα ἔτη ἓξ παυσάμενος τῆς ἀθλήσεως ἐτῶν ΚΕ ... καὶ μετὰ τὸ παύσασθαι μετὰ πλείονα χρόνον ἀναγκασθεὶς ἐν τῇ πατρίδι Ἀλεξανδρείᾳ καὶ νικήσας Ὀλύμπια παγκράτιον Ὀλυμπιάδι ἕκτῃ. *Aſclepiades qui & Hermodorus* . . . . (vicit) *Olympia Piſae Olympiade* CCXL. . . . . . . *certans in universum annos ſex, deſiſtens a palaeſtra annos natus* XXV. . . . . *& poſtquam deſtitiſſet poſt plurimum temporis coactus in patria Alexandria vincens Olympia pancratio, Olympiade* VI. Hinc argumentum capit Corſinius Diſſert. Agon. I. 12. (nam de Dodvello taceo, quem conſulere neque otium mihi neque copia fuit) Olympiadem *ſextam* ad Alexandrinas neſcio quas Olympiadas pertinere. Ea prima errandi viro doctiſſimo fuit occaſio; tum & illud conſequens fuit, ut primam Olympiadem Alexandrinam cum Olympiade praeter propter CCXL. componeret. Vtrumque mea ſententia falſum. Aſclepiades enim vicit Olympia certamina Piſae & in patria (9) Alexandria; illic Olympiade CCXL, hîc vero Olympiade VI. Haec autem *ſexta* Olympias, ne novas epochas ſine teſtibus ac tabulis comminiſcamur;

(9) Olympica certamina non ſolum Piſae, ſed in aliis etiam terrarum tractibus edebantur, ut idem Corſinius ibid. notavit. Hoc amplius addo, hujuſmodi Olympicos ludos, ubicumque inſtauratos, eadem anni, qua Piſae, tempeſtate, ut paria omnia pro modulo eſſent utrobique, committi conſueviſſe. Crotoniatae quidem certe ad imminuendam Olympiae certaminum celebritatem, ludos in patria ſua indixerunt; & obſervato Piſaeorum ludorum tempore, propoſitaque majore ſpe praemii, palaeſtritarum animos, ut Crotone potius certarent quam Olympiae, ſollicitare moliti ſunt. Athenaeus lib. XII. 4. Οἱ Κροτωνιάται . . . ἐπεχείρησαν τὴν Ὀλυμπιακὴν Πανήγυριν καταλῦσαι, τῷ αὐτῷ χρόνῳ προθέντες ἀργυρικὸν σφόδρα πλούσιον ἀγῶνα. *Crotoniatae Olympicorum ludorum conventum diſſolvere tentaverunt, eo ipſo tempore* (quo Olympia celebrabantur) *certaturis* (apud ſe) *pro praemio argenti magnam vim proponentes*. Paullo ante idem fernie tradiderat Athenaeus. Caſaubonus conſilium hoc abolendi certaminis Olympici tribuit Sybaritis: ſtatim enim ſequitur apud Dipnoſophiſtam: Οἱ δὲ Συβαρίτας τοῦτο ποιῆσαι λέγουσι: *a Sybaritis id factum quidam ſcribunt*. Quod ultimum vir magnus probat teſtimonio Auctoris Periegeſeos; unde docemur etiam certamen hoc, ſi placet, Sybariticum Jovi, aeque ac Olympicum, fuiſſe ſacrum.

miniſcamur; utique cum majore numero, ſeu cum Olympiade *ducenteſima quadrageſima* antea recenſitâ, connectenda eſt; pro ſolita ſcilicet putandorum numerorum, ut modo dicebam, breviloquentia; ita ut poſtrema victoria Aſclepiadis, quam is in gymnaſio Alexandrino ſibi peperit, ad Olympiadem CCXLVI. pertineat (10): aeque ac Olympiades *tertia*, *quinta*, & *ſexta* noſtri marmoris, coacervatae cum Olympiade *ducenteſima viceſima* prius memoratâ, conficiunt Olympiades CCXXIII, CCXXV, & CCXXVI.

His jam animadverſis, ut e ſemita in viam aliquando redeam; non diu nobis laborandum eſt, ut aetatem, quam T. Flavius Archibius tranſegit in gymnico ſtudio, metiamur. Ejus victoriae ab Olympiade *ducenteſima viceſima* ordiuntur, & in Olympiadem *ſextam* ſupra *ducenteſimam viceſimam* deſinunt: h. e. ab anno Chr. 101, in quem incidit Olympias CCXX, exorſae athleticae meditationes Archibii, deſinunt in annum Chr. 125. ultra quem annum diutius in eo ſtudio, aetate jam ingraveſcente, perduraſſe, non ſit veriſimile.

Jamvero indicio harum Olympiadum facile fuerit, turbatam victoriarum T. Flavii Archibii ſeriem ordinare; & aetatem, qua quaeque victoria conſignanda ſit, praeter propter inveſtigare. Ergo digerantur in claſſes, ut ante monui, varia illa certamina variis aetatum gradibus inſtaurata; eaque ſic partite digeſta, comparentur cum Olympicis ludis, qui agonas ejuſdem aetatis referant; tunc profecto quam aetatem certamina Olympica repraeſentaverint; parem vel ſupparem ſimilibus illis certaminibus, ubicumque editis, aſſigna. Exempli gratia: Flavius Neapoli vicit *imberbium* pancratium;

(10) Ac vide quaeſo, quam recte cetera omnia ſibi conveniant! Ex annorum characteribus, qui in hac Gruteri inſcriptione ſignantur, apparet Aſclepiadem, cum primum in palaeſtra prodiit, annos natum fuiſſe undeviginti: cum autem hinc ſex annos continuos huic ſtudio impendiſſet, hique anni ab Olympiade CCXL. numerandi ſint; patet Aſclepiadis otium a palaeſtra incidere in annum ſecundum Olympiadis CCXLI. Quouſque autem in otio palaeſtrita quieverit, ignorare ſe fatetur Corſinius. Atqui ſi recte Olympiadem *Sextam* cum Olympiade CCXL conjunxiſſet, profecto animadvertiſſet, octo & decem annos interquieviſſe: & cum rurſus in Alexandrinam palaeſtram certaturus deſcendit, tunc aetatis annum XLIII egiſſe. Atque inde quidem laudis argumentum capitur, quod vel intermiſſa tot annos athletica exercitatione, adhaec aetate provecta, rurſus e palaeſtra diſceſſerit victor.

tium ; Olympiae quoque *imberbium* pancratium ſuperavit. At Olympicus agon hic cum Olympiade tertia ſupra ducenteſimam viceſimam, h. e. cum anno Chriſti 113. in marmore noſtro componitur; ergo câdem circiter tempeſtate Neapoli quoque viciſſe in ludis Auguſtalibus veriſimile eſt. Et quoniam Auguſtalia certamina quae Neapoli ad Olympicorum aemulationem frequentabantur, in annum ſecundum cujuſque Olympiadis incidebant, ut oſtendit Scaliger de Emend. Temp. V. p. 478; videtur palma Neapolitana noſtri Flavii anno ſecundo Olympiadis CCXXII, vel CCXXIII. (11) hoc eſt, anno Chr. 110. vel 114. contigiſſe. Sed haec aera, ſive mavis, epocha, cum de Neapolitano gymnaſio dicam, incudi reddetur, & limabitur accuratius. Porro eadem chronologiae fax per ceteros etiam agonas circumferri facile poſſet; ac fortaſſe conarer adhuc aliquid, niſi ſalebroſi itineris & ſenticetis obſiti pertaeſus, ad planiora ac jucundiora properarem.

(11) Non citius: nam Flavius Olympiade CCXXI *puer* profecto, ut pag. 40. ſuaſi, non *imberbis* erat. Sed & ne ſerius quidem. Secuta enim Olympiade CCXXIV. (quae in noſtro marmore per illa verba κατὰ τὸ ἑξῆς ſignatur: ut pag. 12. & 13. in Supplementi ratione dixi) cum viris certavit.

CAPVT IV.

C A P V T IV.

Gymnaſiorum, unde T. Flavius victor diſceſſit, recenſio.

IN victoriarum recenſione a palmis OLYMPICIS auſpicatum fuit, eam maxime ob cauſam, quod hae ceteras ubi ubi partas victorias dignitate praeirent. Non enim ratio temporis, ut ante monui, ſed dignitatis praerogativa fuit in cauſſa, cur alia certaminum primo, alia ſecundo inſederint loco. Atqui ſi ludorum ſingulorum pretium in comperto eſſet, explicate quidem ratio reddi poſſet, cur hunc vel illum locum in noſtro marmore occuparint. In noſtro inquam marmore; in aliis enim vett. lapidibus id paſſim negligi comperitur. Quo circa commendanda magis eſt noſtri ſcalptoris diligentia, qui non temere ſed conſulto quidem victorias digeſſit: id quod etſi in ludis omnibus praeſtare non auſim; in pleriſque tamen me rationem ejus conſilii aſſecutum fuiſſe, mihimet auguror. Interim cum equidem, quouſque horum recenſio ludorum mihi inter manus evadat, ignorem; non abs re fuerit, totam hanc tractationem in Sectiones, veluti in quaſdam ſtationes, & quidem in longi itineris ſolatium, dividere.

S E C T I O I.

De Capitolinis ludis.

Luſtrum Capitolinum quando inchoatum. Flavium Archibium viciſſe luſtro ſexto, oſtenditur; quo luſtro vicit Valerius Pudens in certamine poëtico. Veterum in ſcalpendis inſcriptionibus diligentia. Certamen Capitolinum quo ſenſu Sacrum *dicatur.*

OLympicis ergo ludis quibus ceteri ludi de via decederent primus pro merito debebatur locus. Vnus tamen CAPITOLINVS Agon Olympicis certaminibus inſeritur; utique ob ludorum Romanorum auguſtam magnificentiam: ut vel inde oſtenderetur, Capitolina certamina Olympicis omnino non concedere. Enimvero quinquennalia certamina, quae in Auguſti Imp. honorem inſtituta ſunt, ἰσολύμπια (*Olympicis aequalia*) in quodam Neapol. lapide vocantur. Par ergo debuit de Capitolinis ludis hominum opinio, & non diſſimilis commendatio. Atque ea prorſus cauſſa fuit, quamobrem in inſcriptione noſtra Capitolinus Agon,

tamquam

tamquam ἰσολυμπιος, inter Olympica certamina inſinderetur. Jamvero ex loco, quem Agon Capitolinus tuetur inter Olympiades, facile dijudicari poterit, ecquo anno Archibius Capitolina vicerit. Statuitur nimirum hic Agon inter Olympiadem CCXXI. & Olympiadem CCXXIII. hoc eſt inter annos Ch. 105. & 113. Octenne temporis intervallum, quod inter dictas Olympiadas effluit, libeat hîc paullo arctioribus contrahere limitibus. Ergo primum oſtendam, Capitolina certamina, de quibus noſtra inſcriptio verba facit, non citius anno Ch. 106. nec ſerius anno 110. commiſſa fuiſſe: tum porro ad annum, quo preſſius inita fuere, deveniam.

Capitolinus Agon Domitianum habuit auctorem, qui teſte Suetonio cap. 4. *inſtituit quinquennale* (1) *certamen Capitolino Jovi triplex*,

(1) *Quinquennale* dicitur, tametſi quarto quoque anno abſoluto, & quinto inchoato, inſtauraretur, ad imitationem quidem certe Graecorum qui Olympiadas aliaſque id genus ſollemnitates, ἀγῶνας πενταετηρικοὺς vocabant, eoſque interdum per literam E, quinarii numeri notam ſignabant. Profecto ubi apud Grut. p. CCCXIV. 1. legitur Σμιρναν E, Αλεξανδρείαν E; eruditi viri ex vero conjecerunt, ſub ea ſingulari littera E, latêre certamen *Quinquennale*, quod tamen revera quadriennio quoque abſoluto inibatur. Jamvero *Luſtrum* apud Latinos *quinque annorum* ſpatium erat; attamen ea vox ad ludos a Domitiano Graecorum more inſtitutos relata, nonniſi quadriennium abſolutum ſignificabat. Id aperte declarat Cenſorinus, quem hîc eo juvat exſcribere, quod inde Olympiadum cum luſtris Domitiani convenientiam docemur. Inquit is cap. XVIII. de D. N. Πενταετηρίδας *maxime notandis temporibus Graeci obſervant, id eſt, quaternum annorum circuitus, quas vocant Olympiadas: & nunc apud eos ducenteſima quinquageſima quarta Olympias numeratur, ejuſque annus hic ſecundus.* Annus ſecundus Olympiadis CCLIV. incidit in annum Ch. 238. quo anno Cenſorinus ſcribebat. Pergit Cenſorinus: *Idem tempus anni magni Romanis fuit, quod LVSTRVM appellabant*: & paucis interjectis: *Annus idem magnus per Capitolinos agonas coeptus eſt diligentius ſervari: quorum agonum primus a Domitiano inſtitutus fuit, duodecimo ejus & Ser. Cornelii Dolabellae conſulatu* (h. e. anno Ch. 86.). *Itaque hoc nunc anno qui celebratus eſt agon, undequadrageſimus numeratur.* Is ipſe eſt annus Ch. 238. quicum congruit annus ſecundus Olympiadis CCLIV. Luſtrum enim ſeu quaternio duodequadrageſimus ductus per 4. & additus anno Ch. 85. (anno enim inſequenti Domitiano XII. & Dolabella Coſſ. inchoatus eſt Agon Capitolinus) conficit ſummam 237. cui ſummae ſi addas annum illum, quo celebratus fuit *agon undequadrageſimus* a Cenſorino memoratus, conſit annus Ch. 238. Itaque Luſtrum Agonis Capitolini aeque ac Olympias quadriennii abſoluti terminus erat, utraque tamen celebritas & *quinquennale certamen*, & Πενταετηρὶς vocabatur.

plex, *muſicum*, *equeſtre & gymnicum*. Inſtitutio ludorum Capitol. facta eſt anno V. C. DCCCXXIX, ut ex Cenſorino conſtat, ſeu anno Ch. 86. Cum autem per luſtra, h. e. quarto quoque anno, inſtaurari ludum neceſſe fuerit; cuique patet colligere, ea certamina inſtituta anno Ch. 86, annis deinceps 90, 94, 98, 102, 106, 110, iteranda pro more fuiſſe. Atqui ex his luſtris, duo poſtrema, annorum ſcilicet 106. & 110. dumtaxat excurrunt media inter Olympiadem CCXXI & CCXXXIII. Itaque horum alterutro luſtro Archibius Romae certarit, neceſſe eſt.

Jamvero etſi Capitolinus Agon inter Olympiades CCXXI & CCXXIII medius inſeratur; veriſimile tamen eſt, illi quam huic Olympiadi propius acceſſiſſe. Sic enim in inſcriptione legitur: *Archibium*, *qui vicit* . . . . *Olympiadem CCXXI. & Romae magna Capitolina*, (vicit) *tertiam* (ſupra ducenteſimam viceſimam) *Olympiadem*. Sane qui ſic loquitur, is profecto dat intelligere, eàdem Olympiade CCXXI. etſi non eodem anno, inita fuiſſe Piſae quidem Olympia, Romae vero Capitolina certamina. Atqui Capitolina certamina, ut modo dicebam, inſtaurata fuere anno Ch. 106. & anno 110. hoc eſt luſtro *ſexto*, & luſtro *ſeptimo*; facto ſcilicet initio a prima Capitolini Agonis inſtitutione anno Ch. 86. Itaque luſtrum *ſextum* incidit in annum ſecundum Olympiadis CCXXI. & luſtrum vero *ſeptimum* in annum ſecundum Olympiadis CCXXII. Nunc ſi quis a me quaerat, de utro luſtro intelligenda ſit noſtra inſcriptio; equidem de eo luſtro, quod incidit in Olympiadem CCXXI, quîcum proxime connectitur Agon Capitolinus, de eo inquam luſtro, ſeu, ut preſſius loquar, de luſtro *ſexto* hîc verba fieri contenderem. Luſtrum enim ſeptimum congrueret cum anno ſecundo Olympiadis CCXXII. quae in lapide noſtro ne nominatur quidem. Quamobrem tuto affirmari poſſe reor, Flavium Archibium viciſſe Romae *Magna Capitolina* certamina anno Ch. 106. quo anno *luſtrum ſextum* ordiebatur.

Atque huic *luſtro ſexto* Capitolini agonis, neſcio quam praerogativam ultro deferunt antiqui lapides. Id certamen equeſtre erat, muſicum & gymnicum. Jam ex noſtra inſcriptione tenemus, ecquis luſtro ſexto athleta certando vicerit, qui ſane Flavius Archibius fuit. Porro quis in re muſica h. e. in poëticis meditationibus eodem luſtro vicerit, lapis Hiſtonii adhuc ſuperſtes oſtendit. Qui lapis poſitus *L. Valerio Pudenti* diſerte docet, hunc puerum (anno-

rum

rum erat XIII.) certamine Capitolino *luſtro ſexto* coronatum fuiſſe inter poëtas latinos. Sed inſcriptionem ipſam non omnino abs re fuerit producere in medium.

. . . .
VALE:
L. :
PVDEN:
H . . . .
IC·CVM·ESSET·ANNO:
RVM·XIII·ROMAE:
CERTAMINE·SACRO:
IOVIS·CAPITOLINI:
LVSTRO·SEXTO·CLA:
RITATE·INGENII:
CORONATVS·EST:
INTER·POETAS·LA:
TINOS·OMNIBVS:
SENTENTIIS·IVDICVM:
HVIC·PLEBS·VNIVER:
SA·MVNICIPVM·HIS:
TONIENSIVM·STATVAM:
AERE·COLLATO·DECREVIT:
CVRAT·REIP·AESERNNOR·DAT·AB
IMP·OPTIMO·ANTONINO·AVG·PIO

Duos poſtremos verſus hujus inſcriptionis immerito ſuſpectos habuit Reineſius. Enimvero νοθείας ſuſpicionem mihi omnino deter-

ſit (2) ampliſſimus Archiepiſc. Antonius Antinorius, qui per Excellentiſſimum Franciſcum Caracciolum e Bariſciani Marchionibus, cum Antinorio, ut morum integritate ac facilitate, ita ſtudiorum non vulgarium quidem communione conjunctiſſimum, haud ita pridem me certiorem fecit, eos verſus revera ſcalptos ineſſe marmori, quod hodiedum Hiſtonii in Frentanis contra aedes Januarii Ruzzi viſitur; non tamen omnino integrum, uti erat olim cum inde exemplar Gruteri (3) exceptum fuerat: nunc autem area ſcripti marmoris

(2) Nequeo ſatis intelligere, quamobrem Reineſio de lineis poſtremis duabus inceſſerit ſuſpicio: Fortaſſe quod ipſae non in commune cum ceteris, ſed privatim ſibi quodammodo conſulant, neque cum illis apte connectantur. Quod equidem ex parte negare non poſſum. Profecto ſi uno eodemque tempore univerſa inſcriptio ſcalpta fuiſſet, certe quidem grammatici canones alio ordine conſtituiſſent periodos; at ea epigraphe non uno, ſed diverſo tempore exarata fuit. Luſtro ſexto, hoc eſt, anno Chr. 106. vicit Valerius Pudens poëtica certamina, eoque titulus marmoreus cum ſtatua in laureae poëticae memoriam dicatus illi fuit; at cum diu poſtea ab Imper. Antonino (qui ab anno Chr. 138. ſuſcepit imperium) *datus* fuerit *Curator Reipublicae Aeſerninorum*; id factum a civibus ſuis, quod omnium facillimum fuit; hoc eſt, in extrema vacui marmoris ora hoc alterum honoris incrementum, veluti mantiſſa quaedam, additum conſulte fuit, ut ſimul oſtenderetur, Pudentem non magis otio poëtico, quam civili negotio valuiſſe. Sane non omnino inſolens fuit, ut marmoribus antiquitus exaratis additum quid poſtea recentiori manu fuerit. Vide Gruterianam inſcriptionem p. MXIX. 8. cujus pars ſuperna ſub Trajano, inferna ſub Theodoſio, longo ſcilicet poſt intervallo temporis, ſcalpta fuit. Ad rem vero noſtram quod attinet; quod duae poſtremae lineae diverſo tempore inſcriptae fuerit; id inquam vel ex eo confirmari poterit, quod graciliores ceteris aliquanto ſint, & litteris ſpiſſioribus inciſae; ut ſcalpentis diverſam & manum & aetatem plane referant.

(3) In Grutero p.CCCXXXII.3. ſic legitur: *L. Valerio L.F. Pudenti. Hic cum eſſet* &c. Nec ſecus edidit Panvinius, Scaliger, aliique quamplurimi. At nunc Valerii genitor, abſciſſo in parte dextera lapide, non amplius comparet. De *Pudentis* familia nihil habeo dicere, niſi quod mihi venit in mentem *Pudentis* illius, cujus meminit marmor quod editum a Grutero p. MCXVIII. 6. exſtat hodie in Muſeo Seminarii Nolani; *Nardus Poeta Pudens hoc tegitur tumulo*. Non equidem *Pudentem*, qui in hoc pentametro memoratur, eumdem ac ille alius cognominis Hiſtonienſis, eſſe contendo: at hoc unum notatum volo, lauream poëticam fuiſſe huic familiae domeſticam. Nemo tamen mihi eripiet, quin ille *L. Valerius Pudens*, qui titulum poſuit *L. Agrio* fratri apud Grut. MCXI. 7. idem omnino ſit ac noſter Pudens Hiſtonienſis. Ac tempora quidem conveniunt. Hic enim *Agrius* veſtiarius tenuiarius fuit Imp. Antonini Pii; illius ſcilicet Caeſaris, qui *Pudentem* Hiſtonienſem dederat Curatorem Reip. Aeſerninorum. *Veſtiarius tenuiarius* ille erat, qui veſtes tenuiores conficiebat; de quo vide Salmaſ. in Hiſt. Aug. Id genus artifex

moris παραλληλογράμμου nonnihil ex jactura anguli dextri denormatur. Sic ſane habet exemplar, quod ad fidem ſuperſtitis marmoris quam accuratiſſime expreſſum Praeſul Antinorius humanitate mihi ſua commodavit. Sed quo pertinet illa luxata litterarum L & H diſpoſitio? Tantane ſcalpenti alienatio mentis, ut nec opinans aberret e ſemita, tam ſupina incogitantia? Contra ſi ejus in reliqua ſcriptione ſtudium, curamque quantam maximam aeſtimaveris; nequeas ſatis mirari & conjicere, quî factum fuerit, ut in primis ille verſibus nullam, in ſequentibus totam intenderit diligentiam. Num quia ſcalptor, quod delineatum in marmore repererit, ipſe manu ſequaci ita prorſus effinxerit; itaque quicquid peccatum id eſt, peccatum lineationis, non ſculpturae fuerit? Ita ſane ſentio.

Nam mihi nunc in ea re veterum πολυπραγμοσύνη (*curioſa ſedulitas*) venit in mentem; qui quidem, antequam incideretur inſcriptio, eam, ut ex artis praeſcripto delinearent, ſuis artificibus committebant. Profecto erant olim officinae peculiares, quae nonniſi incidendis epigraphis operam locabant ſuam. Id opportune didici ex quodam ſingulari programmate, quod in elegantiſſima ſylloge inſcriptionum Panormitanarum, editâ Panormi anno 1762. proſtat num. XXXVII. in hunc plane modum; niſi quod elementa *Epſilon* & *Sigma* non ut olim ad angulum normata conſiſtunt, ſed, ut poſtea uſus invaluit, ſic in arcus effigiem ſinuantur, C, Є.

ΣΤΗΛΑΙ ΕΝΘΑΔΕ ΓΥΠΟΥΝΤΑΙΚΑΙ ΧΑΡΑΣΣΟΝΤΑΙ ΝΑΟΙΣΙΕΘΡΟΙΣ ΣΥΝΕΝΕΡΓΕΙΑΙΣ ΔΗΜΟΣΙΑΙΣ	TITVLI HEIC ORDINANTVR ET SCVLPVNTVR AIDIBVS SACREIS CVM OPERVM PVBLICORVM

Tametſi Panormitana inſcriptio reprehenſioni (4) pateat, juvat hoc

artifex rurſus occurrit apud Grut. DCL. 8. & MLXVII. 8.

(4) Graece Latineque dominus officinae programma propoſuit, ut quam quiſque vellet linguam, in hac ſe exercitum venditaret; tametſi neutram apprime

hoc tamen, quod nobis ſedulam antiquorum in ſculpendis inſcriptionibus diligentiam ſiſtat ob oculos. Ergo non temere veteres nec imparati quidem ad ſcalpturam accedebant; ſed capta prius proportione

prime calleret: ut ceteroqui familiare eſt hujus loci hominibus, qui exacte ad artis praecepta loqui, caſtigateque ſcribere, non magni ducunt. Vt ecce quis illud *Cum Operum Publicorum* ſtomacho nauſeante concoqueret? Praeterea quod τὸ *Ordinantur* graece redditur Τυποῦνται, aegre id quoque ferri poteſt; cum tantum diſcriminis inter utrumque actum interſit, quantum τὸ *in ordinem redigere* diſtat a *delineare*. Jamvero *Aedes*, ſicubi Numinis templum ſignificat, recte cum additamento *Sacra*, ad profanarum utique diſcrimen aedium, uſurpatur. At cum Ναὸς unice ſacram aedem notet, quid attinuit in breviſſima epigraphe (ubi modeſtia praecipue, ac verborum parſimonia commendatur) τὸ ἱερὸν addere? addidit autem ſcalptor, quia binis vocabulis latinis, nim. *Aedibus Sacris*, totidem graeca ſibi appendenda eſſe crediderit, nempe Ναοῖς ἱεροῖς. Mitto quod pro ἱεροῖς mendoſe exaretur in marmore ιεθροις· & ſupra Γυπουνται pro Τυποῦνται· Levia quidem iſthaec ſunt, ſed quae ſimul omnia negligentem ſcribentis operam arguunt. His adde quod perperam *Opera Publica* autumarit verti graece poſſe Ἐνεργείας Δημοσίας. Puerile peccatum; & inde fortaſſe ortum, quod aeſtuans, quî τὸ *Opera Publica* graece redderet, olim inciderit in gloſſas aliquot Latino-Graecas, ubi τῷ OPVS e regione reſponderet τὸ ΕΝΕΡΓΕΙΑ. Et probe; ſi quidem *Opus* artificium efficaciamve notet; at ſi ad ſignanda aedificia traducatur, non item probe. Sed ſcalptor de duplici *Operis*, eâque diverſa notione nihil olfaciens, OPERA PVBLICA, cujuſmodi ſunt Fora, Porticus, Theatra, Balnea, ſumma ſecuritate vertit ΕΝΕΡΓΕΙΑΣ (pro Οἰκοδομίας, Κατασκευὰς, vel tale hujuſmodi) ΔΗΜΟΣΙΑΣ. Simile quid peccavit auctor lepidae cujuſdam inſcriptionis, quam multis abhinc annis legi in tabula topographica urbis Romae in aes inciſâ & quidem cum ingenti voluptate ſaepe luſtravi. Ibi ſculptor, ut graecanicam ſuam eruditionem oſtentaret, incîdit: ΡΩΜΗ ΚΕΦΑΛΗ ΚΑΘΑΡΟΥ. In mente habuit dicere: *Roma Caput Mundi*: Sed homo noſter ſimplicitate incomparabilis, deceptus lexico, ubi *mundus* (adjectivum quidem, non ſubſtantivum, ut grammatici loquuntur) reddebatur Καθαρὸς, ipſe ſibi ſuiſque Muſis graecis plaudens, exaravit Ῥώμη κεφαλὴ καθαροῦ. Atque de his hactenus; quibus aliquantulum immoratum, nondum poenitet; & quidem multis de cauſis. Ac primo, ut de Panormitani marmoris aetate qualiſcumque conjectura fiat, tunc forte ſcalpti, cum utraque lingua extremo fato proxima e lexicis addiſcenda relinquebatur: nam quod ex vetuſta ſcribendi ratione, AIDIBVS SACREIS, poſſet de remotiore marmoris antiquitate capi argumentum, id quidem meâ ſententiâ nihili eſt: atque adeo id ſcribentis inelegantiam oſtendit, qui vel fugatâ jampridem orthographiâ veterum, ipſe caſcum adhuc & inconcinne ſonabat. Praeterea ut adoleſcentuli hinc docti experientia ſibi perſuadeant, non omnia, quaecumque monumentis exeſis tradita ſunt, eſſe tamquam exacte ſcalpta, buccis crepantibus ad caelum uſque efferenda. Veteres enim juxta ac juniores quiſque ſuos paſſi ſunt manes.

portione marmoris, ordinabant linearum verſus ac delineabant. Eo ſane pertinent verba *ordinare* & *ſculpere*, ſeu τυποῦν & χαράσσειν. tum demum lineationis veſtigia ſcalpro mordebant. Delineatio autem non ipſo in marmore, ſed utique ſeorſim in charta pingebatur; ſi quidem ex iis, quae hodiedum obtinent, liceat, quid olim factitatum fuerit, conjecturam facere. Enimvero noſtri homines, ſi quid eleganter inſcriptum volunt; in chartâ marmoris longitudini ac latitudini reſpondente, delineant primum litteras; tum poſtea litteris acu punctis, applicitâque marmori chartâ, affundunt per illa pertuſarum litterarum foramina pulverem atratum vel rubricatum; qui pulvis marmori adhaereſcens, normae eſt quadratario, quâ circumagere & imprimere ſcalprum, quâ ſuſpenſum gerere debeat. At enim nihil eſt aeque facile, aut magis proclive, ni caveris, quam, ut altera manus chartam marmori applicans, alterâ interim ſpargendo pulveri intentâ, ſurſum deorſum inſperato fluitet: quo fit, ut chartâ pariter emotâ, atramentum vel rubrica, ubi non eſt opus, inſpergatur. Atque ea quidem praepoſtera lineatio fuiſſe in cauſa videtur, quamobrem primi verſus in marmore Hiſtonienſi, cujus gratia in hanc indaginem excurrimus, luxatas loco ſuo nonnullas exhibeant litteras; non aliam, inquam, ob causam, niſi quia ſcalptor lineatione hujuſmodi ludificatus, litteras ſede non ſua exaravit. Fortuito igitur ac praeter opinionem accidit, ut litterae non recte linearentur in marmore; ut porro perperam quoque incîderentur, fecit id ſcalptor, abnormis plerumque ſapiens; qui ſignata veſtigia ſulcare contentus, nihil ultra quaerere allaboravit. Verum haec ὁδοῦ πάρεργον.

Ergo ut in viam redeam; ſedulo notanda ſunt in marmore Hiſtonienſi verba illa *Certamine Sacro Jovis Capitolini*. Illud *Sacro* non ſuperfluum quidem eſt; ut ſane videri poſſet reputanti, nullos olim agonas religione ſua fuiſſe deſtitutos: ſed utique cum judicio appoſitum. Profecto non quaevis certamina indiſcriminatim, ſed illa omnino, quae favor Imperatorum ſacris quatuor Graeciae certaminibus aequarat, *Sacra* perhibebantur. Certamen ergo *Sacrum* & Certamen *Iſelaſticum* aequis paſſibus incedebant; ut Sect. IV. ubi de Antiochenſi & Alexandrino agone, oſtendam. Conſulto itaque ſcalptor noſtrae inſcriptionis, ut initio Sectionis hujus monebam, Capitolina certamina Olympicis inſeruit; utraque enim *Sacra* erant, utraque *Iſelaſtica*.

SE-

S E C T I O II.

De Heracleenſibus Epiniciis.

Heracleae Epinicia Trajani in Bithynia eſſe quaerenda; ac fortaſſe primum edita a Plinio Procoſ. Bithyniae. Iſelaſtica *a Trajano facta. Haec certamina* Heracleotis *communia fuiſſe cum* Tianis.

POſt Olympicos at ante reliquos ſacros Graeciae agones ſignantur ΕΠΙΝΙΚΙΑ Trajani Imperatoris: quae *Epinicia* ceteris anteferri certaminibus, majeſtas optimi Principis Romanorum poſtulabat. Itaque ea ludrica Olympicis palmis, queis nihil erat in terris auguſtius, de via decedunt quidem; ceteris vero facem praeferunt. Jamvero etſi de loco, ubi ea fuerint inita, quaeri adhuc poſſet (5); tamen eo inclinat animus, ut in aliqua urbe Heraclea (6), ac fortaſſe Bithynica (7), commiſſa fuiſſe credam. Haec de

(5) Quaeri ſedulo illud poſſet, num τὸ ΗΡΑΚΛΕΙΑ, proprium ſit urbis nomen, an potius appellativum. Ut appellativum magis crederem, ſuaderet illud nimirum, quod abſit *Jota* adſcriptum; quod additum oportuiſſet, ſi urbis proprium nomen eſſet; ſcilicet ἐν ΗΡΑΚΛΕΙΑΙ. Huc etiam faceret, quod docet Pollux III. ſegm. 155. Ἤδε δέ τινες τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας, σεμνότερον Ἡρακλείους ἐκάλεσαν. *Nonnulli gymnica certamina auguſtius Herculea vocaverunt*. Itaque in hanc ſententiam junctim legendum videretur, ΗΡΑΚΛΕΙΑ ΕΠΙΝΙΚΙΑ, *Herculea Epinicia*, h. e. ipſi gymnici agones. Vide adnot. ſeq.

(6) Si τὸ ΗΡΑΚΛΕΙΑ appellativum nomen eſſet, porro quidem, *Herculea* Trajani *Epinicia* ubinam gentium commiſſa fuerint, plane ignoraretur. Quidvis ergo potius a me impetrari ſinerem, quam ut urbis nomen hîc omiſſum crederem. Quamobrem libens ἐν ΗΡΑΚΛΕΙΑ *in urbe Heraclea* conquieſco; a qua voce etſi jota adſcriptum deſit, cum tamen defectum paſſim in vett. lapp. & rurſus in verſu 27. hujus inſcriptionis, offendes; ut in *Ratione Supplementi* ante monui. Ceterum quamquam ſaepe diligentiam noſtri ſcalptoris commendavi ſatis, eſt tamen ubi quid humanitus ſit paſſus. Vide verſum 18. ubi pro Παλὴν Παγκρατιον exaratur Παλη Παγκρατιον. Mendoſe.

(7) Ex pluribus Heracleis (viginti enim cognomines recenſet Stephanus Byzantinus) omnium celeberrima fuit *Heraclea* Pontica in Bithynia. Porro diſcriminis cauſsâ additamentum aliquod unicuique Heracleae, unde una ab altera dignoſceretur, plerumque appingi ſolebat. At ubi diſcriminantes notae deſunt; quemadmodum praeſtantiſſimum quodque in ſuo genere ſemper eſt intelligendum; ſic ex Heracleis illa, quae in Bithynia provincia cenſebatur, ac ſupra ceteras cognomines eminebat, omnino hîc capienda. Accedit quod in Bithynia proconſul fuerat Plinius, Trajani nomini devotiſſimus. Is in provincia agebat anno Ch. 102. cum Imperator

de loco; de tempore autem certiora ſunt indicia. Ex cognominis *Dacici* Trajano parti argumento, & ex Heracleotici ludi cum Olympico comparatione facile aetas definiri poteſt (8).

Sed quae de Heraclea Pontica affirmavi; ut ſint veriſimilia, ſolâ tamen nituntur conjectura. Dolebat interim, nihil alicunde me extundere potuiſſe, quod ea de re explorate dicerem. Nuper cum jam ſuperiora ſcripſiſſem; in Plinii Epiſtolas opportune incidi; unde rem, quam ceteroqui conjectando tetigeram, intellexi totam. Animadverti enim, Heracleam noſtrae inſcriptionis non alibi, quam in Ponto quaerendam eſſe; ac praeterea *Epinicia Trajani* eſſe illos ipſos *Agonas* quinquennales, quos de nomine *Trajani* Plinius Heracleae inſtituere meditabatur. Quid plura? ipſum Plinium Trajano ſcribentem audiamus: *Julius* (inquit Epiſt. X. 81.) *Domine, Largus ex Ponto* (9); *nondum mihi viſus, ac ne auditus*

Imperator victo Decebalo jam ſalutatus erat *Dacicus*: ludi ob eam victoriam paſſim inſtructi. Ubinam quaeſo & magnificentius & apparatius edita certamina ſuſpicabimur, quam ea in provincia, ubi Plinius tubicen Trajani laudum, inſonuerat?

(8) Ecquando haec certamina commiſſa fuerint, non eſt exploratu difficile. Trajanus hîc *Dacici* cognomen gerit, non item *Parthici*. Hic autem Imperator ſalutatus fuit *Dacicus*, anno ejus imperii quarto aut quinto, ſeu anno Ch. 101. vel 102. at *Parthicus*, anno 116. Vide pag. 37. adnot. 1. Itaque inter utramque victoriam, *Dacicam* ſcilicet & *Parthicam*, ſeu inter annum Ch. 102. & 116. conferenda ſunt haec *Epinicia*. Epinicia autem agonalia, ut nominis ipſius fert etymologia: ob relatam victoriam edebantur. Ergo quam aliam ob victoriam haec *Epinicia* Trajani, niſi ob *Dacicam*, unde cognomen *Dacici* partum Imperatori fuit, commiſſa putabimus? Atque haec de certaminis Heracleotici inſtitutione. Nunc ſi quis a me, quonam preſſius anno Flavius noſter coronatus ibi fuerit, curioſe inquireret; equidem ejus victoriam anno ſecundo vel tertio Olympiadis CCXXIII. h. e. anno Ch. 114. vel 115. facile conſignarem: nec ſerius quidem; etenim anno inſequenti Trajanus jam *Parthici* cognomen (quod abeſt ab inſcriptione noſtra) Senatu probante gerebat: Nec citius; eo quod ineunte Olympiade CCXXIII, ſeu anno Chr. 113. cum *imberbibus* Olympiae certavit; at in Heracleotico gymnaſio compoſitus cum *viris* in pancratio fuit. Vide, quae de comparandorum ludorum cum Olympiadibus ratione diſſerui ſupra pag. 44.

(9) Olim Ponti regnum extra Bithyniae, ubi Plinius Proconſulem agebat, limites erat: ſed poſt debellatum Mithridatem maximam partem additum Bithyniae a Pompejo Magno fuit, ut *ex utriſque una conſtaret provincia*; inquit Strabo XII. p. 541. Quod mox rurſus inculcat Geographus pag. 543. de Heraclea Pontica verba faciens: ἡ δὲ πόλις (inquit) ἐςὶ τῆς Ποντικῆς ἐπαρχίας τῆς συντεταγμένης τῇ Βιθυνίᾳ, *urbs eſt Ponticae*

auditus quidem , ſed judicio tuo credens , diſpenſationem quamdam mihi erga te pietatis ſuae miniſteriumque mandavit . Rogavit enim teſtamento , ut hereditatem ſuam adirem cernerem que ; ac deinde perceptis quinquaginta millibus nummûm , reliquum omne Heracleotarum ac (10) *Theanorum civitatibus redderem , ita ut eſſet arbitrii mei , utrum opera facienda , quae honori tuo conſecrarentur , putarem ; an inſtituendos quinquennales Agonas , qui Trajani appellentur . Quod in notitiam tuam perferendum exiſtimavi ob hoc maxime ut diſpiceres , quid eligere debeam .* Nimirum animi pendebat Plinius , utrum Heracleae opera publica , an quinquennales agonas ex legato Largi inſtrueret . Primum horum an alterum exſecutus ille fuerit , per ejus epiſtolas ignorare liceat . Nec porro ex Trajani reſponſione doctiores evadimus : Sic enim conſulenti Plinio Imperator nulla re certa propoſita reſpondit : *Ipſe diſpice ; & quod optimum exiſtimaveris , inſequere .* Sed recte eſt , quod noſtra inſcriptio , quo tandem inclinarit perplexa Plinii ratio , ſatis ſuperque docet . Hinc enim evincitur , ex duobus , quae erant in ancipiti , hoc alterum maluiſſe Plinium ; ſcilicet ut certamen agoniſticum ornaretur Heracleae . Et ibi quidem editos fuiſſe agonas , inde datur intelligi , quod e ludis

Ponticae provinciae , quae Bithyniae eſt adjecta . Hinc ſane intelligitur , quamobrem Julius Largus , homo Ponticus , de bonis ſuis in gratiam Ponticorum hominum teſtaturus , oculos in Proconſulem Bithyniae conjecerit: nimirum quia Ponticus jurisdictioni Proconſulis Bithyniae ſuberat .

(10) *Theanorum* . Mendoſe . Corrige *Tianorum* . Profecto ΤΙΑΝΩΝ in aereo nummo ſuo legi Urſinus in Polyb. legat. LIX. teſtatur . Urbs ipſa Τίος Stephano dicitur . Τήϊον nunc legitur apud Strabonem ; ſed eodem monente Stephano Τίειον emendandum. Hoc leve ; illud gravius , quod *Tios* aetate Strabonis , oppidum erat inglorium , nec ſatis dignum , ut operibus publicis , vel quinquennalibus agonibus ornaretur . Sic enim Geographus proxime ab prolixa Heracleae deſcriptione loquitur XII. pag. 543. Τήϊον (corr. Τίειον) ἤδη πολίχνιον οὐδὲν ἔχον μνήμης ἄξιον , *Tiium nunc eſt oppidulum , nihilque habet memoratu dignum* . Quamobrem ut ſua Straboni fides , ut Julio Largo conſtet judicium ; credere par eſt , vel in altiorem fortunam ſub Trajano Imp. adſurrexiſſe Tium ; vel ita Largum bona ſua civitatibus Heracleotarum ac Tianorum univerſim reliquiſſe , ut utrubi agones operave publica ſiſterentur , par foret in commune utrorumque civium uſus ac facultas . Eadem prope ſocietas in ludorum negotio & communio pagis Herculaneo ac Jovo fuiſſe deprehenditur in vetuſta inſcriptione , in quam erudite commentatur Mazochius in Camp. Amphith. pag. 148. ſeqq. Porro major fortuna ac frequentia Heracleae a Plinii arbitratu , opinor , expreſſit , ut ibi potius quam in obſcuro oppidulo *Tio* beneficia Largi locata vellet .

ludis Heracleoticis Fl. Archibius victor diſceſſerit: hos vero agonas e nomine *Trajani* fuiſſe nuncupatos, ipſa ludorum nomenclatio, ΕΠΙΝΙΚΙΑ ΤΡΑΙΑΝΟΥ luculenter oſtendit; quae alibi, ni fallor, ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ dicebantur, ut cernere eſt in inſcript. Reineſii. Cl. V. 20.

Jamvero & illud me puto facile ſuaſurum lectori, certamen hoc Heracleoticum a Trajano *Iſelaſticum* fuiſſe factum. Plinius enim eodem lib. X. Epiſt. 125. Trajano ſcribens inquit: *Iidem* (athletae) *obſonia petunt, pro eo agone, qui a te Iſelaſticus factus eſt*. Victores enim certaminis iſelaſtici, praeterquam quod triumphali apparatu invehebantur in urbem; hoc amplius, obſonia e publico referebant. Verum quis fuerit hic agon, ubive commiſſus; abſque noſtro marmore foret, mera fuiſſet divinatio. Enimvero ex his quae modo de certamine Heracleotico diſſerebam, argui facile poterit, Procos.Plinium arbitratu quidem ſuo hereditatem Largi in committendos Heracleae ludos quinquennales impendiſſe; at Trajanum eos ludos nomini ſuo inſtitutos, ut Plinii judicium indulgentia ſua probaret, in poſterum feciſſe *Iſelaſticos*.

S E C T I O III.

De Pythiis, Nemeis & Iſthmiis ludis.

Pythiades cum Olympiadum annis compoſitae. Pauſanias emendatur. Nemeis & Iſtmiis, quamvis trieterica forent, quo ſenſu pentaëteris *imputetur. Plinius & Auſonius a Scaligeri, Harpocration a Mauſſaci criminationibus abſolvuntur. Quod* Pentaëteris *interdum non pro quinquennali ſpatio, ſed pro quavis recurrente periodo feſti conventûs, vulgari idiotiſmo accipiatur.*

SEquuntur ex ordine reliqui tres ſacri Graeciae agones, Pythici, Nemei atque Iſthmici. Ex ordine, inquam: etenim hac plerumque ſerie apud Scriptores veteres, & in inſcriptionibus accurate elaboratis enuntiantur; ſed nec aliter quatuor odaria Pindari in totidem hieronicarum claſſes concinnata, digeruntur.

Et PYTHIA quidem, quamvis hodie in ſciſſo marmore non compareant, non defuiſſe tamen, procul dubio perſuadent verba illa versûs 15. -- ΤΗΙ ΕΞΗΣ ΠΥΘΙΑΔΙ, ut in *Supplementi*

Ratione praefatus antea fui. Semel ergo, iterum, atque adeo tertium vicit Pythia Flavius; ſed quota ea quaeque Pythias fuerit, quis tuto divinare poterit? Attamen nulla mihi, puto, fuerit invidia, ſi quid conjiciendo proponam in medium. Pythia olim, Cenſorino teſte de Die Nat. 18. poſt annum octavum inſtaurari ſolebant; poſtea anno tertio Olympiadis XLVIII. facta ſunt pentaëterica; ac tandem ſequenti Pythiade, h. e. anno tertio Olymp. XLIX, auloedorum certamine (11) abrogato, agon evaſit ϛεφανίτης, *coronarius*; ut Pauſanias in Phoc. 7. refert: qua lege Pythicus agon non ſolum editione certaminum, ſed etiam praemio ipſo plane aequatus eſt Olympico; uſque adeo ut nulla de Pythiadibus praecedentibus ratione amplius habita, ex anno 3. Olympiadis 49. numerari Pythiades coeperint: ut optime Scaliger de Emend. Temp. I. pag. 52. productis Chronici Euſebiani, & Scholiaſtae Theocriti aucto-

(11) Cur αὐλωδίαν e ludis Pythicis ſublatam Amphictyones voluerint, illud in cauſa fuiſſe narrat Pauſanias loco citato; quod triſte quid ac male ominatum tibiae portenderent; ad tibias enim funebres modulationes atque elegi canebantur: idque ſe probare poſſe confidit hac vetuſta inſcriptioue incisâ tripodi, quem e Pythicis ludis ſibi partum Echembrotus Herculi dicarat. Ἐχέμβροτος Ἀρκὰς ἔθηκε Ἡρακλεῖ νικήσας τόδ᾽ ἄγαλμ᾽ Ἀμφικτυόνων ἐν ἄθλοις Ἔλλησι δ᾽ ἀείδων μέλεα καὶ ἐλέγους. *Echembrotus Arcas dedicavit Herculi hoc ſignum quod vincendo retulit ex Amphictyonum ludis, cantans Graecis modulos & elegos*. Atqui ad Nili catadupa natum oportet, qui non harmoniam carminiſque concentum in hiſce Graecis perſentiſcat. Et tamen nemo hactenus Pauſaniae verba, ita uti carmina referrent, emendavit ordinavitque. Ea ſic igitur conſtitue:

Ἐχέμβροτος Ἀρκὰς ἔθηκε Ἡρακλεῖ
Νικήσας τόδ᾽ ἄγαλμ᾽ Ἀμφικτυόνων ἐν ἀέθλοις
Ἔλλησιν δ᾽ ἄδων μέλεα καὶ ἐλέγους.
Echembrotus Arcas dedicavit Herculi
Signum hoc, quod Grajis modulos elegoſque canendo
Olim Amphictyonum vicerat in ſtadio.

Prima inſcriptionis verba ſunt ἄμετρα *non adſtricta metro*; quemadmodum epigrammatis de Phormide Maenalio τὰ πρῶτα οὐ σὺν μέτρῳ, *priorem partem metro ſolutam*, notat idem Pauſanias Eliac. I. 27. De qua veterum Graecorum in ſcribendo libertate memini me alibi locutum. Pro ἄθλοις & ἀείδων ſcripſi quam minima mutatione ἀέθλοις & ἄδων, quam ceteroqui neceſſariam fuiſſe metricae leges oſtendunt. Jamvero quod prima vocalis in μέλεα producatur, id non omnino inſolens eſt; breves enim ſequente ſemivocali liquida non raro productae comperiuntur.

auctoritatibus primus omnium oſtendit. Quam quidem viri magni ſententiam ingenti plauſu paſſim exceptam, ſed a nemine conteſtatam, nova graviſſimi ſcriptoris auctoritate confirmatum eo ſeorſum (12). Itaque cum Pythias prima in annum tertium Olympiadis 49. inciderit, facile cuique datur ex certa Pythiade Olympiadem eruere, vel contra. At in noſtro marmore Pythiades obſcurae incertaeque ſunt; niſi quod levia quaedam veſtigia poſt ſe relinquunt impreſſa, unde monſtratur iter ad Olympiadas inveſtigandas, non omnino deſperandum. Tres ergo continentes Pythiadas, eaſque in certamine *virorum* exercitas, exhauſit Archibius; ac totidem vicibus in Olympia luctatus eſt cum *Viris*. Primum componamus tria haec Pythica certamina cum Olympicis ludis, itidem certamina *virorum* referentibus. Porro cum in more poſitum fuerit, quemadmodum Capite ſuperiore demonſtravi, ut athletae καθ' ἡλικίας, *per aetates*, hoc eſt pueri cum pueris, imberbes cum imberbibus, ac viri cum viris committerentur; veriſimile eſt, Flavium, qua aetate *vir* in Olympia certavit, eâdem Pythicos agonas obiviſſe. Atqui ille in Olympia *vir* certavit Olympiadibus 224, 225, & 226; patet igitur Pythia illum viciſſe, quae Olympiadibus deſcriptis e regione reſpondent, hoc eſt, Pythiadibus 176, 177, & 178. Jamvero ſi & in Nemeis & Iſthmicis ludis eadem aetatum comparatio cum Olympiadibus reſpondentibus inſtituatur, facile Nemeadas ipſas & Iſthmiadas inveneris.

Sequuntur NEMEA, ac poſtremo ΙΣΘΜΙΑ. Et *Iſthmiorum* quidem certaminum ludi genus quo certavit Flavius, adhuc incolume ſupereſt verſ. 18. ἀνδρῶν παγκράτιον· ſed vox ipſa Ἴσθμια cum marmore fracto evanuit. Equidem in *Supplementi Ratione*, vocem

(12) Pauſanias in Phocicis cap. 7. meminit Pythiadis XXIII. eamque cum Olympiade LXXI. compoſuiſſe videtur: Τρίτῃ δὲ Πυθιάδι ἐπὶ ταῖς εἴκοσι προσετίθεσαν ὁπλίτην δρόμον, καὶ ἐπ' αὐτῷ Τιμαίνετος ἐκ Φλιοῦντος ἀνείλετο τὴν δάφνην, Ὀλυμπιάσιν ὕστερον πέντε ἢ Δημάρετος Ἡραιεὺς ἐνίκησε. *Viceſima autem tertiâ Pythiade acceſſit armatorum curſus: de quo lauream reportavit Timaenetus Phliaſius, Olympiadibus quinque poſtquam vicerat Demaretus Heraeenſis*. Demaretus autem eodem Pauſania Eliac. II. 10. teſte, vicit Olympiade LXV & LXVI. Cui poſtremo numero ſi quinque addantur Olympiades, quot inter victoriam Demareti & Timaeneti excurrerunt, conſit ſumma LXXI. Itaque Olympias LXXI, ex Pauſaniae ſupputatione, congruit cum Pythiade XXIII. Jamvero ſi hunc Olympiadum ac Pythiadum numerum paullatim ex aequo imminuas; profecto comperies primam Pythiadem cum Olympiade XLIX ſociam incedere.

vocem ΙΣΘΜΙΑ hoc loco reſtituendam eſſe innui ; hac maxime ratione fultus , quod *Iſthmia* quoque cum tribus reliquis Graeciae ludis viciſſe oporteat Archibius , ſi quidem is περιοδονίκης , *periodi* (quo nomine quatuor ſacra Graeciae certamina veniebant) *victor* revera fuerit . Profecto Archibius noſter diſerte περιοδονίκης in epigraphe non dicitur ; attamen aequipollente nomenclatione , ac fortaſſe ambitioſiore , donatur , ſcilicet παραδοξονίκης q. d. *incredibilis victor*, quae ſane vox ad imaginem τοῦ Περιοδονίκης (*) efficta, majus quid & admirabilius ſubjicit animo conſiderandum ; ita ut qui dicatur παραδοξονίκης , quin ſimul etiam περιοδονίκης fuerit , difficile ſit non credere .

Hoc autem Nemea & Iſthmia peculiare habent , quod non quinquennalia , ſed prorſus erant trieterica , hoc eſt , altero quoque abſoluto anno , tertioque inchoato inſtaurabantur . Sed quid Plinio IV. 5. Auſonioque Idyl. 25. faciemus , qui Iſthmia *quinquennalia* dicunt ? Scio equidem ab ingenti Scaligero De emendat. Temp. I. Plinium & Auſonium eo nomine vapulaſſe ; nec exſtitit adhuc qui non Scaligerianam licentiam aemulatus in eos acerbius inſurrexerit . Verum nihil aeque nauſeat , quam ubi graves auctores de rebus ſui temporis teſtimonia ferentes , falſitatis inſimulantur . Atqui criticos noſtros ab ea intempeſtiva criminatione conſenſus aliorum praeterea ſcriptorum , veterumque lapidum, deterrere facile potuiſſet . Profecto enim exſtat apud Capacium Hiſt. Neap. cap. 16. alioſque plurimos (13) Neapolitana in-

(*) Quid ſit *Periodonices* , & *perihodum vincere* , ex Feſto aliiſque ſcriptoribus docet Caſaubonus ad Athen. X. 3. Summa huc redit : Quatuor ſacra certamina Olympia , Pythia , Nemea , Iſthmia , tamquam quidam ſpectaculorum *circuitus* , Περίοδος , dicebatur , & victor ipſe περιοδονίκης . Alii Graeciae ludi extra *Periodum* erant ; hinc Plutarchus de Theagene : οὐ μόνον τὴν περίοδον νενικηκὼς , ἀλλὰ καὶ πολλοὺς ἀγῶνας , *non ſolum ex periodo* (h. e. quatuor ſacris certaminibus) *victoriam reportavit* , *ſed ex multis aliis*. Hactenus ex Caſaubono .

(13) Reineſius Cl. V. 22. Sponius Erudit. Antiquit. Sect. X. num. 110. Van-dalius , aliique hanc Neapolitanam inſcriptionem produxerunt in medium , ſed alius alio intentus difficultatem quae ex *Pentaëteridis Iſthmiae* mentione oriebatur , pede ſuſpenſo praeterierunt . De Corſino qui rem etſi negligenter animadvertit , dicam adnot. ſeq. Jamvero eadem haec epigraphe , ut me Cl. V. Cajetanus Capycius Cler. Reg. Regius Ethicae in Neapol Gymnaſio profeſſor , mihique amiciſſimus opportune monuit , recitatur a Fabio Jordano ſcriptore rerum patriarum non indiligente in ſuis commentariis MStis,

inſcriptio, quae inter alia T. Flavii Artemidori certamina recenſet & Iſthmia in hunc plane modum: ΙΣΘΜΙΑ ΑΓΕΝΕΙΩΝ ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΝ · ΚΑΙ ΤΗΙ ΕΞΗΣ ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΔΙ ΑΝΔΡΩΝ ΠΑΛΗΝ ΚΑΙ ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ · ΚΑΙ ΠΑΛΙΝ ΑΝΔΡΩΝ ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ ΠΡΩΤΟΣ ΑΝΘΡΩΠΩΝ. (Vicit) *Iſthmia imberbium pancratium; & ſequenti PENTAETERIDE virorum luctam & pancratium: & rurſus virorum pancratium primus hominum*. Jam vel me tacente quivis intelliget, quanti ad id, quo de agimus, conficiendum momenti ſit haec inſcriptio, quae non ſecus ac Plinius, πενταετηρίδα Iſthmiis aſſignat. Hîc autem fruſtra eſſe mihi Corſinus (14) videtur, qui bifariam dividit *pentaeterida*, ratus Artemidorum in toto eo quadriennio ſemel atque iterum Iſthmia viciſſe: hoc enim eſſet, nodum incîdere non ſolvere. Fuerint Iſthmia trieterica; nec equidem nego: ſed Plinium *quinquennalia* facientem, falſitatis abſolvendum eſſe contendo; qui voce *quinquennii* ſeu *pentaëteridis* uſus eſt, non ad numerum quidem exigendae, ſed utique ad vulgi captum & conſuetudinem accommodandae. Exploratum enim eſt, plurima Graece Latineque eſſe vocabula, quae a numero, qui prius obtinebat, mutuata ſunt nomina; ſed poſtea imminuto vel aucto eo numero; tamen invariata manſerunt. Exemplo eſſe poſſunt *Quindecim-Viri* Romanorum, quorum numerus aetate Auguſti mirifice crevit: *Nam & ſexaginta fuerunt*

MStis, qui hodiedum in Bibliotheca SS. Apoſtolorum ſervantur. Atque utinam Jordani vigiliae curante eodem Capycio in bonis litteris exercitatiſſimo, publici juris fierent! nam quot monumenta vetera, quorum nunc jacturam querimur, inſperato Neapolitanae hiſtoriae redderentur?

(14) Corſinus in Diſſert. Athl. p. 102 in vocem πενταετηρίδος offendit quidem, ſed facile ſe a negotio expedivit, interpretatus τὴν ἑξῆς πενταετηρίδα, non pro ſpatio Iſthmiorum ludorum, ſed pro ſolido *quadriennio*, quo excurrente bis Iſthmia certamina peracta fuerint; perinde ac ſi dictum in epigraphe fuiſſet, poſt quatuor annos proximos rurſus Iſthmia viciſſe Artemidorum. Atqui in inſcriptionibus athleticis formula illa ἡ ἑξῆς πενταετηρὶς nuſquam non ſpatium ejus agonis, qui proxime praeceſſit, deinde ſignat. Praeterea ſi Corſini πενταετηρίδα pro libito findentis ratio admittatur; nihil jam de certaminibus Antiochenſibus, Alexandrinis, Epheſinis &c. pentaëterica ne an trieterica fuerint, explorate dici poteſt; tametſi inſcriptio T. Flavii tribuat illis pentaëterida. Continuo enim quis e tranſverſo proſiliens, obduceret, ita illa certamina fuiſſe pentaëterica, ut bis eo temporis ſpatio inſtaurata fuerint. At, inquies, Iſthmiis nullo pacto pentaëteris convenire poterat? Quidvis igitur aliud experiundum erat, quam ut in una pentaëteride binae ludorum editiones committerentur.

fuerunt (ut monuit Servius ad VI. Aen.) *Sed remanſit in his Quindecim-virorum vocabulum*. Haec autem nolo quis eo ſenſu a me dicta ſuſpicetur, quaſi ſi Nemea & Iſthmia olim pentaeterica fuerint, quae deinde trieterica evaſerint; ſed ajo, ideo pentaëterica dicta, quia ad ſimilitudinem Olympicae pentaëteridis ederentur: quemadmodum ii ludi, qui ab exacto ſaeculo *Seculares* dicebantur, nihilo tamen ſecius ita dicti comperiuntur, tametſi citius ſeriuſve ſaeculo fuerint editi. Itaque *pentaëteris* hoc loco non *quinquennalis ſpatii* meta eſt, ſed quaevis annorum periodus quibuſcumque ludis, modo ii pentaëtericam certaminis Olympici celebritatem aemularentur, aptanda: hoc eſt, ut uno dicam verbo, vox πενταετηρὶς voci Πανηγυρὶς *Conventus* (quo vocabulo ſacri Graeciae ludi veniebant) ſynonyma eſt.

Verum ne quis me conjecturis plus aequo indulſiſſe credat; is rogo componat ſimul Athenaei & Harpocrationis verba; ac profecto quae propugnavi, ſuis oculis vera eſſe comperiet. Athenaeus ergo lib. XIII. cap. 6. memorat tibicinam quamdam nomine *Nemeam*, πανηγύρεως ἐνδοξοτάτης ὀνόματι κεχρημένην, *celeberrimo conventui* h e. Nemeis ludis, *cognominem*; miraturque, quo pacto vilis muliercula eâ illuſtri nomenclatione donari potuerit; cum olim lege vetitum fuerit, τοιαῦτα ὀνόματα τίθεσθαι, *hujuſmodi nomina* (h. e. nomina Graeciae ludorum) *imponi*, hujus loci feminis. Ejuſdem fidicinae causâ eamdem legem memorat Harpocration in Νεμέα χαράδρα, ac pari admiratione corripitur, mulierculam ὄνομα πενταετηρίδος *nomen pentaeteridis* (Nemeae ſcil.) geſſiſſe. Pro ſynonymis ergo habenda ſunt vocabula Πανηγύρις & πενταετηρὶς· quod enim ὄνομα πανηγύρεως Athenaeo dicitur, id Harpocrationi eſt ὄνομα πενταετηρίδος· quamquam panegyris illa, Nemea ſcilicet, non per quinquennia inſtauraretur. Quod autem Iſthmia & Nemea in pentaëteridis abierint nomenclationem; id vulgi idiotiſmo adſcribe, qui Olympia certamina (quibus univerſa Graecia feriabatur) aſſuetus *pentaëterica* ex vero dicere; Iſthmia quoque & Nemea, quamvis trieterica forent, tamen quia Olympiorum pentaëtericorum imaginem ac celebritatem referebant, catachreſi quadam ſub *pentaëteridos* appellatione incedere, non aegre tulit.

Interim Mauſſacus Harpocrationem, tamquam male Athenaei ſenſa interpretantem, caſtigans non eſt audiendus; qui conſulte magis in Harpocratione cum ceteris conciliando, quam reprehendendo,

dendo, criticae ſuae nervos intendiſſet. Id autem ei facile expeditumque fuiſſet; ſi πενταετηρίδα non pro quinquennali ſpatio, ſed quavis annorum periodo ludorum, qui inſtar Olympicorum, quibus ex vero competebat πενταετηρὶς, edebantur, ſuffragante veterum exemplo accepiſſet. Abſque eo eſſet, quî Plinius & ex eo Solinus, quî Auſonius Iſthmia, quae trieterica erant, *quinquennalia* dixiſſent? vel quî Harpocration Nemeis trietericis, & inſcriptio Neapolitana Iſthmiis πενταετηρίδα tribuiſſent? Tot autem gravibus accuratiſque utriuſque linguae ſcriptoribus ut ignorantiae notam inuram, eoſque dicam in re nec incomperta pueris ſplendide falſos eſſe, equidem non eo uſque perfricui frontem.

S E C T I O IV.

De Actiis Nicopoli, Antiochiae & Alexandriae editis.

Actia ab Auguſto edita Nicopoli. Stephanus Ethnic. defenditur. An agon hic Olympius *revera fuerit. Strabo explicatur & defenditur. Actia* Anthiochiae *&* Alexandriae *commiſſa. Qui* Actiaci pueri, *quive* Hieronei juniores. *An Homerus Olympici certaminis meminerit. Strabo refellitur. Olim certamina nonniſi ſpe praemii conſequendi inita; ſero tandem* coronaria *evaſerunt. Certamina* Sacra *quae preſſius fuerint: eadem ac* Iſelaſtica. *Quibus gradibus vectigalia publica hieronicis deberi deſierint.*

DE ludorum horum ternione junctim agam; paria enim certamina ibi commiſſa, ac paria victoribus propoſita fuere praemia. Primus ergo ſecundum quatuor ſacros Graeciae agonas *Actiis* ludis defertur locus: nec profecto ſecus, ſive quis auctorem, ſive cauſam ludorum edendorum aeſtimet, factum oportuit. Caeſar Auguſtus ſtatim a profligata apud Actium claſſe Antonii Cleopatraeque, ceteris quae victoriam ſuam poſteritati commendarent, illud quoque juſſit accedere, ut Actio in Nicopoleos nomen abeunte, ſacrum ibi quinquennale certamen, quod *Actia* cognominavit, ederetur. Habes jam ludorum auctorem, habes & cauſam. Etſi, ut quod res eſt dicam, non primus omnium Auguſtus *Actia* protulit, ſed inſtituta pridem magnificentius inſtauravit; eaque certa-

certamina, ut *Sacra* eſſent, indixit (15). *Sacra* autem cum audis, cave ſuſpiceris antea fuiſſe profana; ſed ideo *Sacra* renuntiata, ut victores e publico alerentur, ut Dion Caſſius init. lib. LI. de Actiis verba faciens, opportune docet. Cujus hiſtorici locum paullo poſt excutiemus.

Fuit itaque olim Agon Actius, Strabone teſte *coronarius*, ſed an etiam *pentaetericus*, eſt quod (16) dubites: certe & *Sacer* & *pentaëtericus* inſtaurante Auguſto evaſit: hinc Actius Olympico agoni plane aequatus eſt. Et ſane jam eruditis obſervatum fuit, quemadmodum Olympiades, ſic & *Actiades* numerandis annis inſerviiſſe; quin immo victores ipſi inſtar Olympionicarum vocantur in inſcriptione vet. *Actionicae*. Quid quod & periodus *Actiaca* eadem ac Olympica fuit? Conſule Scaligerum de Emend. Temp. V. pag. 458. qui quandonam primum Actius agon editus, & quamdiu repetitus ex intervallo fuerit, erudite docet.

Quamvis autem plurima ſimilitudo Actiis ac prope dixerim neceſſitudo cum Olympiis interceſſerit; nolo tamen quis credat, eadem Olympia quae Piſae, apud Actium quoque inſtituta fuiſſe: ut nonnulli e Strabonis loco perperam intellecto conjecerunt. Strabo autem haec de Nicopoli Actiiſque ludis commemorat lib. VII. pag. 325. Ἡ μὲν οὖν Νικόπολις εὐανδρεῖ, καὶ λαμβάνει καθ᾽ ἡμέραν ἐπίδοσιν· χώραν τε ἔχουσα πολλὴν, καὶ τὸν ἐκ τῶν λαφύρων κόσμον· τότε κατασκευασθὲν (17) τέμενος ἐν τῷ προαστείῳ, τὸ μὲν εἰς τὸν ἀγῶνα

(15) Strabo VII. p. 325. ἤγετο δὲ καὶ πρότερον τὰ Ἄκτια, τῷ θεῷ στεφανίτης ἀγὼν ὑπὸ τῶν περιοίκων. νῦν δὲ ἐντιμότερον ἐποίησεν ὁ Καῖσαρ. *Celebrabantur antea quoque Actia, certamen Deo* (Apollini ſacrum) *a finitimis; ſed ejus dignitatem auxit Caeſar*. Vide quae ibi Caſaubonus adnotavit.

(16) Vulgo reus agitur Stephanus Ethnic. qui in v. Ἄκτια, ea certamina *trieterica* fecerit. Verum haec criticorum natio ex more qui poſtea invaluit, repetendi Actia in quinquennium, nacta fuit occaſionem criminandi Stephanum. Atqui olim Actia fuiſſe quoque pentaëterica, nullus puto docuerit. Contra cum Dion ſcribat, ab Auguſto renuntiatum fuiſſe agonem *pentaëtericum* & *ſacrum*; facile inde foret colligere, pridem neque pentaëtericum neque ſacrum fuiſſe. Ad illa igitur tempora reſpexiſſe videtur Stephanus, cum inquit: Γυμνικὸς ἀγὼν . . . . διὰ τριετερίδος ἦν. *Gymnicus agon* . . . *ſingulis trienniis celebrabatur*. Quid porro Actiis ludis, imperante Auguſto, factum ſit, in ſequentibus fortaſſe Stephanus aperuit; ſed ille qui ſcripta ejus in Epitomen contraxit, pleniorem de Actiis ludis Ethnicographi diſſertationem nobis, ut alia multa, invidit.

(17) Palmerius in Exercit. in Graecos auct. p. 30. emendat; τὼ δὲ κατασκευασθέντε τεμένω, *dualiter*; eo

ex

ἀγῶνα τὸν πεντετηρικὸν, ἐν ἄλσει (18) ἔχοντι γυμνάσιόν τε καὶ ςάδιον, τὸ δ᾽ ἐν τῷ ὑπερκειμένῳ τοῦ ἄλσους ἱερῷ λόφῳ τοῦ Ἀπόλλωνος· ἀποδέδεικται δ᾽ ὁ ἀγὼν Ὀλύμπιος τὰ Ἄκτια, ἱερὸς τοῦ Ἀκτίου Ἀπόλλωνος· *Populoſa autem Nicopolis eſt, creſcitque in dies, agrum habens multum, & ornamenta e manubiis, lucumque ſacrum in ſuburbio, partim quidem inſtructum ad quinquennale certamen in ſaltu ubi gymnaſium & ſtadium; partim vero in ſacro tumulo ſaltui imminente, ubi Apollinis templum. Actia certamen Olympicum renuntiata ſunt, Apollini Actio ſacrum.* Atque haec poſtrema verba Geographi in eam vulgo partem accipiunt, quaſi ſi idem ipſe Elidenſis agon Nicopoli inſtructus ab Auguſto fuerit. Verum quominus huic opinioni acquieſcam, non magis me movet utriuſque certaminis (19) diſcrimen, quam Dionis Caſſii locus, qui quid ab Auguſto innovatum in Actiis fuerit, explicate docet. Ἀγῶνα (inquit init. lib. LI.) ... πενταετηρικὸν ἱερὸν . . . . κατέδειξεν, Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας. *Certamen . . . . quinquennale Sacrum . . . . renuntiavit* (Auguſtus), *Actia cognominans.* Jam ſi Strabonis, Dioniſque loca comparaveris, ſtatim intelliges, eamdem rem ab utroque traditam fuiſſe litteris; quod enim Straboni eſt, ἀποδέδεικται Ὀλύμπιος, id Dioni dicitur, κατέδειξεν ἱερόν. Tantumdem ergo valet, Actia certamen

ex capite quod non de uno, ſed de duplici ſacro loco ſermo ſit. Eaque Palmerii emendatio τῷ τεμένω, ſubjicitur textui Strabonis in elegantiſſima ejus editione Amſtelaedamenſi ann. 1707. Mendâ procul dubio typographicâ. Enimvero τεμένη ſcriptum oportuiſſet, ſi quidem dualis numerus in Geographi verbis quaerendus eſſet. Ceterum incolumi vulgata lectione τέμενος, non *claudicat hiſtoria* ut Palmerio viſum fuit. De duplici quidem ſacro loco Strabo loquitur, de Gymnaſio nimirum, deque Apollinis delubro: ſed utrumque γενικῶς (*generaliter*) vocabulo τεμένους continetur; particulae vero τὸ μὲν, τὸ δὲ *partim quidem*, *partim vero*, vice illius numeri dualis, quem Palmerius flagitabat, partite funguntur.

(18) In luco cives Gymnaſium, & Apollinis delubrum ornarunt, appoſite quidem ad Platonis praeſcriptum; qui in VI. de LL. pag. 761. ſic ſanxerat: Εἴτι που ἄλσος ἢ τέμενος περὶ ταῦτα &c. *Si forte ſaltus aut lucus in propinquo ſit ſitus, derivatis laticibus Deorum delubra exornent. In his vero locis juvenes & ſibi & ſenibus Gymnaſia conſtruant.*

(19) Actia diverſa ab Olympiis certamina fuiſſe, nonnulla ſuadent. Ac primo in Actiis, indicante Stephano, committebatur πλοίων ἅμιλλα *navium certamen*; quod ludi genus aberat ex Elidis palaeſtra. Praeterea Olympia Jovi Olympio, Actia Apollini Actio ſacra erant; at ſi Actia ſint omnino ipſa Olympia certamina, facinus inexpiabile fuiſſet, haec detracta Jovi, ultro Apollini deferre.

Olympium ab Auguſto renuntiatum fuiſſe, ac *Sacrum*: Et *Sacrum* quidem, quia aequatum fuit quatuor ſacris Graeciae certaminibus, quorum victores publicis vectigalibus, ut paullo poſt dicam, fruebantur; *Olympium* vero dictum, ut oſtenderetur, Actionicas prorſus eodem loco habendos eſſe ac Olympionicas. Ergo ut rem in pauca contraham: *Actia* dictus eſt agon *Olympius*, non quod Olympia apud Actium ederentur; ſed utique quia vetuſtus ille agon *Actiacus* poſt Auguſti inſtaurationem *Olympico* aequiparatus eſt. Itaque Strabonis ἀγὼν Ὀλύμπιος idem eſt ac ſi perhiberetur ἰσολύμπιος (*par Olympio*); quemadmodum Σέβαστα, *Auguſtalia* certamina, in eamdem dignitatem evecta, in lapide Neapolitano revera ἰσολύμπια dicuntur.

Sequuntur *Antiochena* & *Alexandrina* certamina, in quibus *Actia* repraeſentata fuiſſe nullus dubito. Sic enim interpretor formulam illam verſ. 24. & 27. Ἀκτιακῶν παίδων παγκράτιον, *Actiacorum puerorum pancratium*; ut hinc plane appareat, ludos qui Antiochiae & Alexandriae committebantur, omnino fuiſſe *Actiacos*. Nec porro prorſus inſolens eſt, ut athletae a ludo, ubi certabant, nacti ſint nomenclationem: Vide inferne adnotata (20). Jamvero Actia certamina in illius victoriae, quae fundavit imperium Auguſto, monumentum inſtituta, certatim Provinciae Orbis Romani apud ſe quaeque in Auguſti gratiam committere geſtiverunt. Roma, quae prima omnium Auguſto VI. & M. Vipſanio Agrippa Coſſ. ludos Actiacos ſpectavit, ſignum extulit univerſis. Eodem anno

(20) In lapide Neapolitano apud Corſinum Diſſert. Agon. p. 103. dicitur *T. Flavius Evanthes* viciſſe, Πολιτικῶν παίδων δίαυλον, *Politicorum puerorum curſum iteratum*. Qui ſint *Politici pueri* athletae, capite ſequente inquiram. Jamvero in inſcript. Gruteri p. CLXIX. 4. *ſub Gymnaſiarcha Ariſtione* aliquid dedicaſſe comperiuntur Νεανίσκοι Ἱεράνειοι, *Juniores Hieronei*. Quicquid demum ſit, quod hi adoleſcentes opera pecuniave ſua praeſtiterunt; ad paleſtram id pertinuiſſe, plane ex mentione *Gymnaſiarchae* colligitur. Jamvero qui ſint ipſi *Juniores Hieronei*, obſcurum quidem illi eſſe non poteſt, cui Syracuſanorum effuſiſſima in feſtos agitandos conventus comperta ſtudia fuerint. Profecto enim qui in Romanorum honorem & *Marcellea* & *Verrea* inſtituere non dubitarunt, eos hac in parte Regi ſuo non defuiſſe, veriſimile eſt. Hieronea ergo fuerint certamina in Hieronis honorem inſtituta, quandoquidem hîc *Juniores Hieronei* neſcio quid de re gymnica mutientes prodeunt in publicum; *Hieronei* utique cognominati, quia in certamine *Hieroneo*, non ſecus ac *Actiaci* pueri in *Actiis*, exercebantur.

anno inſtaurata Nicopoli fuiſſe certamina, non temere auguratur Scaliger Emend. Temp. V. p. 458. atque inde porro reliquae provinciae Actiacos ludos in ſolum traduxere ſuum. Eoque res evaſit, ut ſi quando *Actia* quaedam deſignanda forent, diſcriminantibus notis, quibus alia ab aliis Actia diſtinguerentur, opus fuerit. Leguntur in lapide apud Grut. CCCXIV. 1. Ἄκτια ἐν Νικοπόλει *Actia Nicopoli*, ut etiam ibidem Ὀλύμπια ἐν Πείσᾳ, *Olympia Piſae*. Atqui additamentum illud urbis regioniſve abundaret quidem certe, ſi Actia dumtaxat apud Actium, Olympia nonniſi in Piſa ederentur. De Olympiis paſſim agitatis nonnulla dixi pag. 43. adn. 9. Sed de Actiis Antiochiae atque Alexandriae editis noſtra inſcriptio luculentiſſime teſtatur. At, roges, quo pertineant illa verba verſ. 23. & 27. ἱερὸς πενταετηρικὸς ἀγὼν Ἀκτιακῶν παίδων, *ſacrum quinquennale certamen Actiacorum puerorum?* Nonne & plura alia, quae hîc recenſentur, certamina, *ſacra* erant & *quinquennalia*? Ita ſane; verum ad explicatam inquiſitionis hujus intelligentiam, res eſt paullo altius repetenda.

Plerique omnes antiquorum agones, ut Pauſaniae X. 7. verbis utar, ἐπὶ ἄθλοις, *ſpe conſequendi praemii*, inibantur; quantum quidem ex Homero (21) intelligere licet, qui Iliad. XXIII. in certamini-

I 2 bus

(21) Cujuſmodi fuerint olim Olympici ludi, aliique, quorum mentio apud Homerum eſt, juvat e Strabone lib. VIII. p. 355. diſcere: Κατὰ δὲ τὰ Τρωϊκὰ, ἢ οὐκ ἦν (Ὀλυμπιακὸς) ἀγὼν ςεφανίτης, ἢ οὐκ ἔνδοξος, οὐδ' οὗτος, οὔτ' ἄλλος οὐδεὶς τῶν νῦν ἐνδόξων. Οὔτε μέμνηται τούτων Ὅμηρος οὐδενὸς, ἀλλ' ἑτέρων τινῶν ἐπιταφίων. *Tempore belli Trojani hoc certamen (Olympicum) aut tale non fuit, unde coronae reportarentur, aut non nobile, ut neque alia fuerunt, quae magni ſunt hodie nominis. Neque horum Homerus, ſed aliorum quorundam funebrium mentionem facit.* Sane funebria ſunt certamina athletica, quae Poeta refert inita in funere Patrocli; Iliad. XXIII. 272. ſeqq. Regis Amaryncis; ibid. v. 630. Oedipi Thebani ibid. v. 680. Achillis Odyſ. XXIV. 85. Verum non cauſâ funerum dumtaxat, ſed & in laetitiae ſignificationem editos ludos gymnicos prodidit Homerus; cujuſmodi fuerunt illi, quos Alcinous Odyſ. VIII. 100. ſeqq. Vlyſſi hoſpiti gratificaturus inſtruxit. Pergit Geographus: Καί τοι δοκεῖ τισι τοῦ Ὀλυμπιακοῦ μεμνῆσθαι, ὅταν φῇ, τὸν Αὐγέαν ἀποςερῆσαι τέσσαρας ἀθλοφόρους ἵππους, ἐλθόντας μετ' ἄεθλα. *Non deſunt quidam qui Olympici certaminis putant mentionem* (ab Homero) *factam; quando ait Augeam intervertiſſe quatuor equos, qui e certaminibus praemia reportaſſent*: utique ἐν Ἤλιδι δίῃ *in ſacra Elide*, ut Poeta cecinit Iliad. XI. v. 697. Hac autem propoſita quaeſtione negat deinde Strabo, eo loco digitum ad Olympicos intendi ludos, & duplici quidem de cauſa I. quia Augeas in una Elide imperabat; eoque Piſatis, ubi ſemper Olympia celebrata ſunt, extra ditio-

nem

bus in funere Patrocli inſtitutis ſua cuique ludi generi praemia aſſignata refert; nec interea tacet δύο χρυσοῖο τάλαντα, *duo auri talenta*, quae Merioni in curru agendo victori contigere. Quod eleganter more ſuo, tametſi non omnino ad illa tempora quae deſcribit, (22) appoſite, imitatus eſt Virgilius Aen. V. 110. ſeq.

... *Sacri*

nem Augeae vagabatur. II. quia certamen hoc Homericum ἐπὶ τρίποδος *tripodis conſequendi* gratia inſtitutum Poëta dicat; at contra Olympicus agon coronarius erat. At equidem hiſce Geographi rationibus acquieſcere nequeo, vel eo capite quod ipſe Strabo ſuamet, ut dici ſolet, vineta caedat. Ac primum quod ad herciſcundos Augeae regni fines attinet, paullo poſt idem Strabo ea in re titubare videtur; etenim inter ea, quae in vetere hiſtoria non ſunt omnino exploratae fidei, haec etiam exempli gratia recenſet: Τὸν μὲν Αὐγείαν τῆν Πισατίδος ἄρξαι· τὸν δὲ Οἰνόμαον καὶ τὸν Σαλμωνέα τῆς Ἠλείας· ἔνιοι δ' εἰς ταυτὸ συνάγουσι τὰ ἔθνη. *Augeiam Piſatidi imperaſſe, Oenomaum & Salmoneum Eleae aſſerunt: alii gentes eas in unam conflant.* Itaque in eo opinionum diſſidio liberum cuique eſt decernere, Augeam Piſatidi quoque, ubi Olympia edebantur, imperaſſe; magis id adeo, quia ex nonnullorum ſententia apud Strabonem, uterque populus unus idemque cenſebatur: Homerum vero certamina in Elide ſtatuiſſe., vel quia Elis olim latius patuerit, ut & Piſatidem complecteretur; vel quia (uti mos eſt Poëtarum τὴν μεγαλοπρέπειαν, *magnificentiam*, ubique ſectantium) ſub illuſtriore Elidis, ubi aula Augeiae patebat, appellatione Piſatis etiam intelligenda daretur. Jamvero alteri profligandae difficultati Strabo ſua ipſe arma ſuppeditat, qui paullo ante praefatus fuerat: Κατὰ δὲ τὰ Τρωϊκὰ &c. *Tempore belli Trojani certamen Olympicum aut tale non fuit, unde coronae reportarentur aut non nobile.* Ceterum quî *coronarius* agon eſſe ea tempeſtate poterat, cum Homerus vix *coronae* meminerit? Vide adnot. ſeq. Profecto enim nondum fumo pondus addendi artes innotuerant, nec facile tunc homines vanis honorum imaginibus ludificati certabant. Athletae, aeque ac ceteri artifices, ponderoſo praemio, non corona frondea nuſquam non parabili, ad certamina excitabantur. Nec ſecus, puto, animati erant qui certaturi in Olympica palaeſtra prodibant; quos aliquo affulgente lucello olim ineſcatos fuiſſe, non eſt dubitandum.

(22) Virgilius in funebribus ludis in Anchiſae honorem inſtitutis imitandum ſibi Homerum propoſuit; id quod dum feliciſſime perſequitur, nec opinans extra ſui magiſtri veſtigia tantiſper exorbitat. Inter enim praemia, quae certaturis offeruntur, tripodes, veſtes, auri metalla ex formula, ut ita dicam, Homerica recenſet quidem; ſed porro de ſuo penore admetitur *coronas*, quarum an Homerus umquam meminerit, adhuc in utramque partem diſputatur. Sane Plinius lib. XVI. ſect. 4. inquit de corona: *Antiquitus quidem nulla niſi Deo dabatur: ob id Homerus Caelo tantum, & praelio univerſo tribuit: viritim vero ne in certamine quidem ulli.* Nolo hîc in Plinii verba curioſius inquirere; ac praeterea loca omnia Poëtae, ubi ϛέφανος, ϛεφάνη *corona* occurrit, excutere, longi eſſet, nec in rem noſtram neceſſarii laboris. Hoc autem univerſim affirmari poſſe reor, nuſquam Homerum athletis victoribus

coronae

. . . *Sacri tripodes , virideſque coronae*
Et palmae , pretium victoribus , armaque & oſtro
Perfuſae veſtes , argenti aurique talenta .

Tunc ſane conſentaneum videbatur , ut vires ſudoribus athleticis exhauſtae auri rivulo , vel eo quod auri pretio reſponderet , irrigarentur. At poſtea cum palmis frondeis ſummum pretium ſtatuiſſet hominum opinio ; athletae populari plauſu contenti , nonniſi coronam victoriae indicem e certamine referebant . Tunc primum moribus inductum diſcrimen eſt inter agones στεφανίτους, *coronarios*, & χρηματίτους, *pecuniarios*; quorum illi palma , hi pretio fovebantur . Quandoquidem autem inter liberales Graecorum artes gymnaſtica quam maxime vigebat ; animique ingenui gloriae ſtimulis quam auro vehementius excitantur ; hinc profecto accidit, ut ludi *coronarii* quam *pecuniarii* in majore exiſtimatione haberentur. Illius loci dignitatiſque fuerunt quatuor Sacri Graeciae agones , Olympici , Pythici , Nemei & Iſthmici ; quorum omnium praemia coronis e fronde intextis definiebantur .

At con-

coronae uſuram tribuiſſe: Virgilium vero, dum moribus ſui temporis velificatur, tametſi Homeri interpretem ageret , coronam hujus loci hominibus liberaliter indulſiſſe . At ſecus ea tempeſtate obtinebat , tum cum coronae in peculio Deorum erant, nec cum aegris mortalibus communicatae. Verum enimvero nihil eſt in ritibus adeo ſacroſanctum , quod non hominum ambitio titillante gloria ſibi quoque deferri geſtiat . Hinc paullatim victoribus athleticis , in quos Graecia univerſa incenſiſſimo ſtudio ferebatur , praeter munuſcula eâ occaſione dari conſueta , coronae etiam oblatae ſunt; donec eo res evaſit, ut vulgo perſuaſum fuerit, ludos in quibus nonniſi pro corona certaretur, ſanctiores eſſe atque auguſtiores ; ipſos vero victores *corona* donatos , tamquam ἀποθεωθέντας, *in Deorum numerum relatos* , habendos eſſe . Atque eo mihi ſpectaſſe videtur Horatius, cum de Olympionica cecinit:

. . . . *Palmaque nobilis*
Terrarum Dominos evehit ad Deos.

Quae cum ita ſint; non ſatis appoſite ad ea, quae deſcribit , tempora Virgilius in agone gymnico cum tripode, aliiſque id genus ſimul coronas proponit; tametſi exemplo veterum id feciſſe maximum Poëtarum , non eſt dubitandum. Profecto in vetuſtiſſima arca Cypſeli , quam accurate deſcribit Pauſanias , inſculptus erat ἀγὼν ὁ ἐπὶ Πελίᾳ, *certamen in funere Peliae* inſtitutum ; ibi cum ceteris athletis aderant ii, qui curſus certamen inierant, quorum unus Iphitus: τούτῳ δὲ (inquit Pauſanias) νικῶντι ὀρέγει τὸν στέφανον ὁ Ἄκαστος . . . . κεῖνται δὲ καὶ τρίποδες , ἆθλα δὴ τοῖς νικῶσι· *Huic* (Iphito) *jam victoriam adepto coronam offert Acaſtus . . . Expoſiti ſunt victoribus tripodes* . Vbi vides in iiſdem ludis & coronam & tripodes, aeque ac apud Virgilium, proponi victoribus.

At contra neceſſe erat, ut qui ſtrenue certando honori patriae ſuae conſuluiſſet, e publico viciſſim aleretur. Nec enim hieronica ſibi ipſi ſolum viciſſe credebatur; maxima victoriae pars ejus patriae, quae inſtitutis ſuis athletae exercendo advigilarat, haud immerito deferebatur; ita ut athleta, partâ olim ſudore ſuo coronâ, non ſe magis quam patriam coronaſſe vulgo diceretur. Plin. VII. ſect. 27. XVI. ſect. 4. Par igitur erat, ut patria quoque ſui civis benemerentiſſimi, ſi id ſuaſiſſet neceſſitas, victui quotidiano proſpiceret. Ac profecto id praeſtitum liberaliter fuiſſe hieronicis, plane Vitruvius in praef. lib. IX. docet: *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Iſthmîa, Nemea viciſſent, Graecorum majores ita magnos honores conſtituerunt, ut . . . triumphantes cum quadrigis in moenia & in patrias invehantur, e reque publica perpetua vita conſtitutis vectigalibus fruantur*. Enimvero publicis reditibus, & quidem in Prytaneo (23) hieronicae alebantur. Atque eo ſane ſpectavit Socrates apud Platonem in ſua Apolog. pag. 36. qui cum ſciſcitando, quid pauperi benefico, qui omnia tempora ſua civium temporibus traduxiſſet, tribuendum eſſet, inquireret; ſic ipſe reſpondit: *Quid niſi* (ὡς τὸν τοιοῦτον ἄνδρα ἐν Πρυτανείῳ σιτεῖσθαι) *ut talis vir in Prytaneo alatur? Et quidem* (pergit) *aequiore ratione, quam ſi quis veſtrum aut equo aut bigis aut quadrigis victoriam in ludis Olympicis reportaſſet*. Paullo poſt ſapientiſſimus philoſophus ſumma

(23) Πρυτανεῖον, Suida teſtante, dicebatur Athenienſibus domus publica, ubi e publico alebantur illi, quibus honor ille contigerat. Olympionicis certe patebat is locus, ut ſupra ex Platone oſtendi. Sed & apud Eleos idem teſtatur Pauſanias V. 15. *Eſt Eleis etiam Caenatio* (ἐντὸς τοῦ Πρυτανείου) *intra Prytaneum . . . . In eo caenaculo epulum praebetur iis, qui Olympia vicerint*. Quae loca Platonis ac Pauſaniae non eo ſenſu accipienda ſunt, quaſi ſi ſoli Olympiorum victores ea publica caena fruerentur: ſed Olympionicae ſoli κατ' ἐξοχὴν, *per excellentiam*, nominantur, utique in exemplum ceterorum hieronicarum, quibus idem epulum publice in Prytaneo parabatur. Poſtea caena recta ſublata fuit, & in athletarum commoda ſucceſſerunt *vectigalia*, ut Vitruvius appellat, vel ut Plinius, *Obſonia*; hoc eſt ut ego interpretor, ipſa vectigalia quae obſoniorum nomine praebebantur. Quid quod eadem liberalitas ne Circenſibus quidem equis defuit? quibus vel ſenio confectis vel debilitatis attributa ex horreis fiſcalibus alimonia ex reſcripto Valentiniani, Valentis & Gratiani L. 1. Cod. Theod. de Equis Curul. lib. XV. tit. 10 fuit: *ad pietatis cujuſdam* (inquit Faber Agoniſt. II. 28.) *in bruta etiam animalia naturalis rationem, ac veluti remunerationem & vetuſtarum victoriarum praemium*.

ma quidem confidentia, ſed meritis ſuis non indebita, ſic perorat: *Me dignum exiſtimo* (τῆς ἐν Πρυτανείῳ σιτήσεως) *cui victus in Prytaneo praebeatur*, aeque ac victor Olympicus. Praeſtabatur igitur e publico σιτήσις, ſeu *obſonia*, victoribus athleticis; non quibuſvis tamen athletis, ſed iis tantum, qui in quatuor ſacris Graeciae agonibus, teſte Vitruvio, certarant, quique ſoli Ἱερονίκαι q. d. *ſacri victores*, proprio vocabulo dicebantur.

His jam animadverſis haud arduum dictu erit, quamobrem Actiaca Antiochiae atque Alexandriae edita certamina in noſtro lapide enuntientur *Sacra*; nimirum quia *Actia*, Auguſto magnificentius inſtaurante, cum ſacris quatuor Graeciae certaminibus, quorum victores e publico alebantur, plane comparata fuerant. Docet id Dion Caſſius init. Lib. LI. de Auguſto ſcribens: Ἀγῶνά τε τινὰ καὶ μουσικὸν καὶ γυμνικὸν, ἱπποδρομίας πενταετηρικὸν ἱερὸν (οὕτω γαρ τοὺς τὴν σίτησιν (24) ἔχοντας ὀνομάζουσι) κατέδειξεν, Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας. *Certamen quoddam muſicum, & gymnicum & equeſtre quinquennale ſacrum (ſic enim certamina in quibus praebentur obſonia vocantur) renuntiavit, Actia cognominans*. Quamquam plures in Graecia inirentur agones, attamen dumtaxat illi quatuor, quos paullo ante recenſui, *Sacri* κατ᾽ ἐξοχὴν eſſe perhibebantur. Notum illud ex Anthologia I. 1. τέσσαρες εἰσιν ἀγῶνες ἐν Ἑλλάδι, τέσσαρες ἱροὶ, *Quatuor ſunt certamina in Graecia, quatuor ſacra*. Latini quoque per *certamina ſacra* illos ipſos agones, ut ſaepiſſime Plinius ſenior, intelligunt. Quamobrem cum *Actia* Auguſtus certamen *Sacrum* edixit; hoc ipſo Actia aeque ac Olympicum aut Pythicum certamen haberi coepit; ita ut Actionicae non ſecus ac Olympionicae σίτησιν, *frumentationem*, e publico conſequerentur. Quandoquidem autem certamen *Sacrum* reddere idem ferme ſit Dione interprete, ac frumentationis copiam facere victoribus; jam pronum erit intelligere, quo ſenſu Capitolinum certamen dicatur *Sacrum* in lapide Hiſtonienſi. Pluribus in hanc ſententiam abſtineo; nam pauca adhuc de *iſelaſticis* ludis, qui a *Sacris* ſecerni non poſſunt, mihi adnotanda reſtant.

Hie-

(24) Cave credas Xylandro in Adnot. ad Dionem, mancum hunc locum ſuſpicanti, eo quod verba, quae parentheſi includuntur, cum praecedentibus ſibi non cohaerere videbantur. Quo ſpectet autem vox σίτησις, quae Xylandro impoſuit, conſule Scaligerum de Emend. Temp V p. 457. docte enucleateque haec ipſa Dionis verba illuſtrantem.

Hieronicae, ut ex Vitruvio paulio ante vidimus, cum pompâ in urbem patriam quiſque ſuam invehebantur. Hoc preſſius εἰσελαύνειν Graecis dicebatur; atque inde ipſe agon εἰσελαστικός. Idem autem ferme erat Agon *Sacer* atque *Iſelaſticus*. Enimvero quae certamina *Sacra* erant, hoc eſt, quae σίτησιν *frumentationem* ſuppeditabant, haec ipſa εἰσέλευσιν *ſuperbum in urbem ingreſſum* decernebant hieronicis. Quamobrem Εὐσέβεια, *Pialia* quae Puteolis agitabantur, ad orationis potius ἐπεξήγησιν (*enarrationem*) quam quia neceſſe foret, utroque vocabulo junctim vocantur in antiquo lapide, *Certamen ſacrum Iſelaſticum*. Olim nonniſi quatuor illi celeberrimi ludi Graeciae & *Sacri* erant & *Iſelaſtici*; at proceſſu temporis ad eamdem dignitatem ac praerogativam evecta fuerunt Actia, Auguſtalia, Capitolina, & alia fortaſſe non pauca. Verum agonibus ſacris in diem creſcentibus, conſequens erat, ut aerarium frequentioribus largitionibus exhauſtum peſſumdaretur. Cui incommodo Imperatorum reſcripta, quae modum hiſce ludis definiere, identidem occurrerunt. Eminuit prae ceteris Trajani providentia, in Epiſtolis Plinii (25) divinitus, & ut Optimum Principem decebat, explicata. Sanxit autem Imperator, ut Iſelaſtici ludi victoribus, nonniſi jam in patriam invectis, tum demum vectigalia publica deberentur. At in urbem more triumphantium ingredi, res erat plena negotii; ac neſcio an ea pompa pluris Communibus, quam ipſi hieronicae vehenti, ſtetiſſet. Quamobrem faſtidientibus, vel impendium defugientibus hieronicis plerumque, opinor, eâ pompâ ſuperſedebatur; qua quidem non celebratâ, Communia libera erant a praeſtatione obſoniorum. Atque ea Principis conſti-

tutio

(25) Plinius X. Epiſt. 125. *Athletae* (inquit), *Domine, ea quae pro iſelaſticis certaminibus conſtituiſti, deberi ſibi putant ſtatim ex eo die quo ſunt coronati. Nihil enim referre, quando ſint patriam invecti, ſed quando certamine vicerint, ex quo invehi poſſint*. Quibus verbis innui videtur, caenam rectam a Trajano ſublatam hieronicis, ejuſque loco obſonia ſeu ſportulam ſubrogatam: id quod publico aerario levioris prae caena recta impenſae fuit, negotii certe minoris. Quicquid demum id fuerit; profecto aliquid innovatum in ea parte a Trajano fuiſſe, oſtendunt verba illa: *Ea quae pro iſelaſticis certaminibus conſtituiſti* &c. Hoc leve; illud autem eſt gravius quod Plinio reſpondit Imperator: *Iſelaſticum tunc primum mihi incipere deberi, cum quis in civitatem ſuam ipſe* εἰσέλασεν, i. e. invectus eſt. Itaque ſi athletae invehi negligerent, ex reſcripto Trajani obſonia non debebantur. Atque hic primus ad coërcendam in hieronicas effuſiſſimam liberalitatem gradus fuit, at aerarii levando oneri idoneus.

tutio ad aerarii levanda onera non minimum valuit; at illa altera ejuſdem Principis ſanctio, quam ibidem Plinius (26) innuit, Graecorum perdite in hieronicas liberalium, libidini nervos plane ſuccîdit. Conceſſa etiam aliquando fuit Athletis ἀτέλεια, *publicorum munerum vacatio*, ſed quae deinde artata eo uſque fuit, ut cum tantis ambagibus non certaſſe, praeſtiterit. Hujuſmodi vacationis meminit reſcriptum Impp. Diocletiani ac Maximiani in Lege unica de Athletis lib. X. Cod. In quam legem erudito Fabri commentario illuſtratam, aliquid e meo conferre capite ſeq. adnitar.

M O N I T V M.

Ordo inſcriptionis a me flagitaret, ut in patriae gratiam de Neapolitano gymnaſio dicerem accuratius. Verum ne inſtitutum urbium, in quibus gymnica ſtudia floruere, catalogum longa diſquiſitione abrumpam; eo de argumento Capite ſequente, & ſeorſum quidem, ad patriae dignitatem, nonnulla dicere mihi eſt animus. Ac porro pauca de Puteolano gymnaſio aſpergam, ratus duas in viciniâ celeberrimas urbes a ſe divelli non poſſe. ΑΘΗΝΑΣ *hîc miſſas facio, quas, ne verſu* 20. *locus vacuo ſupereſſet, in ſcenam produxi; paratus aliam, ſi haec faſtidiat, urbem ſupponere. Quid autem me impulerit, ut* Athenas *mallem; innui ſupra in* Supplementi Ratione. *Ceterum Athenas hiſce ſtudiis gymnicis apprime delectatas fuiſſe, res notior eſt, quam ut monitore indigeat.*

K

SECTIO V.

(26) Plinius ibid. *Iidem* (athletae) *obſonia petunt pro eo agone, qui a Te iſelaſticus factus eſt, quamvis vicerint, antequam fieret. Ajunt enim congruens eſſe, ſicut non datur ſibi pro his certaminibus, quae eſſe iſelaſtica, poſtquam vicerunt, deſierunt; ita pro iis dari, quae eſſe coeperunt.* Vt mittam quod Trajanus, ſemper adverſus athletas parcus, Plinio reſponderit, retro non deberi obſonia athletis pro eo agone, qui tunc cum vicerint, iſelaſticus nondum factus erat: hoc in rem noſtram obſervatione dignum eſt, quod penes Imperatorem fuerit, quae ipſe certamina iſelaſtica, quae ſecus, eſſe vellet. Quaedam certamina recens quidem iſelaſtica renuntiavit, ac fortaſſe ſunt *Epinicia Trajani*, quae Heracleae edita Sectione II. divinabam; ſed quaedam porro iſelaſtica eſſe vetuit. Jam quivis intelliget, in quas anguſtias Graeculi eſurientes conjecti fuerint, cum ſacra certamina, ubi obſonia nanciſci dabatur, non amplius ex populari libidine, ſed ex Imperatoris arbitrio decernenda relinquerentur. Romanum autem Imperatorem ſtudiis Romanis quam Graecanicis procliviorem, iſelaſtica certamina paullatim imminuiſſe, difficile eſt non credere. Nam & id diſſimulari non poteſt, quod in noſtra inſcriptione, ubi plurimorum agonum mentio fit, unus atque alter, nimi-

rum

SECTIO V.

De Epheſino atque Smyrnenſi Gymnaſio.

Epheſus atque Smyrna Jonici conventûs participes. Duodenarius numerus in populi regioniſve diviſione ſedulo obſervatus. Balbillia *Epheſi. Smyrnae* Commune Aſiae. *De* Aſiarchis *nonnulla. Quae* Aſia *proprie dicta. Dionis Caſſii locus, fruſtra vexatus, defenditur.*

NOminis Jonici communio, qua ſimul Epheſus atque Smyrna continebantur, me monet, ut hîc, de utriuſque urbis Gymnaſio complexim dicam; tametſi Smyrna non ab initio cenſa ſit in Jonia, ſed condita primum ab Aeolibus, poſtea conventui Jonico adjecta fuerit. Res ita ſe habuit. Haud diu poſt Trojae cladem duae ſupra ceteras celeberrimae Graecorum migrationes contigerunt, Aeolica & Jonica. Et Jones quidem Atticae ſolum vertentes, illam Aſiae regionem incoluerunt, quae Jonia ab eorum nomine dicta fuit; & ibi urbes numero duodecim, morem fortaſſe veterem ſecuti (1), condiderunt. Miletus atque Epheſus amplitudine

rum Antiochenus & Alexandrinus, adnuntietur *Sacer* i. e. iſelaſticus, praeterea nullus alius. Num quod ea tempeſtate ceteri agones jam iſelaſtici eſſe deſierint? Abſtineo dicere.

(1) Neſcio quae religio veteres Graecos inceſſerit, ut in urbium conditu numerum duodenarium ſedulo obſervarent. Id ipſum ab Herodoto curioſe animadverſum fuiſſe comperio. Is enim de *Jonibus* verba faciens, Δοκέουσι (inquit lib. I. 145.) δέ μοι δυώδεκα πόλιας ποιήσασθαι οἱ Ἴωνες, καὶ οὐκ ἐθελῆσαι πλεῦνας ἐνδέξασθαι, τοῦδε εἵνεκα· ὅτι καὶ ὅτε ἐν Πελοποννήσῳ οἴκεον, δυώδεκα ἦν αὐτῶν μέρεα: *Mihi ſane videntur Jones duodecim feciſſe civitates, nec voluiſſe plures recipere, propterea quod eorumdem etiam Peloponneſum habitantium duodecim fuerint partes*: Ac mox de *Achaeis*: Κατάπερ νῦν Ἀχαιῶν, τῶν ἐξελασάντων Ἴωνας, δυώδεκα ἐστὶ μέρεα; *quemadmodum nunc quoque Achaeorum, qui exturbarunt Jonas, duodecim ſunt partes*. Idipſum de *Aeolenſibus* paullo poſt prodidit I. 149. Αὗται ἕνδεκα Αἰολέων πόλιες αἱ ἀρχαῖαι· μία γάρ σφεων παρελύθη ὑπὸ Ἰώνων Σμύρνη· ἦσαν γὰρ καὶ αὗται δυώδεκα αἱ ἐν τῷ ἠπείρῳ. *Atque hae XI. Aeolenſium priſcae civitates. Una autem Smyrna hinc ab Jonibus dirempta fuit; alioqain & hae duodecim erant numero in continenti ſitae*. Cecrops quoque primus *Atticorum* multitudinem εἰς δυωκαίδεκα πόλεις συνοικίσαι, *in duodecim urbes coëgiſſe*, perhibetur a Strabone IX. p. 397. *Eleorum* etiam fuere aliquando φυλαὶ δώδεκα, *tribus duodecim* teſte Pauſania Eliac. I. 9. Alia plura hujuſmodi exempla, ſat ſcio, rimanʼ

dine reliquas, frequentia, operibuſque publicis ſuperabant. Sed omnes & privatim ſibi, & ad tuendam ſocietatem in commune conſulebant. Ea propter locus inter Samum, atque Epheſum ornatus erat, *Panionium* dictus, quo quicumque Jonico nomine cenſebantur, vel rei publicae, vel ſacrorum ludorumque communium causâ, conveniebant. Vide Herodotum I. 143. Strabonem init. *lib. XIV.* Aeoles vero paulo antequam Jones, etiam ipſi in Aſiam meditantes, duodecim pariter urbes condiderunt. Prima omnium aedificata Cuma fuit, ac mox anno 168. poſt Trojam captam fundamenta Smyrnae jecerunt: qui annus fuit ſane quam memorandus; eo enim ipſo exortus in lucem fertur poëtarum Graecorum maximus Homerus, ſi vera prodidit Herodotus, ſive qui ſub Herodoti nomine vitam Homeri concinnavit: de quo tamen vehementer dubito. Enimvero ſcriptor Arundelliani Chronici (2) aliquanto recentiorem aetatem Poëtae aſſignat. Verum haec obiter. Ergo Smyrna antiquitus peculii Aeolici fuit, ſed poſtea avulſa ab Aeolibus, operâ maxime Epheſiorum, attributa Jonico conventui fuit, ut idem Herodotus atque Strabo loc. cit. narrant: quibus tropicis incidentibus, hinc imminutus Aeolicarum (3), hinc auctus

mantibus occurrent. Nam nunc non moror totidem tribus plurium in Oriente populorum, ut Iſraëlitarum, Iſmaëlitarum, Perſarum &c. Graecos mihi contemplandos ſuſcepi, qui mirum, ni quamplurimis deductis in Italiam coloniis, eumdem numerum rite cuſtodierint. De Magna Graecia nihil eſt, quod in praeſentia explorate dicam: At vero *Tyrrhenos*, qui primi fuerunt univerſae pene Italiae regnatores, duodenis urbibus habitaſſe conſtat; de quibus ſic Livius V. 34. *Ii in utrumque mare vergentes, incoluere urbibus duodenis terras prius cis Apenninum ad inferum mare: poſtea trans Apenninum* (ad mare Adriaticum) *totidem . . . . coloniis miſſis*. Sed & eoſdem Tyrrhenos (ni mavis Oſcos Tyrrhenorum congeneres) olim Campaniae noſtrae dominos Strabo V. p. 242. retulit, δώδεκα πόλεις ἐγκατοικίσαντας, τὴν οἷον κεφαλὴν, ὀνομάσαι Καπύην, *cum duodecim urbes condidiſſent, quae earum quaſi caput eſſet, Capuam nuncupaſſe*. Cujus quidem duodenariae partitionis Graecanicae atque Tyrrhenicae cum obſcura incompertaque ratio eſt, tum illud eſſe verum proditur, quod Varro IV. de L. L. 4. monuit: *Multæ antiqui duodenario numero finiebant*.

(2) In Chronico marmoris Arundelliani verſ. 45. Ὅμηρος ὁ ποιητὴς ἐφάνη . . . βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Διογνήτου, *Floruit Homerus ſub Diogneto Athenarum Rege*: anno Attico 676. annis poſt Trojae cladem 302. Vide Marſhami Chron. Sacc. XV. p. 436.

(3) Ex Herodoto (vide locum adnot. I.) palam fit duodecim olim fuiſſe Aeolenſium urbes, ſed poſtea deficiente Smyrna, undecim evaſiſſe.

Jonicarum (4) urbium catalogus fuit. Atque haec mihi ſatis idonea cauſa viſa eſt, quamobrem Epheſiorum pariter, atque Smyrnenſium palaeſtram, uno eodemque loco explicarem.

Praeter autem feſta, quae communi Jonum nomine agitabantur, erant & alia quaedam, quae privatim inſtituta civitates Jonicae colebant. Hujus alterius generis Βαλβίλλεια certamina erant, quae Epheſi obſervata fuiſſe, tum alibi tum in noſtro marmore, docetur, ubi *verſu* 22. Τὰ ἐν Ἐφέσῳ Βαλβίλλεια, *Epheſi* (certamina) *Balbillea*. Memoratur & hoc idem certamen in inſcriptionibus, Farneſiana apud Gruterum CCCXIV. 1. & Arundelliana apud Reineſium cl. V. 20. Sed utrobique ſcriptura aliquantulum differt a noſtri marmoris orthographia: illic enim Βαρβίλλεια (5), hîc Βαλβίλλεια legitur. Utra alteri praeferenda lectio eſt? Neutram damno, ſed noſtram antefero. *Balbillus*, unde *Balbillea*, non infrequens veteribus nomen fuit, *Barbillus* non item. Attamen quia in omnibus linguis frequentiſſima eſt permutatio τοῦ L cum R (de quo digna legi ſunt, quae Reineſius alicubi (6) adnotavit) ut gens *Maguria* & *Magullia*, gens *Plalia*, & *Plaria*, *Veturia* & *Vetullia*; eodem recidit, ſi *Balbillus* an *Barbillus* enuncietur. Qui porro ſit Balbillus, aut ſi mavis, Barbillus, unde Epheſino certamini nomen, nihil habuit dicere Seldenus ad Marmora Arundelliana: Reineſius vero Βαθύλλεια corrigebat, a Bathyllo quodam egregio ſaltatore. At Valeſius ad excerpta Dionis primus omnium ignoratam aliis originem feliciſſime expedivit.

Ergo Dion Caſſius *lib. LXVI.* 9. de Veſpaſiano: Τούς τε (inquit) ἀστρολόγους ἐκ τῆς Ῥώμης ἐξώρισε &c. *Aſtrologos quoque juſſit Roma excedere, tametſi ipſe peritiſſimo quoque ejus artis magiſtro uteretur; adeo ut in gratiam BARBILLI cujuſdam Aſtrologi, EPHESIIS ſacrum certamen celebrare conceſſerit, quod nulli alteri civitati indulſit*. Vide quae ibi e manu Valeſii ſubtexuntur, ſatis quidem appoſite ad *Barbilleorum Epheſinorum* illuſtrationem. Barbillus itaque

(4) In nummo Antonini Pii ΚΟΙΝΟΝ ΓΙ ΠΟΛΕΩΝ (*Commune XIII. Civitatum*) recte poſt Spanhemium Vandalus Diſſer. III. p. 281. ſeq. Univerſitatem Jonici nominis deſignare, pluribus contra Morellium ac Vaillantium contendit. Atqui pridem, ut adnot. 1. ex Herodoto ac Strabone adnotavimus, tum in Attica tum in Aſia, duodecim Jonum partes exſtitere.

(5) Ea vox tum in Grutero tum alibi prodigialiter depravata cernitur, nim. Βαββιλληα, Βαρβιλληα, Βαρβιλδηα. Veram lectionem interpretationemque extudit Valeſius, ut mox dicam.

(6) Vide Reineſium Claſ. II. 24. pag. 259.

itaque, vel quia ſumptus certamini neceſſarios ſuppeditavit, vel quia apud Imperatorem egit, ut certamen Epheſi ederetur, vel utrumque, profecto expreſſit ab Epheſiis, ut agon e nomine ſuo *Barbillea* cognominaretur. Enimvero, ut ibidem obſervat Valeſius, ſolemne fuit, certamina e nomine primorum auctorum appellari; quod vir doctiſſimus confirmat exemplo *Eurycleorum* certaminum, quae nacta ſunt id nominis ab Eurycle Spartano, quo Auguſtus uſus eſt familiariſſime. Vide & Reineſium Cl. VI. 120. Jamvero ex Dionis loco intelligere licet, non contemnendam fuiſſe Epheſini hujus certaminis praerogativam. Ἱερὸς ἀγὼν, *Sacer agon* inſtitutus, permittente Veſpaſiano, fuit. Equidem pag. 71. ex Dione ipſo oſtendi, illud certamen dictum fuiſſe *ſacrum*, cujus victores e publico alebantur. Attamen ab eo gradu, quo olim ſteterat, deturbatus deinde agon videtur. Certe in marmore noſtro *Barbillea* ſine additamento *ſacri agonis* enuntiantur.

Porro ut Epheſus, ſic Smyrna etiam peculiaria feſta procurabat, ut erant Olympia, quorum frequens eſt in vett. lapp. mentio. At nulla majorem Smyrnae & commendationem & frequentiam, quam τὸ Κοινὸν Ἀσίας (*commune Aſiae*) conciliavit. *Commune Aſiae* dicebatur feſtum ſeu ſacer conventus, qui in honorem Auguſtorum Deorumve inſtitutus, in aliqua ex celebrioribus Aſiae urbibus edi ſolebat. Aſiam cum audis, cave credas ea voce tertiam eamque vaſtiſſimam orbis antiqui partem comprehendi. Latinis enim ac Graecis ſcriptoribus res Romanas enarrantibus, illa preſſius dicebatur *Aſia*, quam Attalus Rex Pergami teſtamento legarat Populo Rom. quamque ab ortu Galatia, & Cappadocia, a Septemtrione Bithynia finiebat. Atque haec illa Aſia eſt, quae diſcriminis cauſa Aſia Proconſularis dicitur. Id quod advertiſſe, haud minimi eſt ad Scriptores rite intelligendos praeſidii (7). Ex illa

(7) Cujuſmodi eſt locus Dionis Caſſii ex lib. XXXVII. 20. facilis ille quidem, ſed ignoratione anguſtioris hujus *Aſiae* acceptionis, indigne vexatus. Inquit Hiſtoricus: Πομπήϊος δὲ ἐπειδὴ καὶ ἐκεῖνα κατέπραξε, πρός τε τὸν Πόντον αὖθις ἦλθε, καὶ παραλαβὼν τὰ τείχη, ἐς τὴν Ἀσίαν, κἀντεῦθεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, τήν τε Ἰταλίαν ἐκομίσθη. *Pompejus autem ubi res illas confeciſſet, rurſus in Pontum venit, receptiſque caſtellis, in Aſiam, atque inde in Graeciam, Italiamque revectus eſt*, facto ſcilicet appulſu Brunduſium, ut paullo poſt Dio retulit. Pro Εἰς τὴν Ἑλλάδα τήν τε Ἰταλίαν (ut recte in Codicibus Vaticano ac Mediceo exaratur) Xylander, quique Xylandrum ſecutus eſt, eruditus Scriptor Thecae Calamariae pag. 610. perperam

illa itaque Aſia eligebatur is, qui quandoquidem *Communi Aſiae* praeerat, dicebatur Ἀσιάρχης, quique praeſertim ludos gymnicos edendos

ram legit, εἰς τὴν Ἑλλάδα τῆς Ἰταλίας, ut *Graecia Italica* ſeu Magna Graecia, cujus oppidum Brunduſium fuiſſe volunt, intelligatur. Perperam inquam; quandoquidem nihil eſt aeque incertum, quam fuerit nec ne aliquando Brunduſium Graecanici peculii. Enimvero nulli dum graeca numiſmata Brunduſii contrectare licuit, ſi Goltzianum excipias, fidei ſane quam dubiae: cum interim latina manibus omnium terantur. Vide Mazochium ad Tabb. Heracl. p. 38. Vel ſi unquam Graeci olim eam urbem tenuerint; profecto ab anno V. C. DIX. quo Sempronio ac Torquato Coſſ. colonia deducta fuerat, quicquid Graeciſmi fuerit, colonia Rom. penitus eluerat. Mitto quod Zonaras multo antea epocham hujus coloniae conſignat; ſic ut Romanam Civitatem magis ibi inveteratam ac robuſtiorem exiſtimes. Pompejus autem e Graecia Brunduſium appulit anno V. C. DCXCI. hoc eſt, poſt 180. amplius annos a colonia deducta; numquam igitur Dio committere potuit, ut hanc urbem, jampridem coloniam factam, in Graecia, extra quam libere tot annis vagabatur, Italicâ ſiſteret. Sed hoc leve; illud gravius, quod idem cl. Scriptor Th. Calam. Dionem, qui deduxit Pompejum e Ponto in Aſiam, ignoratae geographiae inclementer accuſat, *tamquam ſi* (inquit loc. cit.) *Pontus extra Aſiam ſit*; niſi quod mox mitior factus, ſic medicinam fecit: *Quare ut conſtet Dio*, *quin pro* Ἀσίαν *reponendum ſit* Ἀχαΐαν, *nemo obſiſtet*. Nemo quidem obſiſtet, ſi ita juſſerit; at vero ſi libere fandi copia fiet; neminem ajo ignorare, Ponti provinciam a provincia Aſia omnino fuiſſe diverſam. Legatur Strabo tum pluribus in locis, tum praeſertim extremo libro XVII. Sed quid multis opus? Cuivis in promptu eſt triumphi (quem Pompejus confectis in Aſia bellis, redactaque Ponto in provinciae formam, egit Piſone ac Meſſala Coſſ.) praefatio apud Plinium lib. VII. cap. 26. *Cum oram maritimam a praedonibus* (Pompejus) *liberaſſet*, *& imperium maris Populo Romano reſtituiſſet*, *ex ASIA*, *PONTO*, *Armenia*, *Paphlagonia*, *Cappadocia*, *Cilicia &c.* Nec aliter ſonat inſcriptio Epiſtolae I. Beati Petri, miſſae *Electis advenis diſperſionis PONTI*, *Galatiae*, *Cappadociae*, *ASIAE*, *& Bithyniae*. Numquid *Pontus*, *Cappadocia*, *Cilicia &c.* minus Aſiaticae fuerint, ut ſecerni ab Aſia oportuerit? Nihil minus. At Romanis temporibus ea proprie *Aſia* dicebatur, quae cis Halyn fluvium ac montem Taurum ſita erat, *Galatis exceptis* (ut Strabo definit loc. cit.), *& gentibus quae Amyntae paruerunt*, *excepta etiam Bithynia*, *& Propontide*. Debellato Mithridate Pontus adjecta Bithyniae fuit, teſte eodem Strabone; ex qua utraque regione conflata eſt nova populo Rom. provincia, omnino ab Aſia diſtincta. Hinc quo primum anno Pompejus Magnus Proconſul Ciliciam & Bithyniam obtinuit, eodem P. Orbius Praetor Aſiam ſortitus eſt. Sub Auguſtis variatum eſt; cum in Aſiam Proconſul (indeque ea Aſia vulgo Proconſularis dicitur) & in Bithyniam Praetor mitteretur. Ceterum ex quo Pontus a Romanis ſubacta fuerat, diverſae ſemper ſunt habitae provincia Aſia, & illa, cui Pontus acceſſerat, Bithynia; diverſique magiſtratus in utramque

edendos, ac fortaſſe ære ſuo (8) curabat; quemadmodum qui eidem muneri vacabant, ſed erant ex alia extra hanc Aſiam provincia, vocabantur *Syriarchae*, *Cappadociarchae*, *Bithyniarchae* &c. Itaque ſi officium *Aſiarchae* propius attenderis, Aſiarcha idem fuerit ac *Munerarius* h. e. qui munera, ſeu ludos publicos exhibebat. Sane qui Philippus in Epiſtola Graeca Eccleſiae Smyrnenſis de martyrio S. Polycarpi, Ἀσιάρχης ex more dicitur, is interprete Rufino *Munerarius* redditur. Hujus loci atque ordinis Aſiarchae illi fuerunt Act. XIX. 31. qui Paulo Apoſtolo faventes, *miſerunt ad eum rogantes, ne ſe daret in theatrum*. Qui plura de Aſiarchis volet adeat Diſſ. Vandalii de *Aſiarchis*.

Ergo ut illuc redeam; *Commune Aſiae* in aliqua ex illuſtrioribus Aſiae Procoſ. urbibus parabatur; eaque urbs totius Aſiatici conventus hoſpita, atque veluti ſacri *aedituа* facta, tum Μητρόπολις tum Νεοκόρος renuntiabatur; ſic ut ſi bis, ter vel pluries feſtum ibidem agitatum fuiſſet, ea urbs Νεοκόρος β, Νεοκόρος γ &c. *Aeditua iterum*, *Aeditua tertium &c.* in nummis ac lapidibus ſignaretur. Eaque ratio eſt, quamobrem tot urbes in una Aſia provincia & Μητροπόλεις & Νεωκόροι dictae comperiantur; nimirum quia ſubinde aliae pro aliis temporibus dignae judicatae ſunt, quae communes Aſiae feſtos dies, ludoſque procurarent. Quae urbes in quaque provincia eminebant, plerumque id honoris conſequebantur. Neapolitana inſcriptio apud Reineſ. Cl. V. num. 22. Κοινὸν Ασίας (*commune Aſiae*) ſiſtit ἐν Περγάμῳ, *Pergami*, quae erat Myſiae metropolis.

utramque provinciam, ſive Proconſulari, ſive Praetorio nomine, decernebantur: ut ex Pighianis Annalibus Magiſtratuum Rom. intelligere licet. Itaque Dion Pompejum revectum e Ponto in Aſiam deſcribens, veritati tum geographicae tum hiſtoricae litavit, & proprietate verborum uſus eſt exquiſitiſſima; tantum abeſt, ut vel hiſtoricus ignoratae geographiae arguatur, vel in ejus loco ſit Αχαΐα pro Ἀσία ſupponenda.

(8) Strabo lib. XIV. p. 649. Tralles ab opulentia laudaturus, inquit, cives Trallianos ſaepe ad eorum dignitatem evectos, οὓς Ἀσιάρχας καλοῦσιν, *quos Aſiarchas vocant*. Atqui ni Aſiarchae ad ſacrificiorum ludorumque apparatum emungerentur; fruſtra, ut mihi videtur, Geographus e ſolo eorum officio, commendationem opulentiae Trallibus conciliaſſet. Itaque veriſimile videtur, Aſiarchas vel omnino ludos impenſa ſua inſtruxiſſe, vel plurimum erogaſſe de ſuo. Ab Aſiarchis non valde abludunt Aediles Curules Romanorum; ipſi quoque praeter cetera ludorum editioni praeerant. Et his quidem ex aerario impenſa ſuppeditabatur; ſed quoniam magnificentiâ ludorum plebs urbana ad inſaniam uſque delectaretur; idcirco Aediles, ut hiſce veluti illecebris populi benevolentiam captarent, incredibili luxu apparabant ludos, cumque publica pecunia non ſufficeret, patrimonia privata peſſumdabant.

tropolis. Georgius Wheler apud Cellarium Geogr. antiqu. III. 4. lapidem antiquum protulit, qui Κοινὰ Ἀσίας exhibet ἐν Φιλαδελφείᾳ *Philadelphiae*, in urbe Lydiae ſplendidiſſima. Edictum quoddam M. Aurelii Antonini propoſitum prodidit Euſebius IV. Hiſt. Eccl. 13. ἐν Ἐφέσῳ ἐν τῷ Κοινῷ τῆς Ἀσίας in urbe Epheſo, Joniae atque adeo totius Aſiae lumine. Conſecuta etiam aliquando fuit hunc honorem & Smyrna, ut illa quae in quodam marmore Arundel. *prima Aſiae & pulchritudine & magnitudine* praedicatur. Enimvero in alio Arundel. marmore Κοινὸν Ἀσίας Smyrnae exhibitum traditur. Nec ſecus legitur in lap. Grut. p. cccxiv. 1. Σμύρναν, Κοινὰ Ἀσίας. His adde auctoritatem noſtri marmoris, in cujus verſu 26. legitur Σμύρναν Κοινὸν Ἀσίας. De quo hactenus dixiſſe ſatis.

S E C T I O VI.

De Gymnaſio apud Echelidas, Atticae pagum.

Certamen praeripiendi ſcutum ex Argis. *Is agon dictus* Χάλκειος *&* Ἑκατόμβαια. *An inſtitutus apud Argivos, ut exprimeretur armorum Glauci cum Diomedis permutatio.* Hecatombe *tum in ſacris tum in menſa. Plinius illuſtratur.*

VErſus 30. noſtrae inſcriptionis oratione ſic interrupta clauditur: EXE . . . . & verſus 31. in hunc modum orditur: ΑΡΓΟΥΣ ΑΣΠΙΔΑ. Antequam de ludi genere diſſeramus, primum de inquirendo loco certaminis adlaborandum eſt. Nam ſi uſquam alias lacuna marmoris incommodavit, hîc quidem certe quam maxime. Tres non amplius litterae EXE ſuperſunt in marmore; quarum olfactu integrum urbis deperditae nomen ruſpari oportet: quin enim in eo elementorum ternione lateat loci nomen, nullus opinor dubitaverit (1).

Ex

(1) Hoc exploratum quidem eſt; at non aeque compertum, utrum tres illae litterae in commune, an privatim ſibi conſulant; hoc eſt ut dicam apertius, utrum eodem ſimul collineantes, ad unum idemque nomen efferendum valeant, an ſejungendae ſint in E & XE; ita ut prior littera E ſit nota quinarii numeri; & reliquae duo XE pertineant ad urbis, quam inveſtigamus, ſyllabâm initialem. Sane in marmore Gruteriano CCCXIV. 1. M. Aurelius Aſclepiades viciſſe dicitur Ε ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ, Ε ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ, h. e. *Quina Panathenaea, quinque Communia Aſiae,*

• ut

Ex urbibus autem, quae producendo tres illas litteras plurimae deſignari poſſent, nulli quam Ἐχελίδαις concinnior apparet locus. Enimvero nec ſolum brutus litterarum ſonus animadvertendus eſt; ſed etiam ſpectandum, num in ea urbe, quae inde eruitur, gymnica ſpectacula edita aliquando fuerint. Profecto in vocem Ἐχελίδαι, qui fuit Atticae pagus, utrumque optime quadrat; quandoquidem ex τῷ EXE, facile fuit inde Ἐχελίδας exſculpere, ac praeterea eo in pago agonas commiſſos, Stephanus Ethnic. diſerte prodidit: Ἐχελίδαι δῆμος τῆς Ἀττικῆς . . . ἐν ᾧ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας ἐτίθεσαν τοῖς Παναθηναίοις, *Echelidae populus Atticae . . . ubi gymnica certamina Panathenaeorum feſto inſtituerunt*. Etſi autem ne quid diſſimulem, certamen *praeripiendi* (τὴν ἐξ Ἄργους ἀσπίδα) *ſcutum ex Argis*, peculiare Argivis fuerit; tamen noſtri marmoris indicio etiam in Attica, ubi Echelidae, frequentatum fuiſſe, difficile eſt non credere. Tralatitium enim eſt, nonnulla certamina alicubi inſtituta, alio aemulatione quadam ſacrorum, fuiſſe traducta; ut Olympia, Actia, Auguſtalia &c. Quid quod ipſos Junonales ludos, de quibus hic ſermo, praeter Argivos, etiam Aeginetae, & Samii & Elei & Coi & Corinthii in ſolum adſcivere ſuum? Conſule Meurſium de Graecia Feriata III. Atque haec ſatis de loco certaminis.

Ad ludicri vero genus quod attinet; Feſtum id erat Junoni ſacrum: quod enim certamen in noſtro marmore, & apud Grut. CCCVI. 2. ἡ ἐξ Ἄργους ἀσπὶς *ſcutum ex Argis*, dicitur; alias apud eumdem Grut. CCCXIV. 1. ἡ ἀσπὶς Ἥρας, *ſcutum Junonis*, & frequentius Ἥραια, *Junonalia*, dicuntur. Vocabatur quoque feſtum id Ἑκατόμβαια, *Hecatombaea*, teſte Scholiaſte Pindari ad illud ex Ode 7. Olym. ἐν Ἄργει χαλκός: ac praeterea Ἀγὼν χάλκεος, ut a Pindaro ipſo Nem. X. appellatur. Utrumque junxit He-

ut Scaliger de Emend. Temp. V. p. 478. autumat; vel, ut mavult Prideauxius ad marm. Oxon. *Quinquennalia* certamina. Hinc igitur ducta ſimilitudine ſuſpicari quis poſſet, legendum eſſe in marmore diviſim E XE . . . τὴν ἐξ Ἄργους ἀσπίδα, ſignificarique, Flavium Archibium viciſſe *Quinquies*, Junonale certamen in illa urbe, cujus initium a ſyllaba XE petitum, porro eſſet producendum. At enim ſuſpicio iſthaec praeterquam quod nimis e longinquo petita ſit, hoc amplius explodi digna videtur, quod ſi prima illa littera E hîc nota numeralis eſſet, utique lineola ſuperne jacente & puncto juxta adſcripto non deſtitueretur; cujuſmodi ſane τὸ Ē in Gruteriano marmore pingitur; & in noſtro lapide, ſicubi litterae vicem numerorum gerunt, ut verſ. 4. & 5. hiſce ſignis διακριτικοῖς ornantur.

ſychius : Α'γὼν χάλκειος , τὰ ἐν Α'ργει Ε'κατόμβαια , *certamen æreum*, *Argis Hecatombaea*. Si utriuſque nomenclationis rationem a Grammaticis quaeſieris, fruſtra eſt, ut rem tibi eos probare poſſe confidas . Et ſane Scholiaſtes Pindari loc. cit. inſtitutum ait id certamen ab Archino, qui ex praefecto fabricae armorum factus Rex Argivorum , ne memoria fortaſſe ſuae priſtinae ſortis aboleretur, ab armis quoque, ſcuto ſcilicet, praemiorum donationem fieri juſſerit. Nec firmiora ſunt, quae Hyginus Fab. CCLXXIII. tradidit : *Quibus ludis qui vicit , accipit . . . Clypeum , ideo quod Abas, Lyncei & Hypermneſtrae filius, nuntiavit parentibus, Danaum periiſſe; cui Lynceus de templo Junonis Argivae detraxit clypeum (quem Danaus in juventa geſſerat , & Junoni ſacraverat) & Abanti filio muneri dedit* . Verum quominus rationibus hiſce acquieſcam , facit illud in primis quod non Argis ſolum χαλκός , *æs* praemium victoribus (2) proponebatur; nec ibi dumtaxat mos erat *Hecatombem* immolari (3) ; ſic ut ferme privati juris Argivi certaminis fuerit, ut

(2) Notum illud Horatianum eſt IV. Od. 8.

Donarem pateras grataq; commodus,
Cenſorine , meis aera ſodalibus ;
Donarem tripodas , praemia fortium
Grajorum . . . . .

Scholiaſtes Pindari ad Olym. VII. ex Polemone refert , χαλκὸς τὸ ἆθλον εἶναι τοῖς ἐν Α'ρκαδίᾳ Λυκαίοις . . . δίδοται γὰρ . . . . τρίπους χαλκοῦς , *Aes praemium eſſe (ludis) Lycaeis in Arcadia . . . datur enim . . . tripus æreus* . Verbum non ultra addam moroſior. Nihil enim aeque obvium in praemiorum athletarum recenſione occurrit , nihil frequentius , quam χαλκὸς· ut pene mihi fruſtra eſſe videatur , qui contenderit Argivum certamen eo χάλκεον. *aereum* audiviſſe , quia ex *ære* praemia pararentur. Ubinam non eadem materies , utut expolita , in gymnici laboris ſolatium commodata fuit ? Appoſite Pindarus Ode X. Nem. Uliae palaeſtritae majores a praemiis certaminum laudaturus , ubi nonnullas palmas ſigillatim recenſuiſſet , ſic porro ſibi parcens perorat : Α'λλὰ χαλκὸν μυρίον οὐ δυνατὸν - Ε'ξελέγχειν · μακροτέρας - Γὰρ ἀριθμῆσαι σχολᾶς. *At infinitum aes arduum eſt enumerare ; res enim foret otii diuturnioris* .

(3) Fidem fecerit Homerus , qui ſaepe heroas ſuos ex variis Graeciae regionibus accitos, hecatombis ſacris operantes inducit. Athenienſes primum anni , qui apud eos ab aeſtivo ſolſtitio decurrebat , menſem appellarunt Ε'κατομβαιῶνα , ἀπὸ τοῦ πλεἶστας (inquit Suidas) ἑκατόμβας θύεσθαι τῷ μηνὶ τούτῳ, *Hecatombaeonem , eo quod plurimae hoc menſe immolarentur hecatombae* . Lacones , apud Strabonem VIII. p 362. quotannis immolabant τὰ ἑκατόμβοια (*Centurias boum*) quia antiquitus eorum regio ἑκατόμπολις (*centum urbium*) dicta eſt . Sed quid attinet ſingulos regionatim populos recenſendo , detinere lectorem ; cum Strabo , ſacra facere hecatombis, ex Graeca eſſe conſuetudine univerſim affirmat ? Nam de Luſitanorum moribus verba faciens, ποιοῦσι δὲ καὶ (inquit lib. III. p. 155.) ἑκατόμ-

ut & χάλκειος ἀγὼν & Ἑκατόμβαια cognominaretur. Quamobrem cupido inceſſit explorandi, ecquid veriſimiliter veteres impulerit, ut apud eos duplicem hanc nomenclaturam, complexu ſuo vagam, ſolus agon hic, praeterea nullus alius, ſibi propriam vindicarit. Profecto quod Scholiaſtes de Archino praefecto armorum fabricae Rege facto, & Hyginus de clypeo Danai ſomniant, id nihil habet in antiquitate praeſidii. At quanto ſatius fuiſſet, id quod nunc inveſtigando quaerimus, in Homero, cujus carminibus univerſa Graecanica fabula cenſetur, intento digito ciere?

Et Homerum quidem, ut paullo altius ſermonem inſtituam, tamquam artium ſcientiarumque originem primam, tota ſuſpexit antiquitas, ut mirandum non ſit, Graecos homines, quas conſuetudines caeremoniaſque in Homero didicerant, in uſum traduxiſſe ſuum. Hîc autem nolo quis a me expectet, ut Graeciae oppida ſingula ac paene oſtiatim luſtrans, & inde ingentem rituum legumque ab Homero mutuatarum farraginem corradens, propalam quaſi nundinator, exponam. Praeclari id eſſet, nec inutilis quidem, ſed hoc loco alieniſſimi laboris. Interim conjiciat lector oculos in univerſam antiquorum inſtitutionem, ac ipſe judicet, num ulla ſit ars ſcientiave, quae divinum Poëtam vel conditorem primum vel inſtauratorem non ſalutet. Sed & ad res publicas ordinandas quanto

ἑκατόμβας ἑκάστου γένους Ἑλληνικῶς, ὡς καὶ Πίνδαρός φησι

Πάντα θύειν ἑκατόν.

Sed & ex quoque (victimarum) genere immolant hecatombas EX GRAECO RITV, ut & Pindarus ait

Immolare centena omnia.

Quae tanta victimarum copia apud Graecos, opinor, in cauſa fuit, ut τὸ *Graecari* auribus Latinorum aliquanto Graecis temperantiorum, male ſonaret, deque iis diceretur, qui delicate viverent, atque obſonarent pollucibiliter. Nam cum olim nec convivia ſine ſacro, nec ſacrificia ſine conviviis inſtruerentur; hinc ritus ſacrificiorum ad menſae uſum traducti fuere, & Hecatombae menſis aeque ac ſacrificiis communes. Sane quemadmodum ex Strabone didicimus, moris Graecanici fuiſſe in ſacris πάντα θύειν ἑκατὸν, *centena omnia immolare*; ſic Thys Paphlagoniae rex ἑκατὸν πάντα παρατίθεσθαι · · ἐπὶ τὴν τράπεζαν, *centena fercula menſae appoſuiſſe* fertur Athenaeo IV. cap. 10. h. e. centum boves, centum apros, centum oves &c. ut optime Cauſaubonus ibi contra Dalecampium explicat. Simile quid narrat Vopiſcus de Carino: *Centum libras avium, centum piſcium, mille diverſae carnis in convivio ſuo frequenter exhibuit.* hoc eſt, hecatomben quamdam ex unoquoque genere, menſae ſuae apponebat. Haec autem eo ſpectant omnia, ut magis magiſque ſuadeam hecatombem, ſive qua ſacrificia ſive qua ad convivia notanda traducatur, ad univerſam Graeciam, nedum ad ſolos Argivos, pertinuiſſe.

is praeſidio fuit, & quanta auctoritate valuit? Quid quod obortas finium inter populos controverſias Poëtae auctoritate diremptas novimus? Ipſi Juris Romani conditores, ſicubi poſcat uſus, Homeri carmina, velut emblemata quaedam, operi ſuo ferruminant. Nimirum Iliada & Odyſſeam eo conſilio eaque mente ſcriptas conſtans opinio fuit, ubi non quid geſtum, nimis anxie curandum; ſed ubi, quid porro gerendum ſit, artificioſe praecepta traderentur; hoc eſt ut uno abſolvam verbo, Homeri carmina judicata ſunt tamquam Pandectae humani juris ac divini. Nam de religionibus quoque ab Homero traditis, diſerta auctoritas eſt Herodoti II. 53. Homerum cum Heſiodo primum omnium fuiſſe docentis, qui homines de Deorum genituris, nominibusque informarit. Atqui ſi homines ab Homero nomenclationes Deorum didicerint; prono jam alveo fluet, inde quoque ſacrificia, victimarum delectus, feſtos conventus, feciales ritus, funebria, & alia hujuſmodi plurima didiciſſe. Ad ſummam nihil omnino fuit in jure publico privatoque Graecorum, quod non Homeri carminibus contineretur.

At enim ſi informandis Grecis rebus publicis univerſim Homeri carmina praeluxerint; quanta privatim aemulatione inflammatos populos putandum eſt, ut in ſua quiſque patria inſtrueret, quod iidem Homerus in ſuis carminibus architectatus antea poëticis figmentis fuerat? Nullus enim dubito, quin quae Poëta de ſingulis urbibus ſparſim cecinerit, illarum urbium coloni actu deinde exſequi ac perficere geſtierint. Ut ecce quandoquidem Hectore monente Trojanae mulieres, Minervae numen exoraturae, deae peplum detulerint Iliad. VI. 295. hinc ortus ille mos Athenienſium mihi videtur, deducendi peplum Minervae in ſollemni Panathenaeorum pompa. In Odyſſ. XI. 519. Poëta deſcripſerat Heroem Eurypylum, Thelephi Arcadis filium, omnium ſecundum Merionem, pulcherrimum; hinc Pergameni Arcadiae coloni diu poſtea in ſuae originis memoriam ſignarunt in nummis ΗΡΩΑ ΕΥΡΥΠΥΛΟΝ ΕΠΙ ΣΤΡΑΤηγου Γαΐου ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ, *Heroem Eurypylum ſub Praetore Cajo Pollione*, florenti aetate & forma ad miraculum egregia (4). Fuit olim cum Elidenſes nonniſi binos Hellanodicas ludis

(4) Conſule Spanhemium de P. & V. Numiſ. Tom. I. Diſſert. VIII. p. 504. erudite de hoc nummo diſſertantem. Qui nummus ſub Hadriani vel Antoninorum imperio percuſſus judicatur Spanhemio; eo quod his ferme temporibus in Aſia fuerit Πολλίων ἄρχων Ἀσίας, *Pollion Rector Aſiae*

Sane

ludis Olympiis praefecerint; qui poſtea ad *novem* uſque excreverunt (5); ſed hujuſmodi *novenarii* numeri nulla alia ratio afferri poteſt, niſi quod Homerus Odyſſ. VIII. 258. *novem* utique Aeſymnetas certamini Phaeacum praepoſuerit. Poſſem & alios ritus Homericos in civitatum poſtea morem inductos in medium proponere; ſed non obtundam diutius, rem ipſam quam habeo prae oculis, aggrediens.

Pervulgatum eſt illud ſingulare certamen quod Glaucus Lycius & Diomedes Argivus inire meditabantur; ut aeque notum eſt, quo pacto Glaucus ingentem animum vireſque Diomedis reformidans, certamen declinarit; ejuſque gratiam, obtento paterno hoſpitio, traditiſque ſuis aureis armis, æreiſque Diomedis ſibi viciſſim acceptis, inire affectarit; ita ut in proverbium abierint illa Poëtae verba: Iliad. VI. 236.

Χρύσεα ΧΑΛΚΕΙΩΝ, ΕΚΑΤΟΜΒΟΙ' ἐννεαβοίων.

Aurea cum ÆNEIS, HECATOMBOEA (6) *enneaboeis*.

aptaturque paroemia iis, qui pretioſa cum vilioribus permutant. Hoc autem illuſtre Diomedis facinus, omniumque ore praedicatum, aegre adducor ut credam, Argivos homines cives ſuos, Homerique numini (7) devotiſſimos, oblivioni tradidiſſe. At enim cum apud Argos inſtitutum Junonale certamen obſervem, quod Heſychio, aliiſque teſtibus, ΧΑΛΚΕΙΟΣ ἀγὼν, & ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΑ (8) vocabatur; facile mihi perſuadeo, illum Homeri verſum, quem modo recitavi, dediſſe certamini Argivorum occaſionem; pro ea ſcilicet

Sane legitur in quodam lapide Puteolano *Aulus Pollion* Tyri Archon ſub M. Aurelio Imp. de quo dicam, cum ad gymnaſium Puteolanum devenero.

(5) Auctus deinde fuit Hellanodicarum numerus; nam diviſis Eleis in duodecim tribus; ſingulae tribus, ſuum quaeque, dedere Hellanodicam; Pauſan. Eliac. I. 9.

(6) *Hecatomboea*, ut & *Enneaboea* intacta reliqui; nec dum enim ſatis conſtat, monetae ne genus fuerint bovis effigie ſignatae; an pretium valori centum boum in una voce, novem in altera, reſpondens ſignificent.

(7) Argivi (ut ſcribit Aelianus Var. Hiſt. IX. 15.) ποιοῦντες δὲ θυσίαν ἐπὶ Ξενίᾳ ἐκάλουν τόν Ἀπόλλωνα καὶ Ὅμηρον, *ſacrificantes in Peregrinorum hoſpitio, invocabant Apollinem & Homerum*.

(8) Pertenue diſcrimen inter Ἑκατόμβοια, & Ἑκατόμβαια intercedit: ſed quantumcumque, ejuſmodi eſt, ut floccifiat. Profecto enim ſi utrumque vocabulum reſecueris ad vivum, unam eſſe utrique originem deprehendes. Quid quod diphthongi ΟΙ & ΑΙ, unde illa oritur diſcordia, tum alibi tum in hac ipſa voce alternant? Sane quod feſtum Laconicum a Strabone lib. VIII. p. 361. vocatur Ἑκατόμβοια, id ipſum ab Euſtathio apud H. Stephanum Ἑκατόμβαια effertur.

ſcilicet, quam ante innui, Graecorum ex Homeri carminibus argumenta, quae in rem ſuam derivarent, captantium conſuetudine.

Ac ſane ſi quis in ludicri ritum *auferendi ſcutum ex Argis*, mentem attente conjecerit, ac rurſus aeſtimet ejuſdem ludicri duplicem nomenclationem; facile eſt ut in eo certamine adumbratam fuiſſe conjiciat armorum Glauci cum Diomedis armis permutationem. Argis ergo in arduo ac difficili acceſſu loco affigebatur ſcutum; pro quo revellendo indicebatur certamen, quod ex loco ubi primum inſtitutum, ἀσπὶς ἐξ Ἄργους dicebatur. Athletae gravi armatura onuſti (eaque de cauſa dicti ὁπλῖται, & ὁπλιτοδρόμοι, *in armis currentes*) eo contendere jubebantur, ubi ſcutum affixum erat. Ei igitur, qui currendo ceteros praevertiſſet, ſcutumque refixiſſet, revulſum ſcutum praemio cedebat. Notum id ex Hygino, Suida, Scholiaſte Theocriti. Atqui victoris dextera jam ſcuto ſuo armata erat; curſus enim in armis inibatur: itaque ne duplici ſcuto fruſtra humeri impedirentur; opinor, victorem ſcutum ſuum ibi, unde alterum majoris utique pretii refixerat, depoſuiſſe. Tale quid hujuſmodi vivis expreſſiſſe coloribus mihi videtur Parrhaſius, de quo Plinius lib. XXXV. cap. 10. *Sunt & duae picturae ejus nobiliſſimae. Hoplitites* (fort. *Hoplites*) *alter in certamine ita decurrens, ut ſudare videatur; alter arma deponens, ut anhelare ſentiatur*. Exploratum haud quidem eſt, quemnam Hoplitem cujuſve gymnaſii depinxerit Parrhaſius; pluribus enim in ſtadiis hoplitae committebantur, teſte Pauſania Eliac. II. 10. At quoniam id genus curſus totam Argivi ſpectaculi ſeriem abſolvebat, difficile eſt non credere, curſorem Argivi agonis, in quo ſoli Hoplitae certabant, expreſſum in ea pictura, fuiſſe. In qua tabula contemplare, ſodes, hoplitem unum ita currentem, ut ſudore madeat; & hoplitem alterum, reciprocantem animam, atque arma deponentem. Deponit autem arma, quia emenſo ante alios curriculo, jam facultas ei dabatur, uti ſpiritum contentione curſus interceptum relaxaret, & nova arma merito ſuo parta, refigeret, indueretque.

Profecto qui certaminis hujuſmodi genium propius intueatur, ei facile haec actio nihil aliud ferme fuiſſe videbitur, niſi quaedam permutatio armorum, qua victor pretioſiore ſcuto praerepto, deterius humi abjeciſſet; hoc eſt ut appoſite ipſius Homeri verbis utar -- Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι ἐννεαβοίων. Ac ſane tanta mihi inter certamen Argivum, epiſodiumque Homericum intercedere con-

convenientia videtur, ut prope dixerim, armorum commutationem Argis, forte ab Iliaca tempeſtate frequentatam, praebuiſſe anſam Homero effundendi pulcherrimum illud epiſodium, quo Glaucus aurea ſua arma cum Diomedis Argivi æreis armis commutans inducitur. At vero propius fidem eſſe videtur, Argivos argumenta certaminis ſui ex Homero, pro conſuetudine Graecis familiari, deprompſiſſe, quo pervulgatam Glauci cum Diomede cive ſuo commutationem utcumque exprimerent. Quae conjectura ſi non faſtidiat; jam in promptu erit ratio, quamobrem is agon noſter Χάλκειος & Ἑκατόμβαια diceretur; non quidem quia primum inſtitutus fuerit a praefecto ferrario, Rege facto; nec quia Hecatombê (9) ſacra fierent; ſed utique ut ad Glauci arma ἑκατόμβοια, cum æreis Diomedis, quae χάλκεια, alluderet, eo duplici vocabulo ſignabatur. Fortaſſe liberius, quam facto opus erat, in conjecturas excurri: ſed mihi jucundum fuit, rationem Argivi certaminis, cujus mentio in inſcriptione noſtra fit, in Homero ipſo inveſtigare, in eoque prima incunabula detegere.

C A P V T V.

De Gymnaſio Neapolitano.

JAm eo loci, quo pervadendi gratia initus eſt hic itineris labor, Deo juvante, deveni. Verſu 19. ſeq. noſtrae inſcriptionis ſic ſcalpitur: ΝΕΑΝ Π . . . . . . Παγκράτιον &c. Nulli dubium, quin hîc ΝΕΑΝ ΠΟΛΙΝ legendum. Sic C. Ant. Septimius in inſcr. Arundelliana apud Reineſ. V. 20. plurima certamina viciſſe dicitur ΝΕΑΝΠΟΛΙΝ, *Neapoli*. Hîc autem paullo ſtudioſius

(9) Haec non eo dicta velim quis accipiat, quaſi ſacrificium ac ſi mavis, hecatombem ab eo ludrico amandaverim; nam nulla ſpectacula ſine ſacrificiis olim edebantur, ut paullo ante innui. Ac profecto in Argivo certamine ſacrificatum fuiſſe prodidit Pindarus Nem. X. Ἀγὼν τι χάλκεος δᾶμον ὀτρύνει ποτὶ θυσίαν Ἥρας, ἀέθλων τε κρίσιν, *certamen æreum hortatur populum ad ſacrificium Junonis & ad praemiorum judicium*. Sacrificium cum audis, ſtatim animo concipe convivium, epulaſque publicas opiparas. Nec enim dubito, quin ea occaſione plures hecatombae, hoc eſt plures victimarum centuriae immolatae fuerint. Atque hinc fortaſſe, ignorata jam priſtina certaminis origine, orta eſt illa opinio a Scholiaſte Pindari, Suida, Hygino aliiſque propoſita, agonem Argivum ideo *Hecatombaea* dictum, quia plurimae hecatombae immolarentur.

dioſius pertractanda ſuſcepi , quae de Palaeſtra Neapolitana mihi poſt aliorum diligentiam adhuc notanda ſupererant . Etſi autem in noſtro lapide poſt Actiacum locus Neapolitano gymnaſio deferatur, de eoque illic diſſerendi occaſio ex ordine data fuiſſet; tamen ne longiore diſquiſitione ſuſceptam gymnaſiorum recenſionem abrumperem , hûc veluti ſpe proximae finis recollecto ſpiritu, quidquid id eſſet & qualecumque, pacatius enarrare diſtuli . Quamquam , verum ut fatear , ab eo labore ſatis otii facere potuiſſet Petri Laſenae noſtri diſſertatio *de Gymnaſio Neapolitano* , ubi adeo late , varie , diffuſeque id argumentum pertractatur , nihil ut paene ſit, quod praeterea deſideres . Equidem in ejus eruditione non vulgari , diligentia vero quanta maxima libenter conquieviſſem ; niſi quidam doctiſſimus aeque ac clariſſimus vir , incredibili quodam acroamate percellens aures , me exciviſſet a quiete . Quid enim? Gymnaſium peculiaris aedificii nomen fuiſſe unquam , mordicus negavit. En ultro oblata occaſio refricandi rurſus hoc argumentum; nam ne ſilerem omnino, quae mea eſt exiſtimatio de praeſtantiſſimo viro fecit ; cujus opinionem ſi tacitus , vel cum id ex profeſſo agerem , praeteriiſſem , deſpicatui forſitan hominem habuiſſe viderer . Hinc mihi venit in mentem ſubjicere ſeorſum lectori Diatribam de *Palaeſtra Neapolitana* , in qua primum παρασκευὴν (*praeparationem*) quamdam praemittam , qua Gymnaſium, aeque ac Theatrum, Porticus, Forum, fuiſſe ingentem quamdam fabricam , ad artis praeſcripta diſpoſitam , eamque fabricam Neapoli non defuiſſe , oſtendam . Tum porro , quae mihi pauca de athleticis Neapolitanorum exercitationibus dicenda reſtant , exſequar .

IN CAPVT V. DIATRIBA

De Palaeſtra Neapolitana.

PARS PRIOR ΥΛΙΚΗ

§. I.

Gymnaſium fuiſſe quid ὑλικὸν h. e. quoddam fabricæ genus exercitationibus athleticis comparatum.

FAbricas ab uſu, cui dedicantur, nomina quaſque ſua ſortitas eſſe, ſupervacaneum eſt monere lectorem. Ex. gr. Balnea, Theatra, Porticus cum nominantur, ſtatim imago certi cujuſdam aedificii incurrit in animum, ut neceſſe non ſit accuratiore commonefieri diſtinctione. Rurſus cum quis in fabricas incidit, quarum aliae hypocauſtum, Laconicum, aquarum alveos; aliae cuneos ſpectaculorum, orcheſtram, ſcenam, proſcenium repraeſentent; nomenclatore non eget, ut is illa balnea, haec theatra nominet. Omnium enim populorum conſenſus facit, ut quae aedificia haſce partium diſtributiones exhibeant, utique his nominibus definiantur; ac viciſſim ut ea aedificiorum nomina ex uſu & conſuetudine quadam eorum, quae vel ipſi vidimus, vel utcumque cogitationi noſtrae acciderunt, extemplo ſpeciem harum partium excitent animo, ac veluti ſiſtant ob oculos. Atque haec praefari, neceſſarium duxi; ne quis fortaſſe in ambigua vocabulorum notione ludens, indeque effugium quaerens, mihi elabatur e manibus.

Itaque, ut inſtitutum ſermonem exſequar, Gymnaſium ſive Palaeſtram cum audimus; ſtatim cujuſque animo ſuccurrit quaedam aedificii ſpecies, ita palaeſtrae peculiaris, ut eam a Balneis, a Theatris &c. omnino diſtinguat. Gymnaſium autem illud eſſe jam vulgo receptum eſt, quo apodyterium, ſphaeriſterium, ephebeum ceteraeque partes a Vitruvio deſcriptae, continentur; adeoque gymnaſio propriae, ut interdum hae ſingulae partes in nomen totius generis *συνεκδοχικῶς* (1) abierint. Sed eſt etiam alia gymnaſii vocis acceptio,

 qua

(1) Eo refer ubicumque apud veteres Grammaticos *Gymnaſium* pro gymnaſii membro aliquo ſumitur, vel contra. Sed nihil aeque facile alternat, quam *Gymnaſium & Balineae* ſeu *thermae*, eo quod utrobique corpora denudarentur; hinc utrique loco commune vocabulum. Aevo ſequiore cum jam athleticae artes in deſuetudinem abiiſſent, & balineae adhuc commendarentur; Gymnaſium, ubi ex recenſione Vitruvii *calda lavatio*

qua non locus exercitiorum, ſed exercitia ipſa ſignantur. Jam nunc illud quaeritur, quod ceteroqui a nemine antea dubitatum comperi, num gymnaſium re vera quid ὑλικὸν (*materiale*) fuerit, ſeu ut planius dicam, fabricae ita dictae nomen. Negat Cl. Scriptor Thecae Calamariae, immo pertinaciter obſtinateque negat; hunc enim titulum diſquiſitioni ſuae praefixit: *Gymnaſium fuiſſe peculiare aedificium pernegatur*: totuſque in eo eſt, ut oſtendat, Gymnaſium fuiſſe quidem locum exercitiorum, ſed vagum incertumque; nuſquam vero immolitam ſtetiſſe fabricam, quae ſtructura, apparatu uſuque ſuo ſub Gymnaſii nomine cenſeretur.

Equidem palaeſtricas exercitationes ubivis, ac ſub dio edi potuiſſe non negaverim; nec neceſſe fuiſſe, ut eae intra certi alicujus aedificii ſepta continerentur. Quidni enim locus quivis, modo aptus exercitationibus, temporarii, ut ita dicam, gymnaſii vicem gerere potuiſſet? At vero quin frequentiſſima apud Graecos fuerint aedificia, palaeſtritarum commodis dedicata, nec mihi nec cuivis, opinor, alii probabitur. Quamvis autem non aegre fuerit, negantem ſententiam ut abſurdam traducere; tamen mihi difficile accidit ab ea opinione Cl. nuperum Scriptorem dimovere, duas maxime ob cauſas; primum quod pleraque locorum veterum, quae Cl. Viro poſſem obducere, ipſe ſibi ultro objecerit; deinde quod auctores opinioni ſuae incommodos, ſi paullo remotiore antiquitate defenduntur, qua vi, qua injuria correxerit; ſi vero vetuſtate nondum incanuere, caſtigarit falſique reos egerit inclementer. Quamobrem ne diutius funem contentionis ultro citroque ducere videamur; neve, dum ipſe auctores pro gymnaſio ὑλικῷ allego, rurſus eorum latera novis criticae ictibus aperta objiciam; alia via atque ratione cauſam patrocinari ſuſcipiam. Nam mihi eſt animus ſiſtere ob lectorum oculos Gymnaſium, ejuſque partium ἀνάλυσιν quamdam inſtituere; cui ſi qualitates, & ut ita dicam affectiones, quae cum quavis fabrica ſunt communes, optime convenire deprehenderimus; ecquis porro gymnaſium fuiſſe aedificium dubitaverit? Proponatur ergo

I. *Gymnaſium delineatum*. A delineatione ordior. Vitruvius, cum *Praefatione libri quinti* in ſe recepiſſet expedire eo libro Publicorum Operum diſpoſitiones, fidemque ſuam a Capite I. ad X. ex parte liberaſſet, tandem Cap. XI. *de Palaeſtrarum aedificatione* ſermonem inſti-

vatio inaedificata erat, vel ſaltem applicita, in *Thermarum* nomenclatione conceſſit: de quo dicam §. IV.

inſtituit; ac primum palaeſtrae formâ quadrata (2) vel oblonga commendatâ, ad partes ſigillatim enumerandas deſcendit; *Ephebeum*, *Coniſterium*, *Elaeotheſium* &c. partite recenſet, membraque omnia apte diſponit. Ad ſummam nihil eorum, quaecumque ex artis praeſcripto in gymnaſii aedificatione flagitantur, omnino reliquum fecit. Quid autem contra tantam gymnaſii ὑλικοῦ, ut ita dicam, perſpicuitatem atque evidentiam obducat nuperus Cl. Auctor; coram eloqui (3) non ſuſtineo.

II. *Aedificatum*. I. Machab. I. 15. *Et aedificaverunt gymnaſium in Hieroſolymis ſecundum leges nationum*. Et II. Machab. IV. 9. *Si poteſtati ejus concederetur gymnaſium . . . conſtituere*, & verſ. 12. *Etenim auſus eſt ſub ipſa arce gymnaſium conſtruere*. Illud κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐθνῶν, *ſecundum leges nationum*, ſic interpretor, ut gymnaſii aedificationem non magis ad receptos Graeciae mores accommodatam, quam ut ad artis rationes exactam fuiſſe, oſtendatur. Hoc leve; illud autem noſtra intereſt adnotaſſe, verba illa *aedificare*, *conſtituere*, *conſtruere gymnaſium*, nonniſi ὑλικόν τι, *materiale quid* ingerere animo, nec niſi de eo opere, quod ſtruendo, moliendoque paullatim aſſurgit, uſurpari ſolere. Enimvero tantus ex his Macchabaeorum locis pro gymnaſio ὑλικῷ fulgor emicat, ut vel ipſi Scriptori noſtro perſtrinxerit oculos (4). De hoc autem Macchabaico loco infra §. III. ſermo recurret.

M 2 III. *De-*

(2) Sane quadratum erat unum ex pluribus Eleorum gymnaſiis. Pauſanias Eliac. II. 23. *Eſt & minus aliud Gymnaſii ſeptum, majori contiguum* (τετράγωνον δὲ ὀνομάζουσιν ἐπὶ τῷ σχήματι) *ab ipſa figura Quadrangulum appellant*.

(3) Hoc horribile de Vitruvio carmen cecinit Thec. Calam. pag. 575. ſeq. *Ceterum haud negem hunc architectum* (Vitruvium), *cum palaeſtras moris Romani eſſe palam inficiatus ſit, in eo cap. XI. tanta obſcuritate laborare in deſignandis hujus Graecanici aedificii A SE CONFICTI partibus, ut vehementer dubitem, quin Oedipus ipſe ejus verba & operis σχῆμα divinare ſatis ſit; dum enim multiplicem et fortaſſe indigeſtam molem* COMMINISCITUR, *coagmentat ex plurimis publicis aedificiis ſuum palaeſtrae opus, quam numquam vidit, neque &c.* Cetera perſequi, facinus inexpiabile foret. Nam quis non ſibi religioni duceret, Architectorum principem in re ſua, hoc eſt, in artis ſuae ὑποκειμένῳ (*ſubjecto*) quamvis alieno ore accuſare falſitatis?

(4) Vir Noſter praeſtantiſſimus, ubi ſibi loca haec ſtrictim objeciſſet, *Nunc primum* (inquit pag. 590.) *ſcimus nos latere, quodnam ethnicum aedificium gymnicum aedificarint Judaei Hieroſolymis*. De eo quidem non miror; mirarer potius ſi loci hujus Macchabaici adeo diſerta, ac tam perſpicua auctoritate fractus praeceptam opinionem ſuam depoſuiſſet.

Cer-

III. *Dedicatum*. Coronide cuivis operi impoſitâ, gradus ad dedicationem fiebat. Jam gymnaſium Vitruvio architecto delineatum, & Macchabaici auctoris operâ aedificatum ſtitimus, porro praeeuntibus Suetonii verbis Nerone 12. dedicabimus. *Inſtituit* (Nero) *& quinquennale certamen primus omnium Romae more Graeco . . . . Dedicatiſque thermis atque Gymnaſio Senatvi quoque & equiti oleum praebuit.*

IV. *Inſcriptum*. A ſilentio veterum litteratorum lapidum idem noſter Auctor Cl. argumentum capit, Gymnaſium ὑλικὸν nuſquam exſtitiſſe (5). At ſi hic unus ei reſtat ſcrupulus; nihil mihi proclivius eſt, quam ut illum ab ea ſollicitudine recreem. Inſcriptionem enim vetuſtam quantivis pretii legendam ipſi proponam; quam ne νοθείας inſimulet, eam ab ingentis eruditionis acerrimique judicii viro mutuabor. Is eſt Plutarchus, qui in vita T. Quintii Flaminii (pag. 378. Edit. Franc.) ubi ſingularia Titi Flaminii in Chalcidenſes beneficia narraſſet, ſic dicere pergit: *Chalcidenſes hoc modo conſervati, Quintio dedicaverunt pulcherrima & maxima urbis ſuae ornamenta* (ὧν ἐπιγραφὰς ἐςὶ τοιαύτας ἄχρι νῦν ὁρᾷν. Ο ΔΗΜΟΣ ΤΙΤΩΙ ΚΑΙ ΗΡΑΚΛΕΙ ΤΟ ΓΥΜΝΑΣΙΟΝ, ἑτέρωθι δὲ πάλιν, Ο ΔΗΜΟΣ ΤΙΤΩΙ ΚΑΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΤΟ ΔΕΛΦΙΝΙΟΝ) *quorum hoc aevo quoque titulos cernas hujuſmodi: POPVLVS TITO ET HERCVLI GYMNASIVM, & alibi rurſus, POPVLVS TITO ET APOLLINI DELPHINIVM* (6). Quid autem hac inſcriptione certius pro gymnaſio ὑλικῷ afferri poteſt, quid luculentius?

V. *Ter-*

Certe veritates ipſae, quae fulgore ſuo ultro incurrunt in oculos, ſi forte alii opinioni noſmet ipſi deſponderimus, aeternum latebunt.

(5) *Adeo verum* (inquit pag. 576.) *Gymnaſium non eſſe, niſi nomen incertum & vagum loci, ubi ludi cujuſvis generis habebantur, ut in Gruteriano Indice, XI. de ludis, feſtis, theatris* &c. *vocem* gymnaſium *illitam non videas: ſane ſi* ἴδιον *aliquod aedificium fuiſſet, cum ſexcentis aliis locorum nominibus adnumeratum inviſeres*. Miram hominis ſagacitatem; inquiens enim *in Gruteriano indice*, reprehenſionem declinat; qua ſane non vacaret, ſi *in Grutero* dixiſſet. Nam apud Gruterum pluries incidit gymnaſii mentio. Vide pag. CCCXXVII. titulum Batoni Gymnaſiarchae poſitum, ubi prope finem ſcalpitur: τὸ δὲ δόγμα τόδε ἀναγράψαι εἰς ςήλην λιθίνην, καὶ ἀναθεῖναι ἐν τῷ ἐπιφανεςάτῳ τόπῳ τοῦ ΓΥΜΝΑΣΙΟΥ: *Decretum hoc inſculpi cippo marmoreo, & proponi in ſplendidiſſimo loco Gymnaſii.*

(6) Δελφίνιος cognomen Apollinis eſt; hinc τὸ Δελφίνιον templum ejus numini dedicatum; quale Athenis fuit, ubi dicaſterium eadem de cauſa τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ dictum, de quo Demoſthenes. Vide Harpocrationem, Suidam, alios. Communio autem Titi cum Hercule et Apolline, quaſi ſi σύν-

V. *Terraemotu conlapſum*. Strabo XII. p. 579. *Nam & noſtra aetate terraemotus* (σεισμοὶ) *Magneſiam dejecerunt : quando & Sardes , & aliae nobiliſſimae urbes graviſſime afflictae multis partibus . Imperator* (7) *tamen inſtauravit , pecuniam largitus : quod etiam beneficium Pater ejus praeſtitit Trallianis eadem antea calamitate afflictis* (ἡνίκα τὸ γυμνάσιον ϗ ἄλλα μέρη συνέπεσεν) *cum Gymnaſium aliaeque partes corruiſſent, &c.* Apprime notanda ſunt poſtrema haec verba , γυμνάσιον . . . συνέπεσεν, non mediocri uſui nobis §. IV. futura.

VI. *Incendio amiſſum*. Plinius Trajano Epiſt. 48. lib. X. *Iidem Nicenſes Gymnaſium incendio amiſſum . . . . reſtituere coeperunt, &c.* Iſtud gymnaſium, quod incendio amiſſum ex Plinio novimus, illud facile fuit, quod antea Strabo XII. p. 566. deſcripſerat: *Urbs ipſa* (Nicaea) *quadrata eſt , ambitu ſtadiorum XVI. in planitie ſita , quatuor portis aperta, ſectis ad angulos rectos* (ὥστε ἀφ' ἑνὸς λίθου κατὰ μέσον ἱδρυμένου γυμνάσιον) *ita ut quis in lapide , qui in medio gymnaſii eſt , conſiſtens , quatuor portas aſpexerit* . Juvat hic Geographi locus vel eam ob cauſam , quod ubi Gymnaſia conſtrui moris fuerit , aperte docet. In urbis enim meditullio ea , ut omnium circa civium commodo inſervirent, aedificata veriſimile eſt ; quandoquidem ex medio gymnaſii Nicenſis ad quatuor urbis quadratae portas ad angulos rectos ſectas, proſpectus per apertas palaeſtrae porticus libere daretur. Ex facto autem Nicenſium quid alii fecerint, conjecturam capere licet.

VII. *Reſtitutum* . Plinio conſulenti Trajanum , num deſiderio Nicenſium, qui multo, quam antea, laxius gymnaſium reſtituere moliebantur , ſatis ipſe facere poſſet; Imperator , genio Graecorum obſecutus reſcripſit: *Gymnaſiis indulgent Graeculi ; ideo forſitan Nicenſes majore animo conſtructionem ejus aggreſſi ſunt ; ſed oportet illos eo contentos eſſe , quod poſſit illis ſufficere* . Quanto autem Nicenſes apparatu palaeſtram moliebantur , praeſtat ex Plinio diſcere : *Iidem Nicenſes gymnaſium incendio amiſſum, ante adventum meum reſtituere coeperunt longe numeroſius , laxiuſque quam fuerat . Etiam aliquantum erogaverunt . . . . Praeterea architectus ſane aemulus ejus , a quo opus inchoatum eſt , affirmat* (8) *parietes , quamquam viginti & duos pedes latos ,*

ſi σύνναοι eſſent , quae tunc fuerit Romani ducis apud Graecos opinio atque exiſtimatio, oſtendit.

(7) Is eſt Tiberius Caeſar , cui Civitates Aſiae terraemotu afflictae praegrandem titulum erexere , quique hodie exſtat, Puteolis.

(8) Gymnaſiorum parietes in veteri medicina commendantur; quandoquidem hinc ſtrigmenta colligebantur, ad quorumdam morborum curationem conducentia . Plinius Hiſt. Nat. XXVIII.

latos, impoſita onera ſuſtinere non poſſe; quia ſint caemento medii farti, nec teſtaceo opere praecincti. Profecto habes in hoc uno Plinii loco, quaecumque pro gymnaſio ὑλικῷ afferri poſſent, explicate enucleateque tradita.

Atque haec ad id quod mihi propoſueram oſtendere, ſatis ſuperque eſſe poſſunt; ſimul et idonea eſſe puto, quae vel a pertinaciſſimo eliciant aſſenſum. Nam quis rogo adeo pervicax erit, ut audiens quid delineatum, aedificatum, dedicatum, inſcriptum, terraemotu conlapſum, incendio amiſſum, ac denique reſtitutum, non ſtatim de aedificio aliquo ὑλικῷ (*materiali*) cogitet, cui haec ipſa quae recenſui, ſolent accidere? Vel ſic tamen ſi forte quis ita ſe compararit, ut quae ipſe olim docuit, ulla dediſcere ratione nolit; nihil praeterea mihi reliquum ſit, niſi ut illum, Bonae Menti ſtudioſe commendatum, bona cum pace miſſum faciam.

§. II.

Gymnicas inſtitutiones impedimento fuiſſe quo minus Neapolis, Tarentum, ac Rhegium cum ceteris Italiotis ad barbariem defecerint. Strabo explicatur. Latina lingua loco beneficii conceſſa Graecis oppidis. Gymnaſia in luctu publico clauſa.

NUllum ferme oppidum in tota Graecia fuit paullo frequentius, ubi non Gymnaſium inaedificatum publice fuerit; adeo ut ſi palaeſtra alicubi defuiſſet, indignus qui *urbis* appellationem gereret, ille locus haberetur (1). Atque haec tanta palaeſtrarum, ut ita dicam, inſania, me cogit, ut Strabonis de peſſumdato Italico Graeciſmo querelas, praeſertim a palaeſtris abolitis arceſſam. Sane Geographus lib. VI. pag. 253. ubi florentiſſimum Graeciae Italicae ſtatum priſtinum extuliſſet laudibus, mox in praeſentem conditionem intuens, hoc

XXVIII. lect. 13. *Immo etiam ipſos gymnaſiorum raſere parietes; & illae quoque ſordes excalfactoriam vim habere dicuntur:* quod Plinius a Dioſcoride I. 36. totidem verbis (Καὶ ὁ ἐν τοῖς τῶν γυμνασίων τοίχοις ῥύπος . . . θερμαίνει τε &c.) expreſſit, ut notat ibi Harduinus.

(1) Indicio eſſe poteſt Pauſanias, qui cum lib. X. 4. dixiſſet Panopeum eſſe πόλιν (*urbem*) Phocenſium, continuo veluti pedem referens ſe ipſe retractat: Εἴγε ὀνομάσαι τὶς πόλιν καὶ τούτους, οἷς γε οὐκ ἀρχεῖα, οὐ Γυμνάσιόν ἐστι, οὐ θέατρον, οὐκ ἀγορὰν ἔχουσιν &c. *Si modo quis urbem eam appellarit, in qua cives non praetorium, non Gymnaſium, non theatrum, non forum habent.*

hoc lugubre carmen cecinit : Νυνὶ δὲ πλὴν Τάραντος καὶ Ῥηγίου, καὶ Νεαπόλεως, ἐκβεβαρβαρῶσθαι συμβέβηκεν ἅπαντα. *At nunc Tarento*, *Rhegio*, *ac Neapoli exceptis*, *omnia in barbariem redacta ſunt*. Quinam fuerit trium horum oppidorum graeciſmus ſuperſtes, decerni plane non poteſt; ni prius de barbariei, unde eximuntur, natura conſtiterit.

At enim de infuſa illa barbarie non una fuit Scriptorum noſtrorum opinio. Alii Strabonem de ſpoliata αὐτονομίᾳ (*libertate ſuarum legum*), alii de graecanica lingua intermortua conqueſtum fuiſſe volunt. Utrique ex parte, ſed neutri totam Geographi mentem adaequaſſe mihi videntur. Strabo eo tempore ſcribebat, quo nullus in orbe receſſus erat, ubi non aquilae Romanae nidificaſſent; tantaque erat Romanae civitatis adipiſcendae ambitio, ut paſſim eo gradu ac loco urbes haberentur, quo magis minuſve ad jura Civitatis Romanae accederent. Itaque ſi ea tempeſtate civitates Graeciae Italicae Romano jure gererentur; id inquam, ſummi beneficii loco, nedum barbariei, habendum ſane fuiſſet. Rurſus ſi de lingua Graeca deperdita ibi ſermo eſſet; tanti quidem ea res non erat, quamobrem Geographus tantopere paratragoediaret. Haec enim hujuſmodi ſunt, quae tum ἀδιάφορα (*indifferentia*) ſunt natura ſua, tum ultro vulgi uſui, penes quem ſemper fuit arbitrium loquendi, permittuntur. His adde quod lingua latina in ea erat dignitate, ut Romani nonniſi laceſſiti precibus, publicum ejus uſum oppidis graece-loquentibus indulſerint (2). Tan-

(2) Livius lib. XL. 43. ad annum V. C. 573. *Cumanis eo anno petentibus permiſſum*, *ut publice Latine loquerentur*, *& praeconibus Latine vendendi jus eſſet*. Τὸ *Publice* eſt in *Actis publicis*. Penes arbitrium vulgi eſt, quamcumque velit uſurpare dialectum: At Principis intereſt decernere, qua lingua edi acta publica expediat. Cumani origine Graeci, ſed Hannibalica tempeſtate municipes Romani facti, Graecam linguam paullatim in uſu familiari cum latina commutarunt: ut porro eamdem latinam linguam *publice* h. e. in numiſmatis, inſtrumentis, pactis conventis, adoptarent, facultas a Romano Senatu impetranda erat; ut revera, Livio teſte, impetrarunt. Hinc judicium de aetate Cumanorum numiſmatum graecorum ferri παχύτερον poteſt; ea ante annum V. C. 573. cuſa fuiſſe. Sed ut ad Livii locum redeam; lingua latina, ut erat populi imperantis propria, non temere nec ſine delectu, ut ex indulgentia Cumanis facta deprehendi poteſt, cum populis in ſocietatem Romanae civitatis adſcitis, communicabatur. Porro ad ejuſdem linguae dignitatem facit, quod peregrini homines nonniſi latine cauſam dicere in Senatu cogebantur; & ipſi Imperatores Rom. praefabantur in Curia veniam, ſi quid Graece ſibi efferendum neceſſitas extorſiſſet; rati ſcilicet, amplitudinem illius loci ac Rom. nominis dignitatem contaminatum iri peregrinitate. Quid quod & tran-

Tantum abeſt, ut lingua latina cum Graecis Italis communicata, eos barbariei rubigine infecerit.

At, inquies, Geographus Italiotas ad barbariem deſciviſſe conqueritur. Ita ſane; ſed hanc barbariem non magis mutato reipublicae ſtatui, vel dialecti inverſioni, quam gymnaſii abolitioni, imputandam eſſe reor, duas maxime ob cauſſas. I. Gymnaſia illa ſola apud Graecos erant, quae complebant hominem ac perficiebant. Philoſophorum ac Rhetorum acroamata, quibus exhedrae gymnaſii quotidie perſonabant, ac praeterea athleticae palaeſtrarum exercitationes, aptos domi militiaeque cives praeſtabant; quamobrem non immerito quis conquereretur, ſi ea loca, ubi juventus in belli paciſque artibus erudienda detinebatur, ſublata cerneret. II. Tres non amplius urbes ab ea barbarie Strabo vindicat, Neapolim ſcilicet, Tarentum ac Rhegium. Atqui, ut nunc de Neapolis fortuna taceam, reliquae duae urbes aetate Strabonis civitate Romana fruebantur. Tarentum enim, ut eſt apud Geographum lib. VI. p. 281. coloniam Romanorum acceperat: & Rhegio civium penuria laboranti Caeſar Auguſtus ſupplementum ex claſſe ſua dederat, ut Strabo ipſe lib. VI. pag. 259. narrat; indeque fuit, ut Rhegium, coloniarum more, cognomen *Julii* adſciſceret. Cum itaque utraque civitas priſtinae ſuae Graecanicae reipublicae jacturam feciſſet, & tamen ad barbariem deſciviſſe a Geographo negetur; facile eſt colligere, utriuſque urbis in Graeciſmo conſtantiam aliunde, quam a mutato reipublicae ſtatu, eſſe repetendam. Nihilo deterius arceſſeres hujuſmodi immunitatem a quibuſcumque ſuperſtitis inibi Graeciſmi reliquiis. Supererant enim & aliis in urbibus id genus veſtigia, ut de Cumis Campaniae teſtatur idem Strabo lib. VI. p. 243. Ε῎τι σώζεται πολλὰ ἴχνη τοῦ Ἑλληνικοῦ κόσμου, καὶ τῶν νομίμων. *Etiamnum* (Cumis) *multa Graeci ornatus ſuperſunt veſtigia, & ſacrorum & inſtitutorum.* Attamen ea quantacumque Cumanorum religioſa erga ritus patrios obſervantia haud flectere Geographum valuit, ut Cumas ipſe immunes a barbarie ſimul cum Neapoli, Tarento ac Rhegio renuntiaret. Majus quid ergo ac robuſtius ex Graecanica inſtitutione ſuperſtes obtinuiſſe in tribus illis urbibus oportet, quod ipſas vel in media latinitate a barbariei contagione liberaverat. Quid ſi aetate

& translata Imperiali aula Byzantium, emporium totius Graeciae praeſentiâ Imperatorum factum, Acta publica nonniſi Latine concinnabantur? Nec ante deſitum ab ea lege fuit, quam Arcadius et Honorius datis litteris Juliano Procoſ. Aſiae anno Chr. 397. poteſtatem fecerit, ut *Judices tam Latina quam Graeca lingua ſententias proferre* poſſent. L. Judices 12. C. de Sentent. & Interloc. omn. Jud.

aetate Strabonis adhuc in hoc urbium ternione gymnaſia viguiſſe oſtenderim? nonne hinc argumentum non obſcurum capitur, Neapolitanos, Tarentinos ac Rheginos, vel infuſa in ceteros Italiotas peregrinitate, ſolos in priſtina gymnaſiorum inſtitutione perduraſſe?

Ergo ut a poſtremis duobus oppidis memet expediam, mox in gymnaſio Neapolitano diutius immoraturus; de Rhegina palaeſtra teſtem prodo Plinium, qui de platano verba faciens, *Dionyſius* (inquit lib. XII. ſect. 3.) *prior Siciliae tyrannus, Rhegium in urbem tranſtulit eas* (platanos) *domus ſuae miraculum, ubi poſtea factum Gymnaſium*. Arduum non eſt, ut id obiter dicam, aſſequi conjectura, quamobrem Rhegini regiam domum platanis conſitam, in palaeſtrae uſum traduxerint. In gymnaſiis etenim platanorum umbra commendabatur, eâque gratia *platanones* in xyſto comparari praecipit Vitruvius. Itaque Rhegini ſecuti videntur loci opportunitatem, ut aedes regias gymnaſii exhedris, platanonem xyſto dedicarent. Jamvero ut illuc redeam, Theophraſtus ejuſdem Rhegini gymnaſii meminerat: quae verba a Plinio expreſſa fuiſſe, non temere conjiciunt Plinii Commentatores. At enim nolo quis inde ſuſpicetur, Rheginum gymnaſium Theophraſti, non vero Plinii, aetate ſtetiſſe. Plinius eo loco ad platanos, quae in Italico ſolo comprehenderunt, intendit digitum: fruſtra autem illuc amandaſſet lectorem, ſi platano ille Dionyſii non adhuc aetate ſua, traduce ſcilicet materia, perennaſſet. Sed & gymnicas artes diu poſtea incolumes ibi ſtetiſſe ſuadet *Prytaneum* Rheginorum, in latina inſcriptione Gruteri pag. CLXXIV. 7. *In Prytaneo* autem, ut pag. 70. dicebam, cena recta victoribus athleticis apponebatur. Porro de Tarentino Gymnaſio explorata eſt veterum auctoritas. Apud Plutarchum in vita Pyrrhi p. 392. Cyneas pro Pyrrho rem gerens in Italia, ut Tarentinam plebem in officio contineret, *ἀπέκλεισε μὲν τὰ γυμνάσια καὶ περιπάτους*, *occluſit* (3) *gymnaſia & ambulationes*. A bello Pyrrhi afflicta Tarentina civitas Romanae coloniae jugum accepit,

N vel

(3) In luctu publico, in tumultu, & quandocumque juſtitium indicebatur, nihil frequentius in hiſtoria Rom. legere eſt, quam Senatum juſſiſſe, *Tabernas circa forum claudi*, quemadmodum juſtitio remiſſo, *Tabernas aperiri*. Laërtius, tanta poenitentia tactos Athenienſes prodidit ob necem Socrati illatam, *ὥστε κλεῖσαι καὶ Παλαίστρας καὶ γυμνάσια*, *ut clauſiſſent & palaeſtras & gymnaſia*. Sic & Cyneas, ut in re trepida, juſſit occludi *gymnaſia*, h. e. omnia Gymnaſii membra exercitationibus comparata, & *Ambulationes* ſeu *Porticus*. Περίπατος enim tum ſubdivalem ambulationem, tum contectam univerſim ſignificat. *Porticus Liviae* a Strabone V. p. 236. ὁ τῆς Λιβίας περίπατος dicitur.

vel ſic tamen in Gymnicis inſtitutionibus perſeveravit. Strabo lib. VI. p. 278. Ἔχει δὲ γυμνάσιόν τε κάλλιστον, καὶ ἀγορὰν εὐμεγέθη, ἐν ᾗ καὶ ὁ τοῦ Διὸς ἵδρυται κολοσσὸς χαλκοῦς, μέγιστος μετὰ τὸν Ροδίων. *Habet* (Tarentum) *gymnaſium elegantiſſimum, & forum juſtae amplitudinis, in quo aereus Jovis coloſſus ſitus eſt, omnium maximus poſt Rhodium.* Verbum illud ἔχει (*habet*) ad Geographi ſcribentis aetatem pertinet.

Proximum eſt ut Gymnaſium Neapolitanum expediam. Idem Strabo V. pag. 246. Πλεῖστα δὲ ἴχνη τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα σώζεται, γυμνάσια, ἐφήβια καὶ φρατρίαι. *Plurima tamen ibi* (Neapoli) *Graecanicae inſtitutionis ſuperſunt veſtigia, Gymnaſia, Ephebia, & Phratriae*. Qui *plurima* concedit, excludit *omnia*. Itaque cum is affirmet, *plurima* Neapoli ſuperfuiſſe veſtigia Graeciſmi, hoc ipſo negare videtur, Neapolim aetate ſua in puro putoque Graeciſmo perduraſſe: & tamen Geographus Neapolim ad barbariem deſciviſſe negat. Itaque barbaries illa non ad linguae latinae, uti noſtrates commenti ſunt, aut legum Romanarum commercium (quae utraque ceteroqui laudi potius quam dedecori vertenda forent) ſed omnino pertinet ad abolita praeſtantiſſima Graecorum inſtituta, cujuſmodi praeter cetera fuere gymnaſia, quae ſimul cum Romana & lingua & civitate componi poterant. *Gymnaſia* autem numero multitudinis hoc loco extulit Strabo, vel ad notandam plurium gymnaſiorum copiam, vel quod veriſimilius puto, ad ſignificanda univerſa palaeſtrae membra, ut Ephebeum, Balneum, Xyſtum, Apodyterium &c. quae ne ſingula recenſendo longum faceret, per vocem *Gymnaſia*, univerſa ſimul complexus eſt.

His jam praeſtructis, haud aegre erit oſtendere, cujuſmodi fuerit barbaries illa, quae univerſam Graeciam Italicam contaminavit; ac rurſus cujus ingenii fuerit Graeciſmus Neapoli, Tarenti, ac Rhegii ſuperſtes. Enimvero cum oſtenderimus ibi viguiſſe aetate Strabonis gymnaſia; hinc pronum erit colligere, perennantem ibi adhuc Gymnaſiorum inſtitutionem impedimento fuiſſe, quo minus hic urbium ternio communi cum ceteris Italiotis barbariei turbine corriperetur. Supererant fortaſſe ibi nonnulla alia Graeciſmi veſtigia; ſed nihil aliud majoris momenti oſtendi, quantum video, poteſt, quo hi cives ſecum ipſi privatim convenirent, & quo univerſim a ceteris differrent; quam communis apud eos gymnaſiorum uſus, qui praecipuus Graecanici inſtituti character erat. Atque haec eo ſpectant omnia, uti ſuadeam quod mea in rem preſentem intereſt, revera Neapoli inaedificatum fuiſſe Gymnaſium; id quod etſi a viro docto pernegatum video, ejus tamen rationibus haud plurimum tribuendum cenſeo. Et ille quidem,

quo

quo Strabonianam elevet auctoritatem, negat Geographum de ὑλικῷ Gymnaſio locutum, ſed potius de εἰδικῷ h. e. de ipſis gymnicis exercitationibus, ideoque Γυμνάσια numero multitudinis extuliſſe. At quo pertineat pluralis numerus, paullo ante praefatus ſum. Sed & quamvis eo vocabulo athletica exercitia a Strabone deſignata conceſſerim, inde tamen Gymnaſium ὑλικὸν excludi non poteſt. Quî enim Gymnica ſtudia Neapoli viguiſſent; niſi Gymnaſium, ubi adoleſcentes ad eas exercitationes ex arte compararentur, uſui publico patuiſſet? Praeterea Strabo inter Graeciſmi Neapol. veſtigia recenſet Γυμνάσια, Ἐφήβια καὶ φρατρίας. Quemadmodum autem *Ephebia*, & *Phratriae* tum corpora *adoleſcentum*, *phratorumque*, tum loca ipſa (quo haec corpora ad exercitationes, & ad ſodalitatum munera peragenda conveniebant) omnino complectuntur; quî minus ergo *Gymnaſia* Strabonis & ad exercitationes gymnicas, & ad palaeſtram ipſam notanda traducantur? Jamvero quid ſi Geographus Neapoli *theatrales editiones* frequentari, ut revera frequentabantur, dixiſſet; nonne hinc intelligi daretur, theatrum in hac urbe patuiſſe? Et porro, cum idem graviſſimus auctor de Gymnaſiis, ſeu de ludis gymnicis Neapolitanorum luculentum ferat teſtimonium, nos vero Gymnaſium Neapoli fuiſſe pernegabimus?

§. III.

Vitruvium aedificandae palaeſtrae rationes a Palaeſtra Neapol. collegiſſe. Numiſius theatri Hercul. architectus an Vitruvii Socius. Ephebeum cur dictum Exhedra Herculis *a Dione Chryſoſt. &* Petaſus *a Graeco Scriptore Macchab. Aevo ſequiore* Ephebeum *idem ac* Lupanar. *Fabricae a forma, quam referebant, nomen mutuatae.* Ovum, Trulla, Cupa, Umbella *quid in re tectonica.*

EQuidem ſic Strabonis, aliorumque quorum loca mox pro re nata producam, ſuffragium pro Gymnaſio Neap. ferentium auctoritate frangor, ut Vitruvium ipſum aedificandae palaeſtrae rationes a palaeſtrae Neapolitanae ſtructura mutuatum tradidiſſe, judicem. Nec eo me ducit, quod Vitruvius domo Campanus, locique opportunitatem ſecutus, Neapolitanum tunc temporis in Campania celeberrimum Gymnaſium ſibi pro exemplari propoſuerit; nec ejus cum Numidio, ſeu potius Numiſio (1) theatri in oppido Herculani prope Neapolim archi-

(1) Marchio Venutus in Commentariolo (edito Cortonae anno 1748.) de Her-

architecto, qualiſcumque conſuetudo me movet; movet magis gymnaſii Vitruviani cum Neapolitano ſimilitudo non mediocris. Et ut mea ſuſpicio plus habeat ad ſuadendum veriſimilitudinis, mihi ſubit animum, Vitruvii praecepta aedificandae palaeſtrae cum rationibus Gymnaſii Neapolitani partite componere.

In palaeſtris (inquit cap. XI.) *periſtylia quadrata . . . ſunt facienda . . . ex quibus tres porticus ſimplices diſponantur, quartaque quae ad meridianas regiones eſt converſa, duplex; uti cum tempeſtates ventoſae ſunt, non poſſit aſpergo in interiorem partem pervenire. Conſtituantur autem in tribus porticibus exhedrae ſpatioſae habentes ſedes, in quibus philoſophi, rhetores, reliquique qui ſtudiis delectantur, ſedentes diſputare poſſint.* Hactenus Vitruvii praecepta; unde diſcere licet, ex quatuor palaeſtrae porticibus tres omnino, hoc eſt, maximam gymnaſii partem, a philoſophis inſeſſas diſcentium ſtudio patuiſſe; quo minus mirandum eſt, ſi porro *Gymnaſium* in διατρίβης (quemadmodum ab Athenaeo gymnaſium ſaepe redditur) i. e. *Scholae* nomenclationem abierit. Hujuſmodi autem *exhedris porticibuſque* inſtructam fuiſſe Neap. palaeſtram, facile eſt e Seneca, ac Petronio eruere; quorum ille, ad Lucilium Ep. 76. *Quoties* (inquit de Neapoli ſcribens) *Scholam intravi, praeter ipſum theatrum, ut ſcis, tranſeundum eſt Metronactis petentibus domum; illud quidem* (theatrum) *fartum eſt, & ingenti ſtudio qui ſit pythaules bonus judicatur. Habet tibicen quoque Graecus, & praeco concurſum; at in illo* (gymnaſio, quod appoſite *Scholam*, ut Athenaeus Διατρίβην, vocavit) *ubi vir bonus diſcitur, pauciſſimi ſedent.* Poſtremum hoc verbum *Sedent*, graphicam *Exhedrarum*, quae ſic a *Sedendo* dictae, interpretationem complectitur. Habes jam in Neapolitano Gymnaſio *Exhedras* (2) Philoſophorum Vitruvianas, quibus, ut idem architectus deli-

Herculani effoſſionibus pag. 65. ex inſcriptione Hercul. ubi ſcalpitur, *Theatrum & Orcheſtram* delineata fuiſſe a *Numiſio*, acute conjecit, hunc Numiſium eſſe plane eumdem ac ſocium Vitruvii, (de quo ipſe in Praefatione) *Numidium*, qui alibi *Numidicus*, alibi aliter vocatus, in *Numiſium*, praeeunte inſcriptione Hercul. ſit tranſnominandus. Jam ſi ea conjectura arriſerit; ex conſuetudine porro *Vitruvii* cum *Numiſio* non levior quoque ſuſpicio ſuboriri poſſet, vel Vitruvium in hunc agrum ac vicinam Neapolim, contemplandi gymnaſii cauſa divertiſſe una cum Numiſio, vel a Numiſio locorum noſtrorum luſtratore architectonicas palaeſtrae aedificandae rationes didiciſſe.

(2) Gymnaſium Neapolitanum, quatenus Philoſophorum uſibus inſerviebat, vel ſublatis Neapoli palaeſtricis exercitationibus, frequentari non deſiit. Auguſtinus contra Academicos diſputans, ad Gymnaſium Neapolitanum appellat; niſi quis illud excepe- rit,

delinearat, *Porticus* praetendebantur; eaſque de eadem Neap. Schola loquens Petronius cap. 6. innuit: *Ingens Scholaſticorum turba in porticum venit ab extemporali declamatione*. Idem paullo ante cap. 3. dixerat: *Non eſt paſſus Agamemnon me diutius declamare in porticu, quam ipſe in Schola ſudaverat*. Jamvero, ut id obiter dicam, quod in noſtro gymnaſio pauci admodum darent operam, id quidem levius eſſe reputaveris, prae uſitatiſſima illa in gymnaſiis adoleſcentum, quos caſtigat Cicero, levitate: *Hoc ipſo* (inquit II. de Or. 21.) *tempore cum omnia Gymnaſia Philoſophi teneant, tamen eorum auditores diſcum audire, quam Philoſophum malunt. Qui ſimul ut increpuit in media oratione de maximis rebus & graviſſimis diſputantem Philoſophum, omnes unctionis cauſa relinquunt*.

Pergit Vitruvius: *In duplici autem porticu collocentur haec membra: Ephebeum in medio: hoc autem eſt exhedra ampliſſima cum ſedibus, quae tertia parte longior ſit, quam lata*. Dion Chryſoſtomus Orat. XXVIII. de Melancoma in palaeſtra Neapol. luctatore poſt hominum memoriam egregio, adeo accurate Neapol. gymnaſium deſcribit, ut nihil ultra deſideres. Ejus locum, prout commodum erit, partite proferam. Sic autem exordium inſtituit: *Quum aſcendiſſemus a portu, confeſtim ibamus viſuri athletas, ut qui totam peregrinationem ſuſcepiſſemus ob certaminum ſpectacula*. (Ἐπεὶ δὲ πρὸς τῷ γυμνασίῳ ἦμεν . . . . ὁρῶμεν . . . πολλοὺς ἑστηκότας πρὸς τῇ Ἐξέδρᾳ τοῦ Ἡρακλέους) *Quum autem ad gymnaſium perveniſſemus . . . . videmus . . . multos conſiſtentes ad Herculis Exhedram &c.* ubi Jatrocles pulcherrimus adoleſcens concinne luctans, ſpectatorum, qui plurimi eo confluxerant, ora oculoſque in ſe converterat. Nunc ſi a me quaeſieris, ecquae ſit illa *Exhedra Herculis* in Gymnaſio Neapolitano; affirmare equidem non dubito, quin *Ephebeum* fuerit, quod *Exhedram ampliſſimam* Vitruvius vocaverat. *Ephebeum* autem ea Exhedra dicebatur, quod unice exercitationibus τῶν Ἐφήβων, *puberum* (cujuſmodi Jatrocles fuit qui a Dione νεανίσκος, *adoleſcentulus*, deſcribitur) inſerviebat; ac porro a nomine *Herculis* cognominabatur; vel quod Hercules

rit, Auguſtinum, ut ſe temporibus eorum quibuſcum congreditur, accommodaret, idcirco mentionem hujus Gymnaſii feciſſe. Cujuſmodi tamen res fuerit; neceſſe quidem certe non erat, ut Cl. Scriptor Th. Calam. p. 587. palaeſtrae ὑλικῆς Neapolit. acerrimus hoſtis, τὸ *Neapolitanum* Auguſtini in *Cumanum* vertiſſet. Nec enim ibi Auguſtinus ad athletarum peculiare aedificium, ſed ad Philoſophorum exhedras ſive Scholas provocat, quae ſolae tunc temporis, *Gymnaſii* nomen, antea cum palaeſtra commune, privatim ſibi proprium fecerant.

les omnium gymnaſiorum tutelare (3) numen erat; vel quod in ea exhedra ſimulacrum Herculis fuerit. Profecto in peculiari epheborum gymnaſio erat (apud Pauſan. Eliac. II. 23.) πρόσωπον Ἡρακλέους ἄχρις ἐς τοὺς ὤμους, *ſignum Herculis humerorum tenus*. Hinc ſane diſces, quamobrem *Ephebeum* Neapolitanae palaeſtrae, a Dione Chryſ. *Herculis Exhedra* dicatur. Ceterum Ephebeum quemadmodum a ſedibus inibi diſpoſitis *Exhedra* vocatur, ſic a confornicato ejuſdem tecto, quod ad petaſi imaginem accedebat, dicitur *Petaſus* Scriptori Maccabaeorum. Quem locum Macchabaicum oppido inſignem, multipliciq. interpretatione vexatum, mihi jucundum eſt, praefatâ prius a lectore veniâ digreſſionis, aliquanto uberius illuſtrare.

Ergo locus ubi ephebi exercebantur in gymnicis artibus, ex eorum nomine dicebatur *Ephebeum*, & quia diſpoſitis circa ſedilibus ad ſpectandum comparatis inſtructus erat, *Exhedra* Vitruvio appellatur. Ea *exhedra* omnium *ampliſſima* fuit, ut in media area ſedibus vacua ſatis ſpatii ad explicandas luctantium evolutiones pateret; ac fortaſſe ad parvi amphitheatri imaginem rotundata erat, quandoquidem etiam tectum quod Ephebeo impoſitum erat, in abſidem curvabatur. Id quod ex egregio Macchabaeorum loco colligi poſſe confido, ſi Graecus textus cum latina verſione ſedulo diligenterque conferatur. In II. Macchab. IV. 12. ita legitur: Ἀσμένως γὰρ ὑπ' αὐτὴν τὴν ἀκρόπολιν γυμνάσιον καθίδρυσε, καὶ τοὺς κρατίστους τῶν Ἐφήβων ὑποτάσσων, ὑπὸ Πέτασον ἦγεν. Quae latinus interpres ſic vertit: *Etenim* (Jaſon) *auſus eſt ſub ipſa arce* (Hieruſalem) *gymnaſium conſtituere, & optimos quoſque Ephebo-rum in Lupanaribus ponere*. At quid hoc monſtri eſt, id reddi *Lupanar*, quod Graece Πέτασος dicitur? Denſae hîc tenebrae circumſtant biblicos interpretes, per quorum varias (4) opiniones nondum certa con-

(3) Neminem latet, Gymnaſia Herculi praecipue ſacra fuiſſe. Vide inſcriptionem Gymnaſii Chalcidenſium ſupra pag. 92. ubi cum T. Quinctio, cui fuerat inſcriptum gymnaſium, ſocius adſciſcitur *Hercules*.

(4) Varias hujus loci interpretationes legeſis apud Calmetum h. l. quarum ſumma eo ferme recidit, Jaſonem imperaſſe pueris Hebraeis ut Graecanicas veſtes, ac praeſertim *petaſum* induerent, quo minus reliqua Graecorum inſtituta, in primiſque gymnica, faſtidirent. Idem ſenſit Faber III. Agon. 28. atque ex eo loco Macchab. conjicit, athletas in Ephebeo egiſſe petaſatos, quo Mercurium, qui cum petaſo fingitur, palaeſtrae praeſidem, imitarentur. Alii ad alia petaſata numina alluſum volunt. Grotius ad Caſtores, Calmetus ad Bacchum intendunt digitum. Sed quî minus de Hercule cogitarunt, vel eo potiſſimum, quod *Ephebeum* Neapol. a Dione Chryſoſt. *Exhedra Herculis* vocetur?

conſtitit ratio Latini interpretis vulgati ; quem equidem non minus verba Graeci Scriptoris, quam ſenſum prae oculis habuiſſe judico. Ajo igitur 1. ab auctore Macchabaeorum circumſcriptum fuiſſe *Ephebeum*, quod aedificii genus idcirco dici ab eo *Petaſum*, quia ad *Petaſi* erat imaginem confornicatum. 2. hanc *Petaſi* vocem, cum interpres vulgatus generatim vertere potuiſſet *Fornicem*, maluiſſe eum contumeliae cauſâ vertere *Lupanar*.

Ac primum puto neminem latere, ſaepe fabricas a forma quam exhibebant, nomen fuiſſe mutuatas. E. g. *Cubicula*, & *Cenacula* inde Graecis dicta ſunt ὤϊα (*ova*) & ὑπερῷα, quod ſuperne *ovi* (5) ſpeciem referrent; nec ſecus a ſimilitudine teſtudinum aquatilium, loca concamerata vocantur *teſtudines*. Laquear ſeu ſuperior aedium contignatio ἄετος (*aquila*) & ἀέτωμα vocatum eſt, quia formam aquilae volantis repraeſentabat. Sed non aliunde magis, quam a tecto, utpote parte omnium oculatiſſima, derivata fuiſſe in fabricas ipſas vocabula, docet Etymologicus M. in v. Σκιὰς, inquiens: Σκιὰς &c. *Umbella vocatum eſt odeum* (6) *Lacedaemoniorum ex antiquo loquendi uſu: domus enim erat*

(5) Vide Athenaeum lib. II. cap. 16. qui ex ambigua *ovi* notione repetit fabulam, qua Helena ex Ledae *ovo* nata ferebatur; cum revera eam enixa ſit mater ἐν ὠϊῳ, h. e. *in cubiculo*, quod a forma quam repraeſentabat, pro more ὤϊον (*ovum*) dicebatur. Ac fortaſſe inde quoque repetenda videtur originatio vocis noſtratis *Arcuovo*, quod ſonat apud nos cubiculum anguſtum & in abſida curvatum. Nonnulli *Alcova* ſcribentes, malunt eſſe Hiſpanicum vocabulum; id vero ex Arabico *Elcauf* proficiſci ajunt. At vero, cum cubiculum illud preſſius *Arcuovo* dicitur, in quod e proxima aede patet per *arcum* aditus; facile eſt, ut ex *arcu* & ex *ovo*, quod cubiculi fornicati nomen fuiſſe vidimus, compoſita fuerit vox Italorum *Arcuovo*. De prima compoſitionis parte non plurimum laboro; at alteram vel ex Latino *ovo*, vel ex Graeco conſono vocabulo, fluxiſſe contendo. Sane vocabula earum praeſertim rerum, quae ad vitae commoditates comparatae ſunt, nemo arceſſere diffitebitur ex eorum lingua, qui primi illas excogitaſſe comperiuntur. Proditum eſt autem Graecis, primis architectonicae magiſtris, cubicula audiviſſe ὤϊα (*ova*). Ex eodem igitur Graeco fonte & Itali Hiſpanique pariter atque Arabes, pro ſui quiſque oris modulo, potaſſe videntur.

(6) Ὠιδεῖον, locus erat, quo poëtae conveniebant, ſua carmina praeſentibus arbitris recitaturi. Hanc autem aedem Lacedaemonii Σκιάδα (*umbellam*) vocabant, quia tectum ejus ex uno ſurgens vertice, & in orbem oblique in Odei parietes incidens, diſtenti tentorii ſeu umbellae imaginem referebat. Sic certe a Plutarcho deſcribitur Odeum, quod Pericles Athenis exſtruxit pag. 60. in ejus vita: Ὠιδεῖον (τῇ μὲν ἐντὸς διαθέσει πολύεδρον καὶ πολύστυλον, τῇ δ' ἐρέ-

erat rotunda figura, cujuſmodi generis veteres dixerunt Σκιάδας, *propterea quod referrent Umbellas: poſtquam vero aliud nomen nactae ſunt umbellae, plurimique Graecorum ea appellarunt* θολίας, *etiam domos ſeu ſtructuras rotundas, hi quidem* θόλους, *illi vero* θολίας *nominarunt*. Ex quibus verbis docemur, aedificia a variis umbellarum nominibus varias ſibi quaeſiviſſe denominationes: id quod Etymologus oſtendit vocabulis Σκιάδος, & θολίας, quæ ſunt tum *umbellis*, tum *aedibus* ad illarum utique imaginem contectis, communia. Confirmari id etiam poteſt voce Σκίρος, quæ, teſte Harpocratione in v. Σκίρα, & *umbellam*, & quemdam Athenis *locum* notabat. Quidni igitur & *Petaſus*, pilei marginati aut umbellae nomen, ad fabricas in Petaſi formam contectas traductus a Graecis fuerit? Profecto *Petaſus* apud Latinos (7) pro *tecto* uſurpatus fuit; non aliam opinor ob cauſam, quam quod tectum rotunditate quidem fundum *Petaſi*, ſuggrunda vero circum eunte *marginem* ejus exprimeret. Nihil porro facilius fuit, quam ut *Petaſi* nomen ad ipſas aedes in hanc formam teſtudinatas tranſierit; quemadmodum *Trulla*, primitus vaſis (8) potorii vocabulum, mox ad teſtudines eo modo

ἐρέψει περικλινὲς καὶ κάταντες ἐκ μιᾶς κορυφῆς πεποιημένον) εἰκόνα λέγουσι γενέσθαι καὶ μίμημα τῆς βασιλέως σκηνῆς. *Odeum (quod intus diſpoſita habet multa ſedilia multaſque columnas, tectum autem eſt ſubvexum & acclive, in unum aſſurgens faſtigium) imaginem ferunt eſſe & ſimulacrum tabernaculi Regis* h. e. Perſarum. Nam de eodem Vitruvius lib. V. 9. *Odeum... Athenis Pericles columnis lapideis diſpoſuit, naviumque malis & antennis e ſpoliis Perſicis pertexit*.

(7) Plinius lib. XXXVI. cap. 13. cum labyrinthos quatuor Aegyptium, Creticum, Lemnium, & Italicum, *omnes lapide polito fornicibus tectis* enumeraſſet, & ad Italicum, a Porſena Rege Etruriae ſub urbe Cluſio ſtructum, deveniſſet, haec de eo ex M. Varrone recitat: *Supra id quadratum* (intus labyrinthum) *pyramides ſtant quinque, quatuor in angulis, in medio una.... ita faſtigatae, ut in ſummo orbis aeneus & Petaſus unus omnibus ſit impoſitus*. Quo in loco *petaſus*, pro *fornice* uſurpatur.

(8) Quod Graeci Scriptores Cpolitani Τροῦλλον, id etiam Latini dixere *Cupam* ſeu *Cuppam*, & ipſum poculi vocabulum. Inde Itali abſidem vocant *Cupola*, eo quod inverſae *Cupae* ſpeciem refert. Erit fortaſſe qui ex *Coppo*, quae vox medio aevo, hodieque notat *imbricem*, deduxerit; ſed haec alia nihilominus ex *Cuppa* latinorum manat. Indidem quoque, ni fallor, illa fluxit apud noſtrates uſitatiſſima vox, *Coppola*, h. e. capitis integumentum, non in acutum, ut fingi ſolet pileus Phrygius, deſinens, ſed plane in abſida curvatum. Quo minus mirandum eſt, ſi Graeci *Petaſi* vocem ad utrumque notandum tum *Capitis*, tum *aedium* quoque integumentum, adhibuerint.

modo fabrefactas traducta fuit ; ac tandem eo res evaſit , ut locus ipſe vulgo *Trullus* ſeu *Trulla* diceretur. Vide Cangium in ea voce. Sed ad firmandam , quam de *Petaſo* tradidi , notionem nihil aeque magis appoſitum eſt , quam Jaſonis in urbe Hieruſalem res novas molientis conſilium. Jaſon autem II. Macch. IV. verſu *9.* promittebat ſe Regi Antiocho daturum centum quinquaginta talenta , *Si poteſtati ejus concederetur Gymnaſium & Ephebiam conſtituere*. Is vero cum mox verſu 12. revera ſtruxiſſe *Gymnaſium*, & *praeſtantiſſimos quoſque Epheborum a ſe conſcriptos ſub Petaſum ductaviſſe* dicatur; ecquis erit dubitandi locus, quin ſub *Petaſi* nomine veniat *Ephebeum*, quod ſimul cum Gymnaſio aedificare molitus fuerat? quod Ephebeum graphice hîc vocatur *Petaſus*, utique pro more veterum, quem Etymologicus M. expoſuit, ſic appellatum, quia ad *Petaſi* imaginem contectum erat.

Jamvero quod Graecus Scriptor Macchabaicus, cum *Petaſum* diceret , reipſa voluerit deſignare *Ephebeum* , nemo luculentius , quam Vulgatus Latinus, *Lupanar* interpretatus , oſtendit . Enimvero contubernia puerorum nuſquam non infamia laborarunt, ſic ut Ephebeum, honorificus olim ad inſtituendam adoleſcentiam locus, aevo ſequiore , lapſiſque in lubrico moribus, contumelioſiſſimi fornicis nomen evaſerit. Enimvero ut Hieronymum, Iſidori Gloſſas, alioſque taceam, Brochardus (apud Cangium Append. Gloſſ. Lat. in v. *Ephebia*) ſynonyma facit *Lupanar* & *Ephebiam*, in deſcript. T. S. lib. 2. cap. 2. *Loco Lupanarium plerumque in urbibus conſtituunt Ephebias* . Quamobrem Latinus interpres cum *Petaſum* reddidit *Lupanaria*, ſimul oſtendit, ecquid ipſe ſub *Petaſi* nomine intellexerit . Intellexit autem illum omnino locum, qui verſu *9.* ab Ephebis erudiendis *Ephebia* , & verſu 12. a forma quam repraeſentabat, pro more *Petaſus* vocabatur. Ipſe vero, ſive tempora Macchabaica modulo ſuo aevi metitus eſt, ſive crimen Jaſonis acerbaturus oſtendere volebat, illud Ephebeum non inſtituendae, ſed corrumpendae potius adoleſcentiae inſerviiſſe ; idcirco petaſatum aedificium Ephebei , falſe fornicem atque adeo *Lupanar* interpretatus eſt ; ſimulque oſtendit , Graecum auctorem Macchab. ſub *Petaſi* nomine deſignaſſe *Ephebiam* , quae vox aetate ſua cum voce *Lupanar* alternabat. Hinc fit manifeſtum 1. Vulgatum Interpretem non temere, nec procul a ſententia Graeci textus, *Petaſum* vertiſſe *Lupanar*. 2. *Petaſi* vocabulum , quemadmodum Σκιὰς Lacedaemoniorum , generatim quodcumque aedificii genus ad *petaſi* formam teſtudinatum denotaſſe. Sed de Ephebeo ſatis . Cetera Vitruvii , quae in rem noſtram faciunt, age perſequamur.

Vitruvius: *Extra autem diſponantur porticus tres, una ex periſtylio exeuntibus, duae dextra atque ſiniſtra ſtadiatæ . . . . Poſt Xyſtum autem ſtadium ita figuratum, ut poſſint hominum copiae cum laxamento athletas certantes ſpectare.* Haec altera aedificationis pars ſub *Stadii*, aut *Xyſti* nomine preſſius venit; niſi quod vox *Stadii* latius patens, tum locum ſignat ubi curſu, lucta &c. certabatur, tum ubi populus ſpectator ſedebat. Jamvero illud *Extra* Vitruvii ſedulo notandum eſt; *Xyſtus* enim *Stadiumque* in vicinia quidem gymnaſii erant, ſed *Extra palaeſtram* ſic proprie dictam excurrebant. Nec aliter quidem conſtitutae erant Gymnaſii Neapolitani rationes: Ἐπεὶ δὲ (inquit Dion loc. cit.) πρὸς τῷ γυμνασίῳ ἧμεν, τοὺς μέν τινας ἑωρῶμεν ἐν τῷ δρόμῳ ἜΞΩ τρέχοντας, καὶ κραυγὴ τῶν παρακελευομένων ἦν. τοὺς δὲ καὶ ἄλλως γυμναζομένους. *Quum autem ad gymnaſium veniſſemus, quoſdam quidem videbamus EXTRA in ſtadio currentes, magnuſque adhortantium erat clamor, quoſdam autem aliter ſe exercentes.* Ubi perventum ad Gymnaſium eſt, paulliſper *Extra* ſubſtiterunt; ubi athletarum alii ingenti populi ſtudio currebant, alii alia obibant certamina; ſed inde continuo tranſitus ad palaeſtram erat. Sequitur enim apud Dionem: Τούτοις μὲν οὖν οὐκ ἐδόκει προσέχειν. ὅπου δὲ πλεῖστον ὄχλον ἴδοιμεν, ἐκεῖ ἐβαδίζομεν. ὁρῶμεν οὖν πάνυ πολλοὺς πρὸς τῇ ἐξέδρᾳ Ἡρακλέους. *His quidem ut attenderemus, nobis viſum non eſt: ubi autem maxime eſſet turba, illuc ibamus. Videmus igitur oppido multos conſiſtentes ad Herculis exhedram.* Protinus igitur e ſtadio (quod ἔξω, *Extra* erat) perrexerunt in *Exhedram Herculis* h. e. Ephebeum, ut ante dixi, partem palaeſtrae potiſſimam. Stadium ergo Neapolitanum *extra* quidem gymnaſium, ſed in ejus vicinia, prout Vitruvio placuit, diſpoſitum erat.

Jamvero perſpecta inter palaeſtram Vitruvianam ac Neapolitanam convenientiâ, proximum eſt uti ſuadeam accuratius, Vitruvium, tum cum de aedificatione palaeſtrae praecepta tradebat, ob oculos Neapolitanum habuiſſe gymnaſium. Ac primum illud facit, quod aegre alibi praeterquam Neapoli, adverteris gymnaſium, cujus plura membra cum Vitruvianis magis appoſite conveniant. Sane quidem eſt ubi Philoſophorum exhedras contempleris; alicubi ſola certamina committi ſolebant; & non raro ubi ſoli Ephebi proludebant. Sed nullibi ferme deprehenderis Gymnaſium, praeterquam Neapolitanum, quod & Philoſophis, & Rhetoribus, & athletis & Ephebis ſtationes quibuſque ſuas, quemadmodum a Vitruvio praecipitur, partite tribueret. Praeterea, quod palmarium mihi eſſe videtur, ſoli cum paucis Neapolitano gymnaſio applicitum ſtadium fuit; nec enim cuique gymnaſio ſtadium,

dium, ut e Pauſania, plurimorum gymnaſiorum enarratore, intelligere licet, in proximo tendebat. In ceteris enim palaeſtris, praeſertim in oppidis non admodum populoſis, porticus ipſae Gymnaſii (quae Vitruvio metante ſtadiatae erant) curſoribus, quemadmodum area ſubdivalis porticibus intercluſa, luctatoribus ſatis ſuperque ſpatii, opinor, ſuppeditabant. Itaque unde, quaeſo, Vitruvius exemplar ſuae palaeſtrae adeo laxum numeroſumque, niſi e Neapolitana, quae & homini Italo ad imitandum commodior, & ceteris, quantum vidimus, elaboratior, decerpſerit? Quamobrem mihi perſuadeo Architectum noſtrum, Palaeſtrae, quae Graecanicae erat conſuetudinis, rationes Neapoli in urbe Graeca celeberrima didiciſſe, eaſque ad hujus exemplaris normam exactas conſignaſſe litteris. Hinc illa eadem utrobique aedificationis membra, & eadem utrobique totius palaeſtrae diſtributio, ſic ut una ab altera expreſſa videatur. Sed & pene praeterieram advertiſſe, balneas quoque in palaeſtra Neapolitana fuiſſe diſpoſitas: de quo dicam §. V. Sed nullibi, quod ſciam, in palaeſtra, praeterquam Vitruviana, balineas contemplari licet. Immo cum Pauſanias in Phocicis cap. 35. ſedulo notet, in altero Anticyrenſium gymnaſio καὶ τὰ λουτρὰ σφίσι πεποιῆσθαι, *etiam lavacra ipſis aedificata fuiſſe*, hoc ipſo videtur oſtendiſſe, adeo inſolentem in palaeſtra fuiſſe balnearum ſtructuram, ut ſicubi exſtitiſſent, ſilentio premendae non eſſent. Vitruvius vero ſic balnea in palaeſtra diſponit, quaſi res foret ex artis praeſcripto tralaticia. Unde autem id Vitruvius didicerit, niſi ex imagine palaeſtrae Neapolitanae, quae praeter cetera membra etiam lavationes complectebatur?

§. IV.

Gymnaſium Neap. a Tito Imp. reſtitutum. Mutila inſcriptio Gr. ac Lat. ſuppletur. An Titus Neapoli Demarchum *egerit. Opera tum artificum tum Scriptorum ſub alieno nomine edita.*

JAmvero ſi a Strabone ac Dione Chryſoſtomo, quos paullo ante enucleavi, diſceſſeris; nullus alius locupletior pro Gymnaſio Neapol. teſtis afferri poteſt in medium, quam bilinguis ille lapis Imper. Tito poſitus in urbe Neapoli. Nimirum hic ille lapis (1) eſt, qui jamdiu cru-

(1) Proſtat hic lapis in pariete contra Occidentem ſecus viam publicam in bivio, quo ad aedem Divae Adnuntiatae, & ad Portam Nolanam du-

crucem fixit Scriptoribus noſtratibus, qui in eo illuſtrando interpretandoque plurimam contulerunt operam ac diligentiam: ſed alius alio intentus, ſenſum inſcriptionis eo corrivantes, quo jampridem eorum animus inclinabat, aliorſum a ſcopo detorſerunt. Atque utinam ejus exemplar, ad fidem marmoris expreſſum, in ingentis Mazochii manus incidiſſet! Profecto is qua perſpicacia ingeniique acumine fuit in enodandis antiquitatum Maeandris, ac lapidibus praeſertim, quos praeter Oedipum interpretatus fuiſſet nemo; facile rem cui nunc inſudamus, diligenterque confeciſſet. At vero vir immortalis ſenio tritus, cumque adverſa valetudine ſine intermiſſione colluctans, ad interpretationem marmoris, alienis oculis delineati, deſcendit: quod exemplar non omni prorſus diligentia exceptum, fraudi (2) Mazochio, nihil tale metuenti, fuit. Quamvis, verum ut fatear, nec in deſcriptore ea tota faba cudenda eſt: quandoquidem nonnullae litterae in extrema marmoris ora, qua parte id cum pariete ferruminatur, cum, uti fit, calce ſuperinducta laterent, vel lynceos oculos fugiebant: & illae deliteſcerent adhuc, niſi ſtrenuiſſimus quidam homo noſter, qui verſando hoc ſaxo veluti Siſyphus alter acceſſit, impoſitum linimen extriviſſet. Qui vir clariſſimus novo inde paragrammate ſibi comparato, novum inſcriptionis interpretamentum ſollicitavit in *Theca Calamaria*, quod etiam ingenti molimine a pag. 534. ad pag. 573. defendere adniſus eſt. Ego vero, cui tam diſertum eſſe non licet, paucis argumentum idem refricare ſtatui: nam mihi mea tueri contento, in alienos labores ſubtiliter inquirere, non eſt animus. Pauca quaedam, ſicubi

ducitur: locus ipſe, ob aquarum copiam ibi ebullientium, vulgo *Bollo dell' Annunziata* dicitur. Legitur eadem inſcriptio apud Gruterum pag. CLXXIII. 8. ac prope nullus exſtitit Scriptorum, de rebus Neapolit. differentium, qui in bilinguem hanc epigraphem (Graece enim & Latine decurrit) non inquiſierit curioſius. Sed neſcio quo fato acciderit, ut in eo exſcribendo delineandoque paene omnes aberraverint.

(2) Vir magnus in Diſſert. *de Neapolitana Colonia*, quam ὁδοῦ πάρεργον, nec niſi mantiſſae loco addidit longiori diſſertationi *de Cathedrali Neapol.* pag. 234. pauca quaedam de hac inſcriptione, ſed erudite pro more ſuo, commentatur; in eo tamen fallitur, quod opera a Tito reſtituta Neapoli, non *terraemoTIBVS*, ut ſuperſtites in marmore litterae dant intelligere, ſed *Veſuvii montis concuſſionIBVS* collapſa fuiſſe, conjecit. Memini me ab doctiſſimo ſene adoleſcentem audiviſſe, ſe, ſi quidem in exemplari ſuo TIBVS non IBVS exaratum vidiſſet, de terraemoTIBVS omnino cogitaturum fuiſſe; ac porro aliam ſupplendi marmoris rationem initurum. Tanti nimirum momenti fuit una vocula, uno plus minuſve elemento, inſtructa.

ſicubi quid ſugillandi ſe dabit occaſio, ſtrictim breviterque attingam; nec ut nulli, praeterquam mihi, adhibeatur, ſed ut mihi prorſus ne denegetur fides, allaborabo.

Supplementum *Vetus Fragmentum*

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ
ΘΕΟΥ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ ΥΙΟΣ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ
ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΜΕΓΙΣΤΟΣ ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ ΕΞΟΥΣ ΙΑΣ ΤΟ Ι̅
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΟ Ι̅Γ̅ ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΥΠΑΤΟΣ ΤΟ Η̅ ΤΕΙΜΗΤΗΣ
ΕΝ ΝΕΑΙ ΠΟΛΕΙ ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΣ ΤΟ Γ̅ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ
ΘΕΡΜΑΣ ΚΑΙ ΓΥΜΝΑΣΙΟΝ ΥΠΟ ΣΕΙΣΜΩΝ ΣΥΜΠΕΣΟΝΤΑ ΑΠΟΚΑΤΕΣΤΗΣΕΝ
IMP·T·CAESAR·DIVI·VESPASIANI·F·VESPASIANVS·AVG
PONT· MAX· TR· P· X̅· IMP· X̅I̅I̅I̅· COS· V̅I̅I̅I̅· CENSOR· P· P·
THERMAS·ET·GYMNASIVM·TERRAE·MOTIBVS·CONLAPSA·RESTITVIT

De ſupplemento quatuor priorum linearum nihil eſt, quod dubites. Sic enim in Latinis Graeciſque lapidibus tituli Imperatorii veluti ex formula (3) recitantur: ſic Scriptor quoque Th. Calam. ne quem laude ſua defraudem, in ſupplemento ſuo reſtituit. De quo gratulor equidem, & immortaliter etiam gaudeo; ſed mihi dolendum eſt, quod ſtatim a quinto verſu mihi cum viro eruditiſſimo dividiae oboriantur.

Verſ. 5. ΕΝ ΝΕΑΙ ΠΟΛΕΙ ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ ΑΓΩΝ*οθετήσας τὸ γ*, *Γυμνασιαρχήσας*. Non una me impulit cauſa, ut verſum in hunc modum ordirer, *ἐν Νέᾳ πόλει*, *Neapoli*. Ac primum neceſſaria urbis mentio erat, ut Romani tituli a Graecanicis diſtinguerentur. Titus pro majeſtate Imperatoria *Auguſtus*, *Cenſor*, *Conſul* &c. adnuntiatur; ac mox *Agonotheta* & *Gymnaſiarcha* ſalutari patitur: Ut autem plane dignoſci poſſet, quouſque paterent Romani tituli, ac rurſus unde Graecanici inciperent; ſepimentum quoddam interſeri opus erat, teſtaturum, illos ex formula eſſe cum quovis Imperatore Rom. communes, hos

(3) Legatur inſcriptio Grut. CCCXVI. 1. ubi Titus Aelius Hadrianus adnunciatur Σέβαςος, Αρχιερεὺς Μέγιςος, Δημαρχίκης Εξουσίας τὸ Γ, Αὐτοκράτωρ τὸ Β, Ὕπατος τὸ Γ, Πάτηρ Πατρίδος. Praeter hos auguſtales titulos additur praeterea in epigraphe noſtra Τιμήτης, *Cenſor*. Cenſuram enim Titum exercuiſſe, res explorata eſt.

hos Tito Imp. cum Graecis hominibus agenti peculiares. Praeterea Urbs ipſa ſedulo inculcanda erat, ut, ubinam gentium Imperator Gymnaſii praefecturam geſſerit, & ubi ludis ter praefuerit, in comperto foret. Abſque eo fuiſſet; facile conjici potuiſſet, Titum, ut Auguſtum, Conſulem, Cenſorem, ſic quoque Agonothetam, ac Gymnaſiarcham Romae egiſſe: quod plane ridiculum foret.

Ibid. ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ, *Demarchus*. Is magiſtratus ſatis obvius in lapidibus Neap. Herennius δημαρχήσας proditur apud Reineſium Cl. I. 203. Vide & Cl. II. 60. Cl. V. 9. De Titi in Campaniam adventu etſi Suetonius (4), aliique hiſtorici taceant, Dio tamen Caſſius diſertam mentionem facit. Ceteroqui hunc Imperatorem in urbe Neapoli aliquamdiu conſediſſe, non temere Scriptores noſtrates ex inſcriptione, ubi Titus edicitur *Agonotheta*, conjiciunt. Sane honor munuſque τοῦ Ἀγωνοθέτου nonniſi praeſenti deferebatur (5). Praeſentia autem Romani Imperatoris luminibus Graecanici magiſtratus procul dubio obſtruxit; itaque conniventibus veluti ceteris magiſtratibus, omnia ſaltem in ſpeciem manu Imperatoris adminiſtrari decuit. Supremus Neapoli Magiſtratus *Demarchus* erat; proximus huic ſi non poteſtate, ſaltem dignitate, *Gymnaſiarcha* erat. Jamvero Neapolitani *Gymnaſiarchae* dignitatem Tito detulerunt; porro eidem illam alteram *Demarchi* dignitatem noſtros homines invidiſſe, quis ſibi perſuaſerit? Sane piaculum videri potuiſſet, Imperatoris praeſentis fidei ſummam reip. non committere; nec aliter Romana majeſtas omnino ſuaſiſſet. *Gymnaſiarcha*

(4) Suetonius Tito cap. 8. *Curatores reſtituendae Campaniae e Conſularium numero ſorte duxit. Bona oppreſſorum in Veſevo, quorum heredes non exſtabant, reſtitutioni afflictarum civitatum attribuit*. Idipſum prodidit Dio Caſſius lib. LXVI. 24. ſed paullo ante, cum verba faceret de foediſſimo urbis Romae incendio, quo plurima opera publica fuere conſumpta, inquit id infortunium incidiſſe, τοῦ Τίτου πρὸς τὸ πάθημα τὸ ἐν τῇ Καμπανίᾳ γενόμενον ἐκδημήσαντος, *dum Titus ad viſendam Campaniae calamitatem profectus abeſſet*.

(5) Praefectus ludorum edendorum cauſſa creatus, neceſſe omnino erat, ut praeſentiam commodaret: ac ſi cui forte extra ordinem honoris causâ dabatur ut praeeſſet ludis, is *pro Agonotheta ſedere* dicebatur, ut de Hadriano Imp. perhibet Spartianus. Ceterum ſollemne Graecis fuit ut Imperatoribus Rom. Graeciam peragrantibus ejuſmodi honorem ultro conferrent; quemadmodum T. Quintius Flaminius, Ἀγωνοθέτης Νεμείων ἀποδειχθεὶς ἐν Ἄργει, *Agonotheta Argis* (dum ibi ageret) *Nemeorum ludorum creatus* deſcribitur a Plutarcho in ejus vita pag. 375. Cum igitur Titum in Campaniam divertiſſe ex Dione conſtet; iſque Imp. in lapide Neapol. *Agonotheta* adnuncietur, procul dubio paret, Imperatorem ea in urbe aliquamdiu immoratum.

ſiarcha enim, *Agonotheta*, aliique minores magiſtratus, ſupremo in urbe quiſque ſua magiſtratui erant ὑπεύθυνοι, i. e. *rationibus reddendis obnoxii*: Titus autem ad Agonothetae & Gymnaſiarchae munus obeundum ſe indulgentia quadam ultro demiſerat; ne porro Imperator ea munera gerens, alicui majori ſubeſſe videretur; par aequumque fuerat, eidem ſummam quoque Demarchi dignitatem tradere. Enimvero ſi ex iis, quae poſtea geſta ſunt, conjicere quid olim geſtum ſit, liceat; dubitari non poteſt, quin Titum praeſentem Neapolitani *Demarchum* ſalutarint; quandoquidem parem honoris ſignificationem diu poſtea Hadriano Imp. peragranti Campaniam, detuliſſe comperiuntur. Spartianus de Hadriano: *Apud Neapolim* (inquit) *Demarchus* . . . . *Athenis Archon fuit*. Ac vide quaeſo, quam recte inter Titum & Hadrianum omnia conveniant. Hadrianus, eodem Spartiano teſte, *Athenis* (ubi *Archon* erat) *pro Agonotheta ſedit*: Titus autem Neapoli *Agonotheta* fuit; *Demarchum* quoque ibidem geſſiſſe, difficile eſt non credere. Cujus conjecturae ſi non omnino poeniteat; gratulandum cum urbe Neapoli eſt, quod duos Romanorum Imperatores, Titum, inquam, & Hadrianum, ſuos *Demarchos* ciere poteſt. Nihil ſane ea de dignitate patriae noſtrae per Titum parta, ſuboluit Cl. Scriptori Th. Calam. qui duas treſve voculas ex vetuſto quodam lapide mutuatus, ſic verſum hunc quintum inſerſit: Ἐνδόξως καὶ καταξίως αὐτοῦ ἀγωνοθετήσας &c. *ſplendide & e dignitate ſua* &c. Appoſite venuſteque, an ſecus, mitto quaerere.

Verſ. 6. ΘΕΡΜΑΣ ΚΑΙ ΓΥΜΝΑΣΙΟΝ. Utrumque vocabulum incedere ſimul etiam videas apud Suetonium Nerone 12. *Inſtituit & quinquennale certamen primus omnium Romae more Graeco . . . . dedicatiſque THERMIS atque GYMNASIO, Senatui quoque & equiti oleum praebuit*. Alias *thermae* ſub ipſa *Gymnaſii* appellatione cenſebantur, ut paullo poſt dicam. Nam praeſtat nunc tradere rationem, quamobrem ſupplemento Scriptoris Th. Calam. qui hîc Ἀγάλματα ἐκ τῶν ἰδίων (6) ſup-

(6) Qui pag. 536. ſic reſtituit: Ἀγάλματα ἐκ τῶν ἰδίων ἀπὸ (fort. ὑπὸ) σεισμῶν συμπέσοντα ἀποκατέστησεν, *Signa pecunia ſua terraemotibus collapſa reſtituit*. Quo in ſupplemento ut cetera nunc diſſimulem; illud *Pecunia ſua* ſede non ſua ſtabulatur; & ſi quidem uſus formulae hujus hîc eſſet, profecto in hunc ordinem redigi, certa Latii veteris novique auctoritas poſtularet: *Signa terraemot. coll. pecunia ſua reſtituit*. Praeterea quis docuit, Titum Imp. opera collapſa *pecunia ſua* reſtituiſſe? Num id ex tabulis Titianis expenſi liquet? Contra cum non raro quis *facere* dicatur, quae nonniſi *fieri* ſuaſu ductuque ſuo curaverit; idcirco, quamquam in lapide

ſuppoſuit, repudiato, porro in *thermis gymnaſioque* conquieverim ?

Equidem voluiſſem, ut Cl. homo noſter, qui in finienda ſignificatione *Statuae* atque *Imaginis* multus fuit, uno ſaltem verbo docuiſſet, unde ipſe argumentum ceperit, Titum ἀγάλματα (*Statuas*) Neapoli reſti-

lapide noſtro Titum ea opera reſtituiſſe ſignificetur, id explorati argumenti non eſt, revera ſumptus ex fiſco ſuo contuliſſe. Forte Titus addidit animos Neapolitanis, vel ipſi potius, dum in ſumma optimi Principis expectatione eſſent, e dignitate ſua eſſe exiſtimarunt, ut nonnulla opera publica terraemotibus corrupta ludorum edendorum cauſa reficerent; iiſque abſolutis non abs re fuerit judicare, inſcriptionem Tito Imp. praeſenti gratificatos fuiſſe. Enimvero ſollemne fuit veteribus ſculptoribus, opera arte ſua elaborata ſub alieno nomine, ejus ſcilicet, quem maxime ornatum vellent, vulgare. Statuam Rhamnuſiae Nemeſis (inquit Suidas in Ραμνουσία) Φειδίας ἐποίησε· οὗ τὴν ἐπιγραφὴν ἐχαρίσατο Ἀγορακρίτῳ Παρίῳ ἐρωμένῳ, *Phidias fecit, ſed Agoracrito Pario amaſio permiſit, ut nomen ſuum inſcriberet*. Et ſane Zenobius Cent. V. Prov. 82. eidem ſtatuae inſcriptum fuiſſe refert: Ἀγοράκριτος Πάριος ἐποίησεν: *Agoracritus Parius fecit*, quaſi ſi ſcalpro induſtriaque ſua feciſſet. Quid quod & ipſi litterati viri opera Marte ſuo elaborata ſub amicorum perſonis obambulare paſſi ſunt? Plato ſuos dialogos nomine amicorum inſcripſit, ac Xenophon *Cyri Anabaſin* ſub Themiſtogenis Syracuſani, quem deperibat, nomine, ſi Jo: Tetzae Chil. VII. Hiſt. 154. credimus, edidit. Et mirabimur adhuc, ſi nonnulli etiam aetate noſtra aliquot fetus, quorum faſtidia numquam tulerint, inter obſtetricia amicorum effudiſſe jactantur? Sed ne e ſemita diſcedamus; Auguſtus *quædam opera ſub nomine alieno, nepotis ſcilicet, & uxoris ſororiſque, fecit: ut porticum, baſilicamque Lucii & Caii; item porticus Liviae & Octaviae, theatrumque Marcelli*. Sueton. in ejus vita c. 29. Tiberius quoque apud Dionem lib. LVI. ann. V. C. 764. aedem Concordiae dedicavit, *Inſcripto ſuo, & fratris Druſi vita pridem functi, nominibus*, hoc eſt, ut Suidae utar verbis, ἐχαρίσατο ἐπιγραφὴν, communicata cum fratre inſcriptione. Elegans epigraphe exſtat apud Fabrettum Cap. IX. Inſcr. 160. (*C. Dexius L. Filius. Maximus Aedilis Curulis, Porticum Theatri. Cryptam perficiendam curavit*, QVOI. IN. OPERIBVS. PVBLICEIS, *quae ſupraſcripta ſunt ex Senatus Conſulto* INSCRIPTIO DATA EST &c.) unde docemur, fuiſſe olim honoris cauſa alicui datum publica auctoritate, ut nomen ſuum inſcriberet in operibus publicis, in quae nullam privatim impenſam erogaverit; alioqui quî minus licuiſſet, aut quo valuiſſet publica auctoritas, ſi quis ea opera aere privato excitaviſſet? Atque haec quae huc uſque diſputavi, non eo ſane pertinent, ut opera Neapoli collapſa *pecunia ſua* a Tito reſtituta praefracte negem; ſed contendo tamen, id non poſſe ex *reſtituendi* verbo, quod in inſcriptione noſtra legitur, prono alveo deduci. Reſtituerint fortaſſe pecunia ſua Neapolitani, ſed inſcriptionem honoris cauſa Imp. Tito, praeſentia ſua civitatem illuſtranti, pro more permiſerint.

reſtituiſſe. Quid ni βαλανεῖα, *balneas*, aut ἐπιστύλια, *epiſtylia*, aut tale hujuſmodi? Sunt enim haec vocabula ejuſdem atque Α'γάλματα, vaſtitatis, & aeque commode in vacua ſede aptari poterant. Atqui cum veterum lapidum reſtitutioni opera datur, non curandum ſolum eſt, ut lacera pars reſarciatur ad unguem; ſed etiam praeſtandum, ut aſſutus pannus eat molliter, & appoſite ad colorem. Quid autem hîc *Statuarum* importuna mentio commune habet cum Tito *Agonotheta* & *Gymnaſiarcha?* Nonne ex hiſce titulis certa conjectura ducitur, id a Tito reſtitutum, quod *Agonothetae* & *Gymnaſiarchae* intererat reſtituiſſe? Sane Neapolitani homines temere Imperiales titulos cum Graecanicis connexuiſſent; niſi operum ab Imperatore reſtitutorum occaſio ſuaſiſſet, optime in rem praeſentem convenire diſertam Agonothetae & Gymnaſiarchae mentionem? Nihil autem Gymnaſiarchae convenientius fuit, quam Gymnaſium ſartum tectum tueri. Quamobrem cum Titus Imp. ad Gymnaſiarchae munus Neapoli obeundum ſeſe demiſiſſet, eâque tempeſtate quaedam opera publica terraemotibus collapſa ſordeſcerent, nihil ea cura praevertendum ipſi fuit, quam ut e ſui munere officii *Gymnaſium* ac *Thermas* eodem turbine correpta reſtitueret; nam de thermis ab eo reſtitutis non futilem conjecturam infra producam.

Jamvero ex ruina Gymnaſii, operis ſane publici, atque ad aeternitatem plerumque conſtructi, metire quanta tunc facta fuerit privatarum aedium vaſtitas atque jactura. Strabo XII. pag. 579. ut oſtenderet, quanta calamitate Tralliani ſub Auguſto afflicti terraemotu fuerint, ad eorum gymnaſii ruinam, tamquam ad memorabilem epocham, amandat lectorem: Ἡνίκα (inquit) τὸ Γυμνάσιον, καὶ ἄλλα μέρη συνέπεσεν, *tum cum Gymnaſium aliaeque partes collapſae ſunt*. Eadem prope verba in hoc verſu legere licet: θερμὰς καὶ Γυμνάσιον ὑπὸ σεισμῶν συμπέσοντα. Addidi ὑπὸ σεισμῶν, ut Graeca reſponderent cum Latinis, quae τὸ *Terraemotibus* praeferunt. Ceterum formula ὑπὸ σεισμῶν commendatur quoque vetuſtis inſcriptionibus. Apud Sponium p. 363. num. CXI. Τοὺς ναοὺς . . . καὶ τὸ Πλουτώνειον . . . ΥΠΟ ΣΕΙΣΜΩΝ . . . διελελυμένα ἐπεσκεύασεν, *Templa . . . & Plutonis aedem . . . terraemotibus corrupta reſtituit*.

Verſ. 7. IMP. T. CAES. &c. Marmor bilingue eſt, omniaque Graeca cum Latinis commutantur; niſi quod quartus verſus exſors Latinae civitatis abiit. Et recte quidem. Illas enim voces Δημαρχήσας, Α'γωνοθετήσας, Γυμνασιαρχήσας, quantumvis Romana lingua expoliviſſes, Graecum ſemper ſonare deprehenderis. Jamvero cur Graeca

Latine reddantur, & num rite hinc deducatur, jam inde ſub Tito jura Coloniae Rom. acquiſita a Neapolitanis fuiſſe, non eſt hic diſputandi locus.

Verſ. 9. THERMAS ET GYMNASIVM. Aevo ſequiore *Thermae* & *Gymnaſium* vocabula erant ſynonyma: ſed olim veteres a Gymnaſio *thermas*, ut *Gymnaſium* ipſum a *palaeſtra*, diſtinguebant. At vero Grammaticos omnia ſine diſcrimine confudiſſe, doctiſſimi Vandali (7) quereia fuit. Ita ſane ſe res habet: ſed id vocabulorum commercium non Grammaticorum vitio, ſed vulgi, qui varia pro varia aetate uſurpat vocabula, tribuenda eſt conſuetudini. Quas diverſas ſignificantias niſi pro ratione aetatis in claſſes diſponas digeraſque, omnia turbari neceſſe eſt. Quamobrem, antequam vocem *Thermas* non temere lapidi noſtro reſtitutam eſſe ſuadeam (id quod extremo §. ſequenti praeſtabo) pauca quaedam de diverſa vario tempore Gymnaſii & Palaeſtrae notione, deque Xyſto ac Thermis, praelibanda ſunt.

§. V.

Quo Palaeſtra, Xyſtus, Gymnaſium *conveniant, differantve.* Gymnaſiarcha *an idem ac* Xyſtarcha. *Quando quave de cauſa ſiluerint Gymnaſia.* Stadium *Gymnaſii Neap. an aevo ſequiore vocatum* Amphitheatrum. Thermae *Neap. a Tito Imp. reſtitutae.*

P*Alaeſtra*, ut nominis ipſius fert etymologia, locus erat luctationibus ac porro ceteris exercitationibus athleticis comparatus; qui ut huic uſui inſerviret innoxie, complanari ac veluti abradi neceſſe erat; hinc altera loco acceſſit nomenclatio *Xyſti*, a ξύω ſcil. *abrado* (1). *Palaeſtra* ergo & *Xyſtus* unius ejuſdemque loci vocabulum fuit.

(7) In Diſſert. VIII. pag. *636. Ex qualibus Lexicographorum* (Heſychium, Pollucem, Suidam intelligit, quorum loca mox pro re nata §. ſeq. recitabo) *loquendi modis videmus, illos confuſe tantum de Gymnaſiis loqui, partemque pro toto, totumve pro parte, quaſi unum idemque allegare; dum potius reddunt, quid quaeve ad iſta pertinuerint, quam quid revera ac definitive fuerint; aut quo proprie nomine ſint appellanda.* Primum eos univerſim confuſionis arguit, mox accuſationis capita dividit. Ut immerito, ſic haud oppido liberaliter.

(1) Ea eſt nativa Xyſti notio & etymologia, quam antiquitas agnovit. Niſi quod priſci illi homines, qui Diis omnia referendo ſe ad paria aemulanda accendebant, Herculem primum

fuit. Cicero l. ad Att. Ep. *6.* quem *Xyſtum* appellat, mox Epiſt. 8. *palaeſtram* nominat. At ubi denudari corpora (2) coeperunt, *palaeſtra*, aeque ac *Xyſtus*, cum *Gymnaſii* nomine alternavit. Suidas: Παλαίϛρα, Γυμνάσιον. *Palaeſtra*, *Gymnaſium*. Heſychius: Γυμνασιάρχης, ἄρχων τοῦ ξυϛοῦ, *Gymnaſiarcha*, *Praefectus Xyſti*.

Jamvero gymnaſium ſeu palaeſtra, ad eam amplitudinem ac magnificentiam, quo poſteritas evexit, nondum aſſurrexerat, nec prorſus aliud erat, quam area complanata & ſepto aliquo, quo a privatorum contiguis areis diſcerneretur, incluſa. Hinc Pauſanias Eliac. II. 23. vetera Elidis gymnaſia non alio quam Περιβόλου, *Septi*, nomine circumſcribit. Mox umbrae captandae gratia additae ſunt platani in ordinem diſpoſitae, & ad earum imitationem ſucceſſere lapidei porticuum fornices, quo ſi quando ſubdialibus ambulationibus uti per pluviam aeſtumve non licebat, confugerent. Tum hypaethrae tum contectae ambulationes communi Περιπάτου, *Ambulationis* vocabulo, ut ante innui, veniebant; quas Gymnaſiis addi, priſci moris fuit. Hiero Syracuſanus in ingenti portentoſae ſuae navis, quam ad juſtae urbis imaginem exſtrui curabat, mole Γυμνάσιον καὶ Περίπατον, *Gymnaſium* & *Ambulationem* addidiſſe fertur Athenaeo lib. V. 10. Adhaec Cyneam occluſiſſe Tarenti Γυμνάσια καὶ Περιπάτους, memoriae prodit Plutarchus in Vita Pyrrhi pag. *392.* Itaque rudibus primordiis ducta Palaeſtrae ſeu Gymnaſii ſtructura, paullatim accedentibus aliis membris increvit. Enimvero placuit priſcis illis hominibus palaeſtrae inaedificare Ἐξέδρας quas Latini *Sedes* dixere, ſeu *Seſſiones*. Cicero Orat. II. 21. *Palaeſtram & Sedes & Porticus . . . Graecos exercitationis & delectationis cauſa . . . inveniſſe arbitror*. Ubi *Sedes* & *Porticus*, ſunt ἐξέδραι & Περίπατοι, quibus jam palaeſtra ſeu gymnaſium ornari coeperat. Partitae autem variis uſibus erant exhedrae, unde quoque varia vocabula nactae ſunt, ut *Ephebeum*, *Apodyterium*, *Alipterium*, *Laconicum* &c.

Ne porro Gymnaſium dumtaxat exercentium otio pateret, ad voluptatem acceſſit utilitas. Enimvero in Elidenſium gymnaſio Rhetores quodammodo ludum aperuerunt. Pauſanias Eliac. II. 23. Ἐν τού-

mum omnium paraſſe *Xyſtum* ſomniarunt. Is autem, ut patientiae ſuae documentum praeberet, ſuccreſcentes in Gymnaſio ſentes quotidie radere (ἀναξύειν) conſueviſſe ferebatur. Pauſan. Eliac. II. 23.

(2) Quis primus ſe totum in Stadio nudaverit (antiquitus enim, quantum ex Homero intelligimus, non plane exuti certabant) tum apud alios, tum diligenter ediſſertum videſis apud Feithium Antiq. Homer. IV. cap. 6.

τῷ τῷ γυμνασίῳ καὶ βουλευτήριόν ἐστιν Ἠλείοις, καὶ ἐπιδείξεις ἐνταῦθα λόγων τε αὐτοσχεδίων καὶ συγγραμμάτων ποιοῦνται παντοίων. *In hoc gymnaſio curiam habent Elei, & hîc ſpecimina eduntur tum extemporanearum orationum, tum cujuſvis generis ſcriptorum.* Mox & Philoſophi eodem irruperunt, tantoque ſucceſſu, ut Gymnaſium univerſum nonniſi Rhetorum ac Philoſophorum eſſe auditorium videretur. Cicero loc. cit. *Nam & ſaeculis multis ante gymnaſia inventa ſunt, quam in his Philoſophi garrire coeperunt; & hoc ipſo tempore, cum omnia gymnaſia Philoſophi teneant* &c. Sane Vitruvius Exhedras in tribus palaeſtrae lateribus diſpoſitas Philoſophorum diatribis aſſignat. Cum itaque Philoſophi in Gymnaſii exhedris, tamquam in propria ſede, regnare coeperint; exinde orta eſt illa antehac inaudita diſtinctio inter *Gymnaſium* & *Palaeſtram*; quorum illud Philoſophorum Scholas, haec exercitiorum ſtationes ſignabat. Quo ſenſu intelligendus eſt Cicero, Plutarchus, Laërtius (3), & quicumque alius *gymnaſium* a *palaeſtra* ſejunxiſſe comperietur. Eo etiam refer, quod loco *Gymnaſiarchae* ſucceſſit *Xyſtarchae* nomenclatio. Nec ſecus factum oportuit: nam cum vulgo Gymnaſium pro Schola Philoſophorum acciperetur, neceſſe erat, ut qui palaeſtricis exercitationibus praeerat, non amplius, ut olim, a gymnaſio (cujus jam ambigua erat notio) ſed utique a *Xyſto* i. e. palaeſtra, cognomen quaereret. Cujus diſtinctionis ſi ratio ab eruditis viris fuiſſet habita; haud ita quidem diſcordibus in inveſtiganda *Xyſtarchae* origine opinionibus diverſi abiiſſent Mercurialis, Faber & Falconerius (4); ac praeterea iis con-

(3) Cic. ad Atticum I. Ep. 6. *Quamplurima* (ſigna) *quamprimumque mittas, & maxime quae tibi Gymnaſii Xyſtique videbuntur eſſe*; & mox Epiſt. 8. *Quae tibi Palaeſtrae, Gymnaſiique videbuntur eſſe*. Plutarchus in vita decem Rhetorum de Lycurgo: Καὶ τὸ ἐν Λυκείῳ Γυμνάσιον ἐποίησε . . . . καὶ τὴν Παλαίστραν ᾠκοδόμησε: *Et in Lyceo Gymnaſium fecit . . . & Palaeſtram aedificavit*. Laërtius in Socrate: Ἀθηναῖοι δ' εὐθὺς μετέγνωσαν, ὥστε κλεῖσαι καὶ Παλαίστρας καὶ Γυμνάσια. *Continuo Athenienſes tanta fuere tacti poenitentia* (necis Socrati illatae) *ut & Palaeſtras & Gymnaſia occluſerint*. Quae loca fruſtra aſſequi intelligentia poteris, ni *Gymnaſium* pro invectâ recens Gymnaſii notione, h. e. pro Scholis Philoſophorum, & *Palaeſtram* ſeu *Xyſtum* pro nativa athletarum ſtatione interpreteris.

(4) Mercurialis lib. I. art. gymn. cap. 12. *Xyſtarcham* ſecundum a *Gymnaſiarcha* locum occupaſſe comminiſcitur. Faber vero I. Agoniſt. 22. aut geminum, aut non abſimile munus utrumque facit; imo idem hujus in Gymnaſio, quod illius in Xyſto. Praeterea Falconerius in Inſcript. Athletic. ſequeſtri perſonam agere pro-

confutandis felicior Vandalus (5) exſtitiſſet.

Aliis ſubinde vicibus patuit fortuna *Gymnaſii*, quod aevo ſequiore in *balinei* ſignificationem conceſſiſſe, explorata (6) res eſt. Ejus autem metonymiae non unam conjicio fuiſſe cauſſam. Ac primum balinearum & gymnaſii in proximo (7) vicinia promiſcuum uſum utriuſque vocis

profeſſus, ſic rem dividit: *Xyſtarchae munus in prima inſtitutione diverſum fuerit a Gymnaſiarchae munere.... verum quod utrumque circa eaſdem fere res verſaretur, factum deinceps crediderim, ut unum pro altero promiſcue uſurpare Scriptores coeperint.* Incredibilia opinionum portenta, inde quidem orta, quia, quid aevo ſequiore Xyſtus a Gymnaſio differret, non omnino attenderetur.

(5) Vandalus ſupra cit. Diſſert. VIII. quantum ex ejus verbis intelligere potui, *Gymnaſiarcham* & *Xyſtarcham* ex aequo praefuiſſe Gymnaſio ſeu Xyſto ſcribit: hoc tamen diſcrimine, quod qui *Gymnaſiarcha* apud Graecos, is apud Italos ſeu Romanos *Xyſtarcha* audierit. Profecto enim idem erat Gymnaſiarcha & Xyſtarcha, nimirum ſecundum eam notionem, qua olim *Gymnaſium* & *Xyſtus* idem plane ſonabat. At non aeque verum, Italos fuiſſe alterius nomenclationis ſcil. *Xyſtarchae*, auctores. Refellitur enim ex illa ipſa inſcriptione Cretenſi (ubi *Xyſtarchae* mentio) quam Falconerius in ſuae opinionis praeſidium attulerat, cujuſque vim impreſſionemque non omnino Vandalus declinavit. Fortaſſe nullibi frequentius quam in Italia *Xyſtarcha* loco *Gymnaſiarchae* ſucceſſerit; ſed non aliam ob cauſam id accidiſſe reor, niſi quod apud Italos praeſertim vox *Gymnaſii* preſſius ad Scholas Philoſophorum traducta fuerit: conſequens autem inde fuit, ut palaeſtritarum Praefectus potius *Xyſtarcha*, quam *Gymnaſiarcha*, nuncuparetur.

(6) Herodiano lib. I. 11. Gymnaſium ac Balneum idem plane ſonat. *Thermae* quoque ſub Gymnaſii nomine ambulavere. De Thermis Agrippae ſic Dio LV. loquitur: Τὸ πυριατήριον τὸ Λακωνικὸν κατεσκεύασε. Λακωνικὸν γὰρ τὸ Γυμνάσιον &c. *Vaporarium Laconicum exſtruxit. Laconicum enim Gymnaſium dicitur* &c.

(7) Opportunitas aquarum, quae non minus ad palaeſtritarum commodum, quam ad publicorum balneorum uſum erant neceſſariae, omnino ſuadebat, ut utrumque opus ſtrueretur in proximo. Idem conſilium quidem certe Plato ſecutus videtur, dum in iiſdem locis irriguis *Gymnaſia Thermaſque* parari praecipit VI. LL. pag. 761. Ἐν τοῖς τοιούτοις Γυμνάσια χρὴ κατασκευάζειν τοὺς νέους αὐτοῖς τε καὶ τοῖς γέρουσι, γεροντικὰ λουτρὰ θερμὰ παρέχοντας, *Hiſce locis* (irriguis) *par eſt ut adoleſcentes aedificent Gymnaſia, ſibi & ſenibus ſenilia lavacra calida parantes.* Enimvero tertius Gymnaſii Elidenſis ambitus haud ita quidem a balneis aberat; e palaeſtra enim continuo patebat aditus πρὸς τὰ λουτρὰ, *ad lavacra*, teſte Pauſania Eliac. II. 23. Eadem vicinitatis cauſa fecit, ut qui Gymnaſiis praeerat, is praefecturam quoque balneorum gereret. In inſcriptione quadam inter athleticas Falconerii, *M. Ulpius Domeſticus* enunciatur Ξυστάρχης .... Ἐπὶ βαλανείων Σεβαστοῦ προστάτης, *Xyſtarcha.... Balnearum Auguſti Curator.*

vocis invexit. Quid quod gymnaſia ipſa in thermarum ambitu aptabantur, ut monuit Scaliger ad Sueton. Nerone cap. 12? Sane balnea in palaeſtrae morem aedificata fuiſſe, oſtendi poteſt ex Plinio (8). Quocirca mirandum non eſt, ſi unum idemque *Gymnaſii* vocabulum utrique fabricae uſuique commodatum fuerit. Praeterea in *Gymnaſii* voce non tam priſcus uſus, quam etymologia ſpectata eſt. Itaque loca omnia, ubicumque *denudato* eſſet opus, ut erant *balnea* præſertim, *Gymnaſii* vox univerſe complectebatur. Suidas: Γυμνάσια· Ἀλειπτήρια ἢ βαλανεῖα, ἢ λουτρά· *Gymnaſia· Loca ubi athletae ſe ungebant; vel, balnea; vel, lavacra.* Quae ſingula loca, non per ſynecdochen quidem, qua pars pro toto contineretur; ſed utique quia ibi denudarentur homines, ideo ἀπὸ τοῦ γυμνοῦσθαι, quod *nudari* ſignificat, ſub *Gymnaſii* q. d. *nudatorii* vocabulo cenſebantur. Idem vox *gymnaſii* ſonat in illo Pollucis III. ſeg. 154. Τὰ δὲ χωρία τῆς ἀσκήσεως, Ἀποδυτήριον, Γυμνάσιον (9), Παλαίστρα, Κονίστρα. *Exercitationis autem ſunt*, *Apodyterium*, (ſeu ſpoliarium) *Gymnaſium* (h. e. balneum) *Palaeſtra* (ſeu Xyſtus ubi lucta fiebat) & *Coniſterium* (ubi pulvis, quo luctaturi aſpergebantur).

Atque haec de variis *Gymnaſii* vario tempore notionibus habui dicere; quas ſi partite, ut opus erat, ſibi contemplandas ſuſcepiſſet Van-dalus, profecto non amaras in Heſychium, Pollucem, Suidam effudiſſet querelas, eoſque confuſionis notâ damnaſſet. Eâdem, opinor, confuſionis vertigine correptus doctiſſimus Scriptor Th. Cal. ulterius praetervectus eſt, Gymnaſiumque fuiſſe peculiare aedificium pernegavit. Sed, ne prorſus indefenſos abire ſinam veteres lexicographos; quis ignorat illos, in ſuis quemque lexicis tum vetera, tum quae ſua aetate vigebant, vocabula enucleanda ſibi ſuſcepiſſe? Quid ergo mirum, ſi apud eos *Gymnaſii* vox modo ad *palaeſtram*, modo ad *balnea*, modo ad *Philoſophorum Scholas* ſignanda traducatur? Quas diverſas notiones, niſi per varia temporum intervalla digeſſeris, eaſque in ſuo veluti lumine apte ſtatueris; ſed contra tumultuarie acervatimque

(8) Qui ſic de balineo Pruſenſibus conceſſo ab Imperatore loquitur lib. X. Epiſt. 75. ad Trajanum: *Ego ſi permiſeris, cogito in area vacua balineum collocare; eum autem locum, in quo aedificia fuerunt, exhedra & porticibus amplecti*. Si Plinianam balinei Pruſenſis delineationem cum Vitruvianae palaeſtrae contuleris, nihil plane intereſſe comperies. Utrobique exhedrae, utrobique porticus.

(9) H. e. Balnea ſeu Thermae. Vide Adnot. 6. Ac ſane Pollux hîc *Exercitationis* loca exſequitur: Uſum autem balnearum Medici antiqui recenteſque maxime inter exercitationum genera commendant.

que complexus fueris ; confuſum quid atque inconditum , non ſecus ac chordas ſine arte pulſatas, ſonare deprehendes.

Tandem aliquando *Gymnaſii* vox in *Thermis* ſuum funus invenit ; eam maxime ob cauſſam, quod athleticis ſtudiis plane intermortuis, ſoloque balneorum uſu ſuperante, univerſa ſtructura tum Gymnaſii tum balinei ſub generalem *Thermarum* nomenclationem conceſſit . Thermis inſaniiſſe Romanos veteres, monitore non eſt opus. Quod autem mea intereſt adnotaſſe, illud eſt, quod ſi quae gymnaſia ſeu palaeſtrae olim fuerint, aevo ſequiore *Thermae* audierunt. Thermas & Gymnaſium a Nerone dedicata refert Suetonius ; at proceſſu temporis de Gymnaſio verbum nullum ; ſed nihil frequentius *Thermis Neronianis* occurrit. Jamvero qua preſſius tempeſtate vel cauſa deſitum ſit a gymnicis ſtudiis, aegre divinari poteſt . Primas tamen partes non invitus detulerim Romanae gravitati , a quorum moribus alieniſſima palaeſtra , tametſi a nonnullis graecantibus Auguſtis commendata , diu in honore eſſe non potuit . Praeterea acceſſit altera cauſſa multo vehementior; Evangelicae ſcilicet modeſtiae praeconium, quo perſonante , gymnaſia paullatim retulere pedem , ac tandem omnino evanuerunt . Ad Chriſti enim in Cruce ſuſpenſi nuditatem erubeſcebant Chriſtiani homines ob delectationem veſtimenta deponere , nudoſque in conſpectu populi, idque plauſus excipiendi ſtudio, luctari . Itaque eo citius ſeriuſve gymnaſia per orbem Romanum occluſa fuiſſe ſuſpicor , quo maturius vel contra nova religio eo loci invecta eſt : Romam vero , ubi ſalutaris crucis lignum citiores altioreſque radices egerat , omnium primam a gymnicis exercitationibus jam inde a medio IV. ſaeculo abſtinuiſſe reor. Atque ea mihi cauſſa fuiſſe videtur , quamobrem P. Victor qui ſub Valentiniano ac Valente Impp. floruit , in deſcriptione regionum urbis Romae , quamvis thermas, balineas , circos plurimos recenſeat , de gymnaſiis , quae pridem ibi (10) fuerunt, omnino ſiluerit. At quî meminiſſe poterat , ſi gymnica ſtudia ſimul cum nomine exſulaverint? Porro ad Romae exemplar

(10) Gymnaſticen ad Graeciae imitationem , Romae quoque diu cultam fuiſſe , inſcriptiones athleticae quamplures in urbe principe detectae prolixe teſtantur . Quamvis ea ſtudia Romanam gravitatem dedecebant , tamen vitio temporum priſca Quiritum ſeveritas tum aliis, tum agonum editione, fracta eſt. In hanc ſententiam commendanda eſt Maurici conſtantia , qui, cum in judicio coram Trajano quaereretur, jure ne an ſecus Trebonius Rufinus agone gymnico interdixiſſet Viennenſibus ; ipſe pro Rufino graviter locutus adjecit : *Vellem etiam Romae tolli* (gymnicus agon) *poſſet*. Plin. IV. Epiſt. 22.

plar mox reliquae orbis Rom. partes ſeſe compoſuere; eoque tandem res evaſit, ut *gymnaſii* vox, quatenus palaeſtram ſignabat, omnino refrixerit; nec niſi notandis philoſophorum ſcholis reſervata fuerit.

Idem autem fatum ſubiere cetera per orbem terrarum gymnaſia; itaque & Gymnaſium Neapolitanum, ubi per varias viciſſitudines nominumque jactationes fluctuaſſet, tandem ex aequo ſiluit. Ejus loco ſtetere *Thermae* in vicinia, vel in ſepto ipſo gymnaſii, ut mos erat, poſitae, tantaque celebritate frequentatae, ut ab iis regio quaedam urbis noſtrae nacta fuerit nomen. In lapide noſtrate apud Grut. CCCCXXX. 6. exſtat *Regio Thermenſis*, quae nomenclatio diu poſtea & ad majorum noſtrorum aetatem perennavit. Patuit autem haec Regio inter portam Campanam Nolanamque & ad Regionem Furcillenſem uſque protendebatur: itaque totum illud ſpatium complectebatur, ubi Gymnaſium Scriptores noſtri, ducti exploratiſſimo parietinarum ex opere lateritio, inſcriptionum athleticarum ibi effoſſarum, & ebullientium adhuc aquarum, indicio, metati fuerant. Porro thermas Neapolitanas juxta gymnaſium applicitas fuiſſe, illud eſſe poterit argumento, quod haec eadem *Regio thermenſis prope Amphiteatrum* ad majorem ſcilicet inculcationem, in veteribus (11) chartis dicta reperiatur. Nonnulli hinc colligunt, ſed nullo idoneo teſte ſuffragante, ibi fuiſſe quoque Amphitheatrum. Eo quoque inclinaſſe videtur Fabius Jordanus, ſed dubii plenus aliis id inveſtigandum permiſit (12). At vero acu rem tetigiſſe videtur ingenioſus Laſena noſter, qui in hiſce chartis ultimi aevi, *Amphitheatrum* pro *Stadio* accipiendum eſſe contendit: indeque ortam eſſe errandi originem, quod Stadium, palaeſtrae Neapol. additum, ut erat ſedibus utrimque diſpoſitis pro more comparatum, ſpeciem quamdam Amphitheatri ea aetate barbarica praeferebat; cumque de Stadio Graecanico ne fando quidem illi homines inaudiviſſent, facile pro *Stadio* vocem *Amphitheatri* (13), quod

(11) Apud Laſenam de Gymnaſ. Neap. p. 181. *Eccleſia S. Sergii & Bacchi in platea Amphitheatri in vico Seccarino ad portam Furcillae.* Alibi: *In regione thermenſi prope Amphitheatrum.* Vide adnot. ſeq.

(12) Ibidem apud Laſenam: *In vetuſtis quoque S. Sebaſtiani tabulis Amphitheatri & vici Amphitheatri Regionis Thermenſis nomen ſaepenumero legimus; quo arbitrabar quandoque inter Capuanam Nolanamq. viam loco D. Petri dicto, ne dum thermas, ſed aliud quoque Amphitheatrum exſtitiſſe. Sed cum nihil certi ea de re afferre poſſimus, apud alios ſit hujus rei judicium.* Quae verba exſcripta ſunt ex Fabii Jordani Hiſtor. Neapol. lib. I. cap. 25. de Thermis, ut me Cl. Capycius monuit.

(13) Infelicium temporum vitio tribue, quod *Amphitheatrum* pro *Stadio*

quod Latinis auribus diutius inſonuit, ſuppoſuere. Rem ipſam teneo, nomina non moror. Itaque *Regio Thermenſis prope Amphitheatrum* illud prope ſubjicit oculis, quod pluribus ſuadere contenderam; nempe *thermas Neapol.* olim Gymnaſio applicitas fuiſſe; ac facile utrumque opus a Tito reſtitutum. Enimvero Gymnaſium terraemotibus collapſum, ex Titianae inſcriptionis verſu quinto ſuaſimus; porro aegre eſt non credere, ſtructas in proximo *thermas* ejuſdem concuſſionis impetu corruiſſe, vel ſaltem vitium feciſſe. Quamobrem reparante Tito Gymnaſii jacturam, ea occaſione *Thermas* quoque reſtitutas fuiſſe, mihi fit veriſimile. Atque haec de Gymnaſio ὑλικῷ (*materiali*) ſatis: quod publicae fabricae genus ubique gentium evanuiſſe, nonnulli fortaſſe ſuſque deque habuerint. At equidem reor, ex abolitis gymnaſiis ingentem cladem illatam fuiſſe bonis artibus, quae nonniſi in palaeſtra facile commodeque, atque uberrime dabantur addiſci. Interim, ne cui mea haec ſententia παραδόξως (*praeter opinionem*) accidat, non abs re mihi viſum fuit, eam ſeorſum, hoc eſt in ſubjecto Παρέργῳ, explicatius tradere, ac ſuadere copioſius.

Q ΠΑ-

dio diceretur; ceterum ea vocis enallage praeſidium ab antiquitate quaerere utcumque poſſet, ſi quidem minime diſpliceant, quae Laſena ipſe Cap. V. pag. 81. de nova *theatri* notione apud Statium, ingenioſiſſime excogitavit. Poëta lib. III. Sylv. *ad uxorem*, inter nonnulla opera publica Neapoli excitata, memorat quoque,

Et geminam molem nudi tectique theatri.

Alii aliter Poëtae ſenſum contorſerunt; ſed quid reipſa fuerit Neapoli *nudum theatrum*, & *tectum theatrum*, nemo enucleate extricarat. Laſena vero in lectione Statii ſubactus, cum advertiſſet a Poëta quaedam latina verba eo conſilio adhiberi, ut ipſa Graecis e regione reſponderent; feliciter opinione mea conjecit, Statio illa verba fundenti tunc obverſata animo fuiſſe bina ſpectaculorum loca, nim. Γυμνάσιον & Σκηνὴν i. *Palaeſtram* & *Scaenam*; ipſum vero, ut Latina Graecis ad verbum appenderet, *Nudum* & *Tectum* dixiſſe theatrum; quorum illud ad Gymnaſium, cui a *nuditate* nomen; hoc vero ad Scaenam (quae ab σκηνῇ, *umbraculo*) theatralem referendum eſſe: utrumque vero locum ſub communi *Theatri* (quod ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι *a ſpectando*) vocabulo comprehenſum; quia utrobique *ſpectacula* edebantur. Jamvero ſi *Gymnaſium*, auctore Statio, ſub *theatri* nomine ambulaverit; minus mirandum eſt, ſi aevo poſteriore *Stadium*, pars quidem Gymnaſii maxima, *amphitheatrum* dictum fuerit, magis id adeo, quod *Stadium*, utrimque ſedibus ad ſpectandum compoſitis inſtructum erat. Vitruv. V. 11. *Stadium ita figuratum, ut poſſint hominum copiae cum laxamento athletas certantes SPECTARE*. Hinc Gymnaſio *theatri*, ac Stadio *amphitheatri* nomen ex vero quaeſitum.

ΠΑΡΕΡΓΟΝ

De Picturae Sculpturaeque interitu divinatio.

Maximum Graphices opus in recta Nudi *delineatione verſari: hanc vero in Gymnaſio tum ex athletarum motionibus, tum e ſtatuis facile parabilem fuiſſe: hinc videri detrimenta artis hujus a deſuetudine gymnaſiorum eſſe repetenda.* Aegyptiaca pingendi audacia. *Quaenam* Abdita loca, *ſeu* Faviſſae. *Leges antiquae de ſignis non transferendis. Inſcriptio vetus illuſtratur.*

NOn is ego ſum, qui ob intermortuas palaeſtras hîc veluti lugubria indutus, naenias inſtituam, ob eam maxime cauſam, quod eae artes, quae olim ingenuae ferebantur, primum ſine honore, deinde deſpicatui habitae, poſtremo fugatae omnino exſulaverint: quandoquidem ea viciſſitudine res humanae laborant, ac ſine intermiſſione laborabunt. Et tamen mihi, qui Strabonianas de peſſumdato Italico Graeciſmo querelas praecipue ſum de abolitis gymnaſiis interpretatus, ſubiit animum inveſtigare curioſius, ecquid propius Geographum ſic pupugerit, ut indoleſceret. Nam Strabonem ob id dumtaxat queſtum fuiſſe, quod vires corporis ex ceſſatione palaeſtrae torpeſcerent, juventuſque a militiae ſtudiis avocaretur ad otium, mihi quidem non ſit veriſimile; magis id adeo, quod aliis exercitationibus vicariis jactura gymnaſii compenſari abunde poterat. Nonne meditationes campeſtres, aeque ac gymnicae, corporum agilitati conſulebant, & venatione ad bellicam diſciplinam praeludebatur? Majus ergo quid Geographi animo obverſatum fuiſſe ſuſpicor, quod ab eo querelas expreſſerit: Nimirum Graphicen, & quae ex Graphice creverunt, Picturam, Sculpturamque, cum gymnaſii fato occubuiſſe, res ſane digna erat, quamobrem vir philoſophus indignaretur. At enim, inquies, quæ communio Graphicae cum gymnaſio interceſſerit, ut altero intercidente, ſimul altera eodem impellente fato corruerit? Omnium, mea opinione, maxima. Verum antequam id ſuadere aggrediar, praeſtat paucis aperire varias de Picturae occaſu ſententias; nam ex ipſis diſcordibus veterum ac recentiorum ea de re opinionibus fortaſſe dabitur, quid repudiandum ſit, quidve ſequendum, elicere.

Et ad recentiores quidem quod attinet, ut minutiora quaedam prætermittam, ſub tribus potiſſimum diverſo tempore impactis vulneribus Graphicen occidiſſe autumant. 1. Translatione aulae Imperialis ſub

ſub Conſtantino: qua tempeſtate volunt, praeſtantiſſimos artifices, & expolitiora artium monumenta ſimul cum Imperatore Româ Byzantium commigraſſe. 2. Chriſtiana religione; quam, ubi in libertatem aſſerta eſt, hoc egiſſe ajunt (1) ut immenſa falſorum Numinum multitudo e conſpectu populi, veluti e theatri caveis, exſibilata cederet; tum ut picturae ſculpturaeque, aliquanto impudentiores, a Chriſtianorum oculis ſubmoverentur. 3. Funeſtiſſima Barbarorum, quicquid adhuc admirandae vetuſtatis reliquum fuerat, conculcantium incurſione. Atque hinc accidiſſe rentur, ut adoleſcentes optimis & magiſtris & veterum ſimulacrorum exemplis deſtituti, nullum operae pretium excogitare, nedum exſequi, Marte ſuo quiverint. At enim, ut nunc praepoſteram argumentandi rationem diſſimulem, qua quae Romae peculiaria damna fuerunt, ea nimis licenter ad orbem univerſum traducuntur, ut inquam id nunc diſſimulem; tria haec criminationum capita facile cuique fuerit exſufflare. Enimvero ſi ea deductio nocuit Romae, hoc ipſo prodeſſe debuit Byzantio, quo ingentem artificum & ſtatuarum vim praeſentia Imperatoris, uti volunt, contraxerat. Atqui quam indigno loco ibi Graphice fuerit, facile ex invenuſta numiſmatum Byzantii cuſorum delineatione liquet. Jamvero quae argumenta ex Chriſtiana religione, & ex infuſa barbarie contra bonas artes deducuntur, paullo quid firmioris ponderis haberent, ſi quidem oſtendi poſſet, tum primum Graphicen imminui ac debilitari coepiſſe; at querelae de Picturae interitu, ut mox dicam, antiquiores ſunt, quam ut hiſce temporibus conſignari poſſint. Quamobrem, etiamſi hae cauſae non incidiſſent, bonae tamen artes, prout ſe dederant initia, omnino concidiſſent. Perfecta enim & abſoluta Graphice jam inde a primis Caeſaribus vitium fecerat, ac tandem ſaeculo IV. cum ingenti ruina humi proſtrata jacuit. Tabeſcentes itaque tum erant artes & pene intermortuae; nec niſi quae olim ſculpta pictaque erant antiquitus, ex parte reſtabant adhuc; at omnis ſpes fracta erat, ut paria artifices opera aemularentur. Quin vero pauca

 haec

(1) Sane ad Evangelii praeconium imminui Numinum frequentia ſtatuarum coepit. Notum cuique eſt ex Act. XIX. 24. ſeq. quid impulerit Demetrium, *argentarium*, *facientem aedes argenteas Dianae*, ut Epheſi turbas contra Paulum cieret. Nimirum verendum illi erat, ne Apoſtolo vehementius urgente praedicationem, artificii ſui lucra penitus interirent; quamquam homo malitioſus, ne ſuâ magis, quam Dianae cauſâ, commoveri videretur, hoc amplius obtendit: *Sed & magnae Dianae templum in nihilum reputabitur, ſed & deſtrui incipiet majeſtas ejus, quam tota Aſia & orbis colit.*

haec antiquitatis veſtigia ſub Religionis Chriſtianae auctoritate, ac mox ſub Barbarorum alluvie omnino peſſumdata fuerint, equidem non diffiteor; modo ſtet illud, Chriſtianos & Barbaros non primos ſtantem ac ſpirantem Graphicen decuſſiſſe, ſed eidem jam ad perniciem inclinanti pondus addidiſſe de ſuo. Itaque ſi mihi quadam imagine ſub ſenſus cadente uti liceat, ita quidem partite dicerem: Chriſtianam Religionem, cum rerum potita eſt, nactam artes intermortuas, veterum picturas ſtatuaſque, ne peſtilentia ſua Chriſtianorum animos venenarent, condidiſſe tumulo; barbaros vero inſultaſſe tumulo, atque oſſa ſine ulla reverentia diſſipaviſſe.

Et ſane jam inde ab aetate Petronii ac Plinii quaeſitum fuit, unde bonae artes, ac Pictura praecipue, perniciem labemque contraxerint: quod certiſſimo argumento eſſe poteſt, jam tum Graphicem a priſtino ſuo loco ac dignitate dejectam. Et quidem tunc opinio fuit, Aſiaticas divitias in Tiberim transfuſas, Picturae luminibus obſtruxiſſe. Ita quidem ille ſenſit apud Petronium cap. 88. *Coepi . . . cauſam deſidiæ praeſentis excutere, cur pulcherrimae artes periiſſent, inter quas Pictura ne minimum quidem ſui veſtigium reliquiſſet . . . . . Pecuniae cupiditas haec tropica inſtituit:* ac paullo poſt in eamdem ſententiam loquitur: *Noli ergo mirari, ſi Pictura defecit, cum omnibus Diis hominibuſque formoſior videatur maſſa auri, quam quidquid Apelles Phidiaſve, Graeculi delirantes, fecerunt.* Nimirum luxus eo evaſerat, ut homines ſibi, hoc eſt, humanae naturae quid deeſſe crederent, ni vel ipſis oculis aurum argentumque haurirent. His adde, quod ad interimendas artes non minimum valuit; judicandis artibus non quivis e trivio par erat; ſed nemo prorſus erat, quae tunc ſerpebat ſaeculi contagio, qui auri argentique fulgorem non magnifaceret. Quamobrem aurea potius atque argentea ſupellectili, quam ſignis atque picturis parietes inſtruere ante ferebant. Praeterea ad ſcabiem divitiarum acceſſiſſe volunt marmorum varietatem, quae picturae offecerit. Nam Plinius hanc quoque peſtem in bonarum artium jacturam creviſſe queritur: *Nunc vero* (inquit de pictura XXXVI. 1.) *in totum marmoribus pulſa, jam quidem & auro.* Denique *Aegyptiacam* pingendi *audaciam* (2) picturae fata maturaſſe, a Petronio ſcribitur.

(2) Petronius Satyr. 2. ubi in ſui temporis corruptam eloquentiam declamaſſet, haec veluti mantiſſae loco addidit: *Pictura quoque non alium exitum fecit, poſtquam Aegyptiorum audacia tam magnae artis compendiariam invenit.* Plurima huc congeſſere Commentatores; at ſedula ſua ex-

bitur. Habes jam quid veteres de Graphices interitu ſenſerint: quo judicio vereor equidem ut illi, inſectando temporum ſuorum calamitatem, ſatis veritati litarint.

Enimvero non negaverim inexpletam auri argentique famem plurimum ad inducendam picturam contuliſſe; Romae praeſertim, quo orbis univerſi divitiae corrivabantur: at hoc idem in cauſa fuiſſe, ut ubi-

exquiſitaque diligentia id conſecuti ſunt, ut Satyrici locus, ceteroqui planus ac facilis, inter obſtetricantium manus evaſerit difficilior. Ne multis; Pictura eſt ars Naturae imitatrix, illeque optimus pictor eſſe praedicatur, qui apprime novit coloribus cum Naturae veritate certare. Praebent autem arti materiam quaecumque ſunt in rerum univerſitate ſpecies, & eae praeterea, quae quamvis nón verae, opinione tamen vulgi ſuſtinentur; ut Fauni, Satyri, Centauri, & id genus alia non pauca. Quidlibet igitur *audendi* pictori datur facultas, hac tamen lege, ne, ut ille cecinit,

Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

Neque enim, inquit Vitruvius VII. 5. *picturae probari debent, quae non ſunt ſimiles veritati*. At enim in hanc partem eximie ſupra ceteros Aegyptii peccarunt, apud quos nihil frequentius ad occulenda religionis myſteria fuit, quam ut caninum caput humanis artubus imponerent, aut contra humano capiti volumina ſerpentium, aut aliarum ferarum membra, adjungerent: ſic ut *nec pes nec caput uni formae redderetur*. Nec adhuc ſtetit fingendi licentia. Auſi praeterea ſunt & pro columnis calamos, & pro faſtigiis pingere harpaginetulos: ad ſummam, totas Architectonicae rationes intervertere, ea ſcilicet comminiſcendo, quae Vitruvius loc. cit. graviter reprehendit. Et quamvis Vitruvius ibi Aegyptios haud nominatim incuſet; iis tamen primam praepoſtere pingendi originem eſſe imputandam, Petronius hòc loco ſuadet. Aegyptii quidem primi omnium hujuſmodi audaciam praeſetulere, ſed mox aliis, ut idem aemularentur, praeluxerunt. Nam pervagata quaquaverſum Alexandrina peregrinitate, Graeci Latinique pictores in eo pingendi genere ſibi mirifice placuerunt, tum ad ciendam admirabilitatem, quae ex rebus non antea viſis plerumque oritur, tum vel maxime ad operis celeritatem. Etenim extremitates imaginum ad ſimilitudinem verorum corporum praecidere, & columnas cum reliquis aedificiorum rationibus ad Arthitecturae diſciplinam delineare, ſane quam diuturnioris erat operis, quam monſtra ad libidinem effícta, aut calamos aedeſve ſine arte tabulis illinere. Profecto plurimo labore ſubigendi erant adoleſcentes, iiſque non mediocri temporis diſpendio opus erat, ut & ad veras Naturae ſpecies, & ad architecturae rationes delineandas rite compararentur. At ubi probata corrupto hominum judicio Aegyptiaca audacia fuit, jam quis tribus quatuorve diebus ad graphicen, perverſam illam quidem & deteſtandam, informabatur. Atque hæc eſt illa via *compendiaria*, quam vetuſtae graphicae, eidemque exactae, fuiſſe detrimento, non ſine juſta cauſa Petronius queritur.

ubique gentium pictura ſordeſceret, mihi prope abſurdum eſſe videtur. Nam utut hujuſmodi querelae veterum ad ſuadendum picturae in urbe Roma interitum valeant, in provinciis quidem certe non valent. Diteſcere enim pars una nequit, niſi altera pro portione pauperetur; itaque ſi Romanae divitiae picturam Italicam praeſocarint; dicendum contra foret, exhauſta provinciarum aeraria Graecanicam abſorbuiſſe. Quamobrem adaequata picturae demortuae cauſa in una divitiarum voragine comprehendi nequit. At cum quaeſtio eſt de occaſu alicujus artis; id ſedulo allaboratur, ut una cauſa quae ubique valeat, detegatur. Ergo ut ad rem praeſentem deveniam, cum quæritur, quid picturam ſculpturamque aboleverit; illa prima pernicies exploranda eſt, quae utrique noxia, utramque pariter & ubique e medio ſuſtulerit. Ut autem recto itinere hanc labis originem primam inveſtigemus; illuc conjiciamus oculos, unde utraeque veluti ex communi fonte deducantur: quem fontem ſi forte turbatum diſſipatumve deprehenderimus, haud aegre erit conjicere, cur aquae inde ſalientes lutulentae decurrant. Nimirum utrique arti, picturae ſcilicet & ſculpturae, praeludit Graphice (Ital. *diſegno*); ſine qua nihil omnino proficitur. Ex graphice enim exſiſtit perfectum pingendi ſculpendique genus; in eaque unice addiſcenda diu multumque inſudandum eſt. Nam aptare lumen, umbras, ſplendorem, commiſſuras colorum, haec inquam, omnia ludum eſſe dixeris, ſi cum Graphicae difficultate comparaveris. Itaque ſi mihi dabitur oſtendere, una ſimul cum abolitis gymnaſiis deſiviſſe quoque perfectae graphicae opportunitatem, ac facilitatem; ecquis in dubium revocaverit, picturam atque ſculpturam gymnaſiorum ruinis involutam occubuiſſe?

Graphice autem, ut inde incipiam, eſt ars delineandi; cum manus per lineamenta feliciter animi ſenſus explicat, & cum extremitates imaginum ad ſimilitudinem verorum corporum praeciduntur. Sed Graphice, ſeu pictura linearis, nullibi melius quam in nudo corpore humano profecit. In corpore enim humano initia quædam artium, & prope rerum omnium proportiones Natura depoſuit: itaque ſi quis præſtantiſſimum hoc opificium delineare apprime norit, is certe quaecumque ſub oculos cogitationemque cadent, facillimo negotio repraeſentabit. Sane ex nudo corpore perfecte diſcitur, quae ſit membrorum omnium apta diſpoſitio ac proportio, quanto quid a quo diſtare debeat; quae ſit latitudo pectoris, longitudo brachiorum ac pedum, quae laterum profunditas; quae oſſium commiſſurae; ubi tori, muſculi atque artus aptandi. Conſiderandae quoque veniunt multiplices cor-

corporis motiones, & quo pondere librari corpora debeant, ne a centro gravitatis deflectentia cadere potius, quam ſtare, videantur. Praeterea cum artificioſiſſima corporis compages ita comparata ſit, ut pro vario poſitu varia ſit oſſium tororumque diſpoſitio, neceſſe eſt, ut motiones univerſas teneat artifex, & accuratiſſime ſibi in animo conſignet. Sed praecipuum graphices artificium in delineatione animorum verſatur. Arctiſſima enim eſt animi cum corpore ſocietas; & quo ſpectat animus, eo quoque univerſa corporis membra, veluti ſuo domino ac principi famulantia, collineant. Varius igitur erit oris geſtus, oculorum jactus, cervicis inflexio, lacertorum, crurum, pedumque intentio, prout hac vel illa affectione intus impellitur animus ac cietur; ita ut visâ corporis delineati ſpecie, ſtatim quis intelligat, tranquillus ne an concitatus, hilaris an triſtis illic animus deliteſcat. Haec autem omnia aliunde, quam e nudo corpore, addiſcere fruſtra ſperaveris. Atqui nullibi vehementius, quam in palaeſtra, denudata corpora in omnes partes verſabantur; nec aliunde evidentius quam e gymnicis exercitationibus, affectus animi detegebantur.

Nunc vero ad prima graphices rudimenta adoleſcentibus tradenda, conſuetudo obtinet, ut vulgaris homo e trivio conductus denudetur, & in abaco ſiſtatur, juſſus in hanc vel illam ſe componere poſitionem. Sed quam frigide & infeliciter, quam ineleganter! Ac primum qui nunc pro exemplari ad imitandum proponitur, non omnium pulcherrimus, nec abſolutiſſimis inſtructus membris eſſe ſolet. Pictor autem aut ſculptor, perinde ac poëta, ad ciendam admirabilitatem ſequi, quod eſt in quoque genere perfectiſſimum, debet. Praeterea qui in abaco ſic compoſitus aptatur, non aliam plerumque oris ſpeciem gerit, quam ſi ſuſpenſus in equuleo torqueretur. Tanta cum moleſtia miſer ille diſtenditur! Quae vero imperantur membrorum poſitiones, cum non ſponte ſua nec aliquo impetu proveniant, omnino langueſcunt, neque cum habitu oris conſpirant neque conſentiunt; ita ut diſcerni nequeat, ecquando perſonatus ille athleta laetetur, doleatve, quando audacem timidumve gerat animum: qui vel ſi in ridentem faciem ſe componere jubebitur; tamen cum laetitia non ultro e praecordiis erumpat, ore non ſuo ridere comperietur. Cum igitur hujuſmodi motiones per ſe languidae ac remiſſae, careant facili intimoque conatu, iiſque lineamentis, quibus Natura affectiones animi in ore depingit, percellere ne eae poſſunt adoleſcentes, eoſque excitare, ut quod olim animo delineandum conceperint, ipſi per ſe felici partu, & ad perfectum Naturae exemplar, effundant? Certe ii numquam

ad

ad optimam graphicen inſtituentur, niſi optima etiam exemplaria; quibus animi ſenſus & reſpondentes corporis motiones repraeſentantur ad vivum, ſibi ad imitandum proponant. At nos hiſce vivis exemplaribus deſtituti in alterutram partem claudicamus: quo plerumque fit, ut in artificum noſtrorum ſimulacris, etiamſi lacerti, brachia, pedeſque ſummo conatu diſtendantur, facies tamen ad tranquillitatem fingitur, ac veluti animo peregrinante, otiatur.

Contra Graecis omnia ea praeſidia, quae ad haec comparanda neceſſaria ſunt, abunde ſuppetebant. Praecipuae autem artis hujus partes ſunt, ut modo dicebam, tum nudi corporis ejuſque motionum perfecta delineatio, tum depingendi animi in geſtu oris ſcientia non vulgaris. In utroque Graeci ſupra ceteros excelluere, ob eam potiſſimum rationem, quod Gymnaſia, unde hoc ipſum addiſcere dabatur, in Graecia maxime frequentabantur. Scilicet ibi cuique copia fiebat, denudatos intuendi pueros, adoleſcentes, viroſque, qui dum certamina ſecum conferebant, poſitiones omnes a Graphicae ſtudioſis percipiendas, vehementiſſime, cumque ingenti ardore animi, exſerebant. Qualemcumque nunc animo concipe corporis motionem & quantamlibet; eam in ſaltu, curſu, jaculatione, in lucta praeſertim, edi neceſſe fuit. Erat enim lucta Ὀρθοπάλη, quae a *ſtantibus* & erectis, ut ἀνακλινοπάλη, quae a *proſtratis* humi, ac ſe ſe volutantibus, pugnabatur. Erant & Ὑπτιασμοὶ, cum ſe ſe *reſupinabant* athletae; χαμαὶ τρόποι & συμπλοκαὶ, cum pancratiaſtae *ſolo* proſtrati *nexus implicabant*, & alternis vicibus *explicabant*. Jamvero cervices, brachia, latera, crura, pedes quanta cum pernicitate & quo non, jactabantur? Tunc in proclivi erat cuique animadvertere, quae ſit apta digitorum contractio ac porrectio; qui rubor in vultu ex anhelitus frequentia accendatur; quae ilium reciprocatio ex coagitatione pulmonum, quaeve oris, narium, oculorum diductio e ſpiritus intercepti difficultate fiat. Sed & ad exprimendas animorum affectiones luculentiſſima exemplaria iidem athletae ſuppeditabant; qui quidem cum ob ſuam patriaeque gloriam, quae ardentiſſimas ad audendum faces ſubjicere ſolet, contenderent, ferum quid ac terribile ſpirantes ad certamina accedebant; mox ubi compoſiti complexique colluctabantur, cernere erat, uter propitium iratumve, laetantem dolentemve, audacem timidumve ſpiritum gereret: ac porro, quandoquidem conſuetudo erat pancratiaſtarum ſe mutuo mordere, depilare, fauces ſtringere, pedes ac digitos defringere; operae pretium erat intueri, quibus rugis frons in hujuſmodi clade contraheretur, quove oris rictu vultus oculi-

oculique efferarentur. Quamobrem recte quis judicaverit, Gymnaſium, ubi motiones corporis animique affectus repraeſentabantur ad vivum, nihil aliud iis qui Graphicae operam dabant, fuiſſe, quam accuratiſſimam linearis picturae Scholam (*Accademia del diſegno*).

At enim fortaſſe obduxeris, ex hujuſmodi exercitiis athleticis haud ita plurimum ad graphicen profici eam ob cauſam potuiſſe, quod, cum adeo perniciter ederentur, ut prope viſum fugerent; ſatis commodi otiique ad exprimendas motiones non relinquebatur accuratis obſervatoribus. Ita quidem res erat: at morae, ad delineandum neceſſariae, defectum frequentia ejuſdem ſpectaculi compenſabat. Nam cum dico exercitationes athleticas, non eas tantum intelligo, quae per intervalla temporum ſtatiſque diebus in conſpectu confluentium populorum inſtaurabantur, ſed eas etiam complector, quae ad privatam vel oblectationem vel eruditionem ab ingenuis pueris quotidie in Ephebeo applicitoque Gymnaſio edebantur. Cum itaque frequentiſſime hujuſmodi ſpectacula redintegrarentur, facile fuit ex repetitis motionum athleticarum obſervationibus excitari ac percelli imaginationem, ut quae quis ictu quidem oculi, ſed iteratis vicibus decerpſerat, manu deinde exſequi ac delineare valeret. Atque hoc primum adverſus motionum celeritatem, quae rectae delineationi noxia videri poterat, praeſidium fuit: Sed fuit alterum numeroſius tutiuſque. Per Gymnaſii enim multiplices exhedras, porticus, in Ephebeo praeterea, Xyſto, Stadioque paſſim diſpoſita ſimulacra iiſdem ferme motionibus, queis vicerant, effingebantur. Id quod tum ex pluribus Plinii Pauſaniaeque locis, tum vel maxime e Vitruvii capite V. lib. VII. oſtendi poteſt, qui dum docet pro varietate locorum varias conſtitui debere picturarum rationes, caſtigat Alabandeos, eoſque e Licinii ſententia ait, *propter non magnum vitium indecentiae inſipientes eſſe judicatos, quod in Gymnaſio eorum quae ſunt ſtatuae, omnes ſunt cauſas agentes, in foro autem diſcos tenentes aut currentes, ſeu pila ludentes*. Siquidem decentiae ratio flagitabat, ut athleticae ſtatuae in Gymnaſio, non in Foro, proponerentur tum ad ornatum loco reſpondentem, tum ad adoleſcentum, ibi ubi certabatur, aemulationem. Quod autem Vitruvius *diſco* tantum *curſu* & *pila* ludentes memorat, id in exempli gratiam dictum voluit; nam & locus erat eorum ſtatuis, qui ex aliis certaminum generibus, ut celete, biga, pancratio &c. evaſerant victores. Ad ſummam nullum erat e quinquertio exercitium, ſeu ut preſſius dicam, nullae erant motiones corporis in Gymnaſii conatibus explicari ſolitae, quae non expreſſae ad vivum in aliquo Gymnaſii

ejuſdem ſimalacro fuerint. Ex hiſce porro ſimulacris ſtudioſi Graphices omnia quae erant ex arte addiſcenda, facile conſequi commodeque poterant.

Gymnaſium autem cum dico, Thermas quoque, quibus ex vero competit Gymnaſii nomen, quaeque vel in ipſa palaeſtra, vel in ejus vicinia diſponebantur, complector. Ac profecto tanta fuit aliquando Thermarum ſtatuis ornandarum ambitio, ut nec abditis quidem locis, unde ceteroqui extrahi ſigna vetabatur, temperatum ſit. Id eruiſſe videor ex antiquo lapide, qui pridem *Friniani* in praedio prope Atellam jacuit, nunc vero in Regio Herculanenſi Muſeo proſtat; qui, prout editus fuit ab eruditiſſimo Scriptore in *Addendis ad Thecam Calamariam* p. XXXVI. ſic habet:

SIGNA TRANSLATA EX ABDITIS
LOCIS AD CELEBRITATEM (3)
THERMARVM SEVERIANARVM
AVDENTIVS (4) AEMILANVS V· C· CON
CAMP· CONSTITVIT DEDICARIQVE PRECEPIT
CVRANTE T· ANNONIO CHRYSANTIO V· P

Sic etiam in alia inſcriptione apud Fabrettum Inſcr. cap. IV. pag. 334. *Translata ex obſcuro loco*. Quid autem ſibi velit, τὸ *Ex abditis locis*,

(3) Fabrettus Inſcript. Cap. IV. p. 280. edidit *Celeritatem*; eaque lectio Mazochio placuit, reputanti, *Celeritatem* parandarum thermarum in cauſa fuiſſe, ut Conſularis Campaniae *ex abditis locis*, contra legum id vetantium diſpoſitionem, ſigna transferri permitteret. Sed & major *Celebritas* loci publici, idipſum extorquere ab Aemiliano potuit.

(4) Conſularis noſter jacturam prioris litterae feciſſe videtur; ut facile illum *Gaudentii* nomen geſſiſſe ſuſpicer. Hic idem a Cl. Scriptore Th. Calam. SAEMILANVS appellatur, cognomine ſcilicet latinis auribus abſono, ne dicam, inficeto. Equidem quovis pignore certarim, repetitum a praeeunte voce ſibilum, ſequenti AEMILIANO additum ab eo fuiſſe: praeterea, etſi dederim in marmore ſcalptum eſſe AEMILANVS, contendo tamen AEMILIANVS lectum oportuiſſe, ut ejus nomen e gente *Aemilia* pullulaſſe pateat. AEMILANVS autem pro *Aemiliano* ſcalpitur, nimirum compendii cauſa, nec praeter morem veterum, qui, ſicubi characteres in proximo congruerent figurâ, unum pro duplici effingebant; ut in marmore Hiſtonienſi, quod pag. 49. produxi, AESERNNORVM pro AESERNINORVM; in lapide Herculanenſi affabre ſcalpto, EPIDIANO pro ELPIDIANO: in quodam nummo penes me, IDNO pro IRINOrum: ubi ſub littera N elementum I; & ſub E, elementum L deliteſcunt. Millena hujuſmodi exempla nummi veteres ſuppeditabunt.

cis, aut *Ex obſcuro loco*, expedire non habuit doctiſſimus Urbinas. At Mazochius in Camp. Amphith. p. 170. acu rem tetigiſſe videtur: *Legiſſe* (inquit) *memini in Codice Theodoſiano . . . titulum unum* (*an plures ?*) *de ſignis aliiſque id genus aedificiorum ornamentis non transferendis. Ne contra eas leges peccatum videretur, additum expreſſe fuit*, Ex abditis locis, *aut* Ex obſcuro loco *&c.* Satis veriſimiliter appoſiteque. Et tamen Cl. Scriptor Th. Calam. quia leges has inveſtigando fruſtra operam luſit, hinc anſam cepit criminandi Mazochium, & parum quidem liberaliter (5), quaſi qui leges, quas nemo umquam ſcripſerit, legeritve, teſtes vocaſſet; ac porro ille, quo fucum faceret incautis, daretque aliquid auribus noſtrorum hominum, contendit, *Abdita loca* notare urbes Herculaneum & Pompejos (*6*) ſub Veſuvii ruina ſepultas, unde Aemilianum ſigna traduxiſſe ad Thermas, audacter commentus eſt. Sed praefiſcini: Exſtant eae leges in Codice Theodoſiano, quas qui volet, inferne (7) leget. Jamvero per haſce leges

 ſcire

(5) Sic enim quaſi recollecto ſpiritu canere contra Mazochium incipit l. c. pag. XXXVIII. *Primum quidem longe demiratus ſum, virum prolixae eruditionis ad Cod. Theodoſ. provocare, tituloſque recitare, quorum ne veſtigium quidem in hoc legum ingenti σώματι reperire eſt: imo facile meminiſſe poterat, etiamſi exſtarent, pro hujus Saemilani elogii luce minime ad eos confugiendum, cum is codex, ut notum eſt, ab Conſtantino M. ad aetatem Theodoſii conſtitutiones complectatur; ſaxum autem Alexandri Severi tempeſtatem certam praeſert; quare dum in praeclariſſimo Mazochii opere iſthaec relego, vix oculis fidelibus praeſto fidem.* At vero ſi titulos incaſſum ab eo inveſtigatos intento digito monſtrarim, ecquod is mihi μήνυτρον (*indicii praemium*) largietur? Sed volo agere cum eo liberaliter. Adeat ſine plurimo ſuae operae diſpendio adnotationem 7., curioſitati ſuae cumulate reſpondentem, hoc unum impenſe rogatus, ut ne in lubrico, non recipiente veſtigium, adeo confidenter inambulet. Jamvero ad Codicem Theod. non eo Mazochius amandat lectorem, quaſi Principes Chriſtianos omnium primos legem de non transferendis ſignis ſcripſiſſe ſenſerit, ſed utique quia non aliunde paratior uberiorque hujuſmodi interdicti, quam ex illo fonte, hauriri notitia dabatur.

(*6*) *Is unus* (inquit l. c. p. XXXVII.) *moleſtiſſimus, qui contendendi mentis morbo calet, nec umquam eo purgatur, inficiabitur* abdita loca *non eſſe Herculaneum, atque urbes finitimas . . . terraemotu atque Veſuvino incendio afflictiſſimas.* Nihil hîc equidem contra hiſcere audeo, veritus ne ipſe etiam eodem mentis morbo calere judicatus, Anticyram navigare jubear.

(7) Lib. XV. tit. I. C. Theod. de Oper. publ. l. 19. Ne qui *novum opus volet in urbe moliri . . . id effoſſis nobilium operum ſubſtructionibus, redivivis de publico ſaxis, marmorum fruſtis ſpoliatarum aedium reformatione convulſis*, faciat. Et l. 37. Cod. eod. *Nemo Judicum in id temeritatis* erum-

ſcire quidem licet, interdictam olim fuiſſe ſignorum translationem; at vero ecquid ſibi preſſius velint *Abdita loca*, unde Conſularis Campaniae ſigna traduxerit; neque leges adnot. 7. laudatae docent, neque quiſquam alius appoſite extricavit. Olim quidem *Abdita loca* interpretabar *Faviſſas*, de quibus Varro apud Gellium II. 10. *Faviſſas eſſe cellas quaſdam & ciſternas, quae in area ſub terra eſſent, ubi reponi ſolerent SIGNA VETERA, quae ex eo templo collapſa eſſent, & alia quaedam e donariis conſecratis*. Feſtus in v. *Faviſſae: Sunt qui putant, Faviſſas eſſe in Capitolio cellis ciſterniſque ſimiles, ubi reponi erant ſolita ea, quae in templo vetuſtate erant facta inutilia*. Sed enim *Faviſſae*, ut nominis fert (8) etymologia, foveas h. e. abdita obſcuraque loca ſic univerſe ſignificant, ut neceſſe non ſit, ut eas nonniſi prope templa metemur. Nam mihi fit veriſimile, aedificia etiam publica ſuas habuiſſe ſive *faviſſas*, ſive *abdita loca* appellare mavis, ſive, ut uno dicam verbo, *theſauros*, ubi ſigna vetera nulliuſque uſus, recondebantur. Ea porro ſigna loco ſuo movere, religio dedicationis vetabat. Sic olim augurabar: at poſtquam incidi in legem 14. Cod. Theodoſ. *de Oper. Publ.* rem intellexi totam. Lex, de qua loquor, data anno 365. Mamertino Praef. Praet. ſic habet: *Praeſumptionem Judicum ulterius prohibemus, qui in everſionem ABDITORVM OPPIDORVM, Petropolis* (corr. *Metropoleis*) *vel ſplendidiſſimas civitates ornare ſe fingunt, TRANSFERENDORVM SIGNORVM vel marmorum vel columnarum materias requirentes &c. Kal. Jan. Mediol. Valentiniano ac Valente Coſſ.* Oppida *abdita* hîc non ea ſunt, quae jam collapſa ac ſepulta ruinis deliteſcebant, ſed ea omnino,

erumpat, ut inconſulta pietate noſtra novi aliquid operis exiſtimet inchoandum, vel ex diverſis operibus aeramen aut marmora, vel quamlibet ſpeciem, quae fuiſſe in uſu vel ornatu probabitur civitatis, eripere, vel alio transferre, audeat. Cave credas, Chriſtianos Principes novam ex integro legem condidiſſe, ſed eos jus jampridem conſtitutum novis ſanctionibus muniiſſe, docet Reineſius Claſ. VII. 11. e quo praeterea didici, aliam ea ſuper re ſententiam ſediſſe Regi Theodorico, cujus illud eſt apud Caſſiodorum II. 7. *Ornent aliquid ſaxa jacentia poſt ruinas*.

(8) Voſſius in Etymol. *Faviſſae* vocem ex antiquo *Favio* pro *Fovio* vel *Fodio* ſine ulla haeſitatione repetit. Ibidem ex veteri onomaſtico *Faviſſae* redduntur Θησαυροί: Quo ſenſu *Theſaurus* foveam humi depreſſam notat. Conſonat Plutarchus, qui, ut me Scaliger ad Feſtum l. c. monuit, Philopoemenen (in ejus vita p. 367.) fuiſſe deportatum narrat εἰς τὸν καλούμενον θησαυρὸν, οἴκημα κατάγειον, οὔτε πνεῦμα λαμβάνων, οὔτε φῶς ἔξωθεν, *in Cameram ſubterraneam, quem Theſaurum vocant, aëris luciſque expertem*; h. e. *locum abditum obſcurumque*.

no, quae quidem ſtabant adhuc, at vero municipum infrequentia, ſitu ac ſqualore *vilia nulliuſque momenti* habeantur. Vide Cangium in v. *Abditus*. Quae vocis acceptio inde fit manifeſtior, quod lex non everſis jam oppidorum parietinis proſpicere intendit, ſed contra impendenti *everſioni oppidorum* occurrens, ne ea loca diriperentur, praecavit. Oppida autem hujuſmodi ideo dicuntur *abdita*, vel quia ſita extra vias Conſulares, latêre quodammodo atque *abdi* viderentur; vel quia vilia atque *obſcura* erant, nulliuſque nominis. Quo poſtremo ſenſu *Abditum* fuerit aevo (9) medio idem atque *Obſcurum* i.e. ignobile: quemadmodum ſimili metaphorâ Latini dixerunt *latêre* eum, qui procul a frequentia populi et *obſcure vivebat*. Ac ſane quod in noſtro marmore *Ex abditis locis* dicitur, id in Fabrettiano lapide *Ex obſcuro loco* enuntiatur: utraque tamen formula eodem collineat, & utrobique locus ignobilis nulliuſque celebritatis intelligi datur. Ex huiuſmodi tamen locis, in quae rapaces homines tutius impudentiuſque debacchari ſolebant, eripi ſigna columnaſque lex vetabat; & ſapienter quidem conſulteque, ne ſcilicet ea loca jam per ſe ad ſolitudinem euntia, porro crudeliſſimis ſignorum marmorumque direptionibus foedata, omnino deſererentur. Quamobrem juſtam cauſam incidiſſe oportuit, ut inde ea cimelia, non ſine tamen legitimae poteſtatis venia, extraherentur. Certe *Celebritatis* cauſa ſatis idonea Aemiliano Conſulari Campaniae viſa fuit, ut ipſe *ſigna* ad ornandas Thermas Severianas *e locis abditis* tranferri ſineret. Adeo proprius Thermis ac prope neceſſarius videbatur ſtatuarum apparatus.

Non unum igitur, ut unde diſceſſi, redeam, ad conſequendam perfectam Graphicen firmatum erat in Gymnaſio praeſidium: ſcilicet nudorum corporum tum ſe moventium, tum in ære aut marmore ſtantium, accuratae obſervationes. Ac ſane non temere conjicio eos qui huic arti dabant operam, ſecutos loci commoditatem, in Gymnaſium ad-

(9) Ex hac *Abditi* notione, quae lapidi noſtro communis eſt cum lege Valentiniani ac Valentis, conjicere licet, Aemilianum (cujus incerta eſt aetas) circa Valentiniani tempora praefuiſſe Campaniae. Ille autem a Cl. Scriptore Thec. Calam. ex indicio thermarum cognomine *Severianarum*, fruſtra ad Alexandri *Severi* aetatem rejicitur. Nec enim Conſularis Campaniae thermas aedificaſſe, ſed in iis jampridem, ut videtur, aedificatis, tantummodo *ſigna ex abditis locis translata* conſtituiſſe, ac dedicaſſe in inſcriptione ſignificatur. Quae poſtrema ſententia totidem conceptis verbis, tametſi vetantibus, expreſſa in lege Valentiniani legitur, ſic ut videatur, Aemilianus hujus ſcilicet interdicti gratiam, poteſtate ab Imperatore, ut par erat, impetratâ, feciſſe.

adventaſſe. Et adoleſcentes quidem ingenuos Ephebeum, quod erat unum e Gymnaſii membris, informandos artibus liberalibus, frequentaſſe, explorata res eſt. Hujuſmodi erant artes gymnicae quinquertio comprehenſae, erat etiam & Graphice; hoc amplius, quod ab ea addiſcenda ſervi prohiberentur. Plinius de Pamphilo Apellis praeceptore, *Hujus*, inquit, *auctoritate effectum eſt Sicyone primum deinde & in tota Graecia, ut pueri ingenui Graphicen, hoc eſt* (10) *picturam, docerentur, reciperetur que ars ea in primum gradum liberalium .... perpetuo interdicto ne ſervitia docerentur*. Itaque cum Ephebeum juventuti in artibus ingenuis inſtituendae paratum eſſet, eoque revera adoleſcentes quinquertii addiſcendi cauſa ventitarint; quidni ibidem etiam artis Graphicae praecepta traderentur? Praeſertim cum *Nudi* ſcientia, cujus prima in Graphice ratio eſt, nuſquam melius, quam in ipſo Gymnaſio, ut ante dixi, comparari poterat. Sane ubi Gymnaſii copia nulla erat, neceſſe fuit ut pictores, ſi modo ſe diligentes praeſtare vellent, in nudum conjicerent oculos, eoque recens viſo ſuam veluti phantaſiam excitarent; quemadmodum feciſſe Zeuſim tradidit Plinius XXXV. prope finem capitis IX. qui *tantus diligentia fuit, ut Agragantinis facturus tabulam, quam in templo Junonis Laciniae publice dicarent, inſpexerit virgines eorum nudas, & quinque elegerit, ut quod in quaque laudatiſſimum eſſet, pictura redderet*. At ubi Gymnaſia patebant, quo confugerent alio, quam quo liberum cuique erat accedere? Idem ille Zeuxis, dum Crotone eſſet, ubi gymnica ſtudia quam maxime florebant, facturus Helenae ſimulacrum, quaeſivit a Crotoniatis, *Quaſnam* (uti refert Cicero de Invent. II. 2.) *virgines formoſas haberent. Illi autem ſtatim hominem duxerunt IN PALAESTRAM, atque ei pueros oſtenderunt multos, magna praeditos dignitate... Cum puerorum igitur formas & corpora magno hic opere miraretur: Horum, in-*

(10) Iſtud *pictura*, vel gloſſema ſcioli eſt, graecum vocabulum latine reddere ſtudentis, e margine poſtea, uti fit, in textum temere adſcitum; vel adeo late patet, ut Sculpturam quoque complectatur. Ac profecto *Pingere* eſt mediae ſignificationis, ſic ut *ſculpere* etiam notet. Trimalchio Petronianus cap. 71. rogat Habinnam marmorarium, ut *ſecundum pedes ſtatuae ſuae catellam pingat*. Interpretes Petronii ſollicitant hanc vocem, & in *fingant* recudunt: ſed non neceſſe. Qua acceptione *pictura* idem hoc loco fuerit, ac *pictura linearis* (Ital. *diſegno*) utrique arti ex aequo neceſſaria. Alioqui ſi ſola pictura, excluſa ſculptura, inter artes ingenuas relata fuiſſet; repente jam quaeſtio digna Oedipo conjectore ſuboriretur, quamobrem veteres plus dignitatis penicillo, quam ſcalpro aut viriculo detulerint.

inquiunt, ſorores ſunt apud nos virgines: quare, qua ſint illae dignitate, potes ex his ſuſpicari. Scilicet Crotoniatae non alio Pictorem de optimo pingendi genere ſollicitum, ducere exiſtimarunt, quam in palaeſtram, ut ibi e pluribus vivis exemplis, emendatiora quae eſſent, imitaretur. Praeterea non alibi quam in Gymnaſio rectum de ſtatuis ipſis judicium ferri poterat: ibi enim commodum erat, motiones ſimulacrorum cum motionibus athletarum actu certantium comparare, & ſi quid forte ab artifice peccatum foret, cominus in re praeſenti corrigere & emendare.

Quae cum ita ſint, haud diu mihi laborandum eſt, uti ſuadeam, Gymnaſiorum deſuetudinem perfectae Graphices rationi nocuiſſe. Artes enim ſi iis auxiliis, quibus crevere, deſtituantur, neceſſe eſt, ut paullatim decreſcentes humi tandem dejiciantur. Jam ſatis ſuperque oſtenſum eſt, quantum Gymnaſia picturae lineari profuerint; id quod tum ex iis quae hactenus diſſerui, tum ex eo etiam confirmari poterit, quod, ubi Gymnaſia vel non aedificata, vel in honore non erant; ibi quoque Graphice non valde aſſurrexerit, nec ad perfectionem ac maturitatem ſuam pervenerit: Ex. gr. Romani, & Aegyptii, tametſi ad excogitandum agendumque non impigri forent, tamen picturam haud accuratiſſime excoluere, eo, opinor, potiſſimum, quod, cum palaeſtrae non eſſent ſuae conſuetudinis, iis carebant exemplaribus, unde perfectae delineationis ratio innotuiſſet. Et quamvis nonnulli Rom. Imperatores gymnica ſtudia in urbem inferre contenderint; numquam tamen Gymnaſtice plenâ, ut ita dicam, civitate Rom. donata eſt. Agones enim athletici indigni ſemper gravitate Quiritum ſunt habiti, & indecorum civi Romano viſum fuit, prodire in palaeſtram; uſque adeo ut in certaminibus, quae Romae aliquando edi placuit, peregrini homines committerentur. Porro ad Romanum exemplar ſe ſe compoſuere provinciae, quae jam non amplius ſuo vetuſto modulo, ſed utique Romano, metiri omnia aſſuefactae, ad Romanam ut civitatem, ſic vivendi conſuetudinem contendere affectabant: quo factum fuit ut Gymnaſia paſſim in uſu eſſe deſierint. Abolitis itaque vel interdictis per orbem Romanum gymnaſiis, proximum fuit, ut Graphice quoque iiſdem ac Gymnaſia, gradibus deturbata ſeneſceret. Quamobrem ut quae ſparſim de Gymnaſiorum Graphiceſque interitu diſſerui, in pauca contraham; Romanorum mores legeſque cum Orbe univerſo communicati auctoritatem detraxerunt gymnaſiis, quibus deinde dedecus ac contumeliam addidit Chriſtiana religio. Cum itaque Gymnaſia non amplius paterent, intercepta fuerunt Graphices

phices ſtudioſis ea commoda, quae uſui ſibi maximo ad artem conſequendam fuerunt. Unde enim alio vivae illae nudorum corporum motiones aeque commode ac e gymnaſio addiſci poterant? aut ubi facilius, quam in palaeſtris tot nuda ſimulacra illas ipſas motiones repraeſentantia, contemplari licuit?

At, inquies, ſublatis e medio Gymnaſiis, quod erat primum ad comparandam Graphicen praeſidium, reſtabat alterum incolume, ingens videlicet nudarum ſtatuarum numerus, unde facultas cuique dabatur percipiendi artis rudimenta: quemadmodum Michaeli Angelo Bonarrotio ac Raphaëli Sanctio feliciſſimo ſucceſſu contigit, e veterum ſtatuarum truncis extinctam excitare artem, atque in priſtinam dignitatem reſtituere. Quidni igitur ſtudioſi Graphices e tot ſuperſtitibus ſimulacris proficientes paria opera aemularentur? Verum nego aeque feliciter e ſtatuis quam e vivis corporibus, artem hanc addiſci potuiſſe. Nam etſi e nudis ſtatuis pene tantumdem erui daretur; tamen oculi vehementius objecto vivo ſeque in omnes partes inflectente irritantur, & mens eâ vivida impreſſione perculſa continuo vivacem facilemque motionem comprehendit, mox pari felicitate comprehenſam delineat: Contra ubi objectum ex ære vel marmore delineandum proponitur; aegre praecaveri poteſt, quin illud rigidum & inflexibile materiae cum exemplari inde expreſſo communicetur. Praeterea quae delineatio antea ex objecto tot multiplicium tamque variarum exercitationum gymnicarum facile parabilis erat, ſublatis jam palaeſtris ardua ac ſane quam difficilis evaſit: nec enim e ſimulacris quae tum ob oculos erant, omnes omnino motiones, quae in cogitationem cadere poſſunt, commode comparari licebat; ideo peracri ingenio ac non vulgari induſtria opus erat, ut illae ſimulacrorum motiones ſibi normae eſſent ad eas etiam, quas uſus olim flagitaſſet, exprimendas. Itaque quibus forte obtigit ingenium multiplex, verſatile, labore vigiliiſque indomabile, iis muta veterum ſimulacra, aeque ac viva exempla, ſatis ſuperque ad eruditionem eſſe poterant: Contra qui ſub labore deſpondent animum, ad mutas ſtatuas, tamquam ad Meduſae obtutum, ipſi quoque lapideſcunt. Id quod ex perbrevi perfectae Graphicae poſt παλιγγενεσίαν vitâ liquido demonſtrari poteſt; ea ſiquidem ars ingenti cura ſtudioque Bonarrotii reſtaurata, cum non eſſet nacta aeque grandes animas laboriſque patientes, haud diu poſtea, veluti peſtilenti ſidere afflata, contabuit.

Quid quod & quae praeſidia e ſuperſtitibus ſimulacris arceſſuntur, ea nihili eſſe patebit reputanti, ſtatuas ipſas in privatorum aedes villaſque

laſque deportatas e conſpectu populi evanuiſſe? Profecto neminem latet Verris in conquirendis e tota Sicilia picturis ſtatuiſque inſania; cujus furta ac latrocinia quam late patuerint, jucundum erit e Ciceronis Actione V. 1. audire: *Nego in Sicilia tota . . . ullum argenteum vas , ullum Corinthium aut Deliacum fuiſſe : nego ullam gemmam , aut margaritam fuiſſe , aut quidquam ex ebore factum , ſignum ullum aeneum , marmoreum , eburneum : nego ullam picturam . . . fuiſſe quin . . . abſtulerit .* Non unus autem id genus cimeliorum rapax fuit poſt homines natos Verres; ſed hujus furfuris homines exſtitere in quavis aetate ſexcenti, Romae praeſertim, qui praeſtantiſſima quaeque artificum monumenta, qua vi qua pretio, e Graeciae delubris, gymnaſiis, balneis, aliiſque publicis privatiſque operibus conquiſita, in ſuas quiſque aedes villaſque inferebant. Cui pervagato luxui modum imponere meditabatur M. Agrippa, *cujus* (teſte Plinio lib. XXXV. 4.) *extitit oratio magnifica & maximo civium digna, De tabulis omnibus ſigniſque publicandis ;* h. e. in publicum exponendis. Atque utinam impoſuiſſet modum; eâdem enim operâ etiam bono Graphices necopinans conſultum iviſſet. Subdit quidem Plinius: *Quod fieri ſatius fuiſſet , quam in villarum exſilia pelli .* Norat enimvero bonarum artium aeſtimator egregius, quanti ad aliorum inſtitutionem momenti foret, optima exemplaria palam proponi, & quantae contra jacturae, ea villarum aediumque privatarum carceribus mancipari: quo quidem cum aditus non publice pateret, carendum omnino erat iis exemplaribus, quae Graphices ſtudioſi contrectando, inſpiciendo, contemplandoque evaderent doctiores. Nec porro abolitis jam Gymnaſiis, unde *Nudi* ſcientia ad Graphicen addiſcendam apprime neceſſaria hauriebatur, nova facile procudi exemplaria poterant. Quamobrem neceſſe fuit, ut adoleſcentes optimis exemplaribus, & palaeſtra artis Graphices informatrice deſtituti, de optimo pingendi ſculpendique genere deſperarent: indeque fluxit, ut homines, de novo aliquo opere moliendo ſolliciti, cum aliter perfecta ſimulacra emendataque comparari non poſſent, ſpoliare vetera aedificia ſtatuis columniſque, queis ornarent nova, ſolerent. Vide ſupra pag. 132.

Cave tamen credas Graphicen confeſtim unoque momento peſſum iviſſe. Sunt enim haec hujuſmodi quae ſenſim, ac per gradus quoſdam labem perniciemque contrahunt. Enimvero Pictura prae auri argentique ac marmorum fulgore ſordeſcere aliquantulum coepit, eâque gratiâ *marmore atque auro pulſam* fuiſſe queritur Plinius: Petronii vero aetate (nam Satyricum Plinio juniorem infra oſtendam) adeo evanuerat,

nuerat, ut *ne minimum quidem ſui veſtigium reliquiſſet*. At ſi efficaciorem labis cauſam ſcrutari velis, profecto comperies Graphices fortunam cum Gymnaſiis fuiſſe conjunctam. Dudum itaque pictura linearis fluctuavit, fluctuante quoque Gymnaſiorum fato; donec tandem clauſis ubique terrarum palaeſtris (id quod exeunte Saeculo IV. praeter propter accidiſſe in confeſſo eſt); ipſa quoque ſenio ac variis vulneribus confoſſa, ſub iiſdem ruinis ſepulta jacuit. Et quoniam in ea tempora Chriſtiani imperii initia, ac mox barbarorum incurſiones inciderunt; hinc orta eſt illorum opinio, opinantium ſub Chriſtiana religione, infuſaque deinde barbarie, Graphicen omnino intercidiſſe. Satius mea quidem opinione, & ad veritatem magis appoſite dixiſſent, Graphicen poſtremis hiſce temporibus jamdudum male affectam, tandem interiiſſe; ſed ei jampridem a Romanorum vivendi conſuetudine immedicabile vulnus impoſitum fuiſſe. Ad imperantium enim Romanorum leges moreſque tum alii tum maxime Italiotae, ſe ſe componere feſtinantes, paullatim patria inſtituta exuebant. Idcirco Strabo, homo Graecus, in eam tempeſtatem Craecanicae inſtitutioni adverſam, conjiciens oculos, queritur Italiotidas urbes defeciſſe ad barbariem; barbariei autem nomine ἀγυμνασίαν complexum fuiſſe procul dubio eſt: qua voce Graeci ruſticitatem ac omnium bonarum artium ignorationem univerſe appellabant. Ab ea tamen communi contagione Geographus Neapolim cum Rhegio ac Tarento exemit, nec immerito; quandoquidem ſtudia gymnica, hoc eſt, artes omnes ingenuae quarum *prima* erat teſte Plinio *Graphice*, in Gymnaſiis tradi ſolitae, diu poſt ejus aetatem iis in locis perennarunt, Neapoli praeſertim, ubi Graeciſmus altiores radices egerat, & palaeſtrae inſtitutio fuit, ut in ſequentibus dicam, diuturnior.

IN

IN CAPUT V. DIATRIBA

De Palaeſtra Neapolitana.

PARS ALTERA ΕΙΔΙΚΗ.

DE Neapolitano Gymnaſio ὑλικῷ (*materiali*) ſatis. Porro ecquae fuerit εἰδικὴ (*formalis*) palaeſtra, ſeu ipſa gymnica certamina ſub Auguſtis, & quamdiu ea durarint, age perſequamur. Sub Auguſtis, inquam; nam quid retro actis ſaeculis obtinuerit, tum cum ſcilicet Graeciſmus ibi quammaxime vigebat, mitto quaerere. Auguſtea tempora percurram, cum ob luculentiora ſcriptorum teſtimonia, tum ob frequentiorem, quam antea, certaminum celebritatem. Jam enim ab Auguſti imperantis exordio nova veluti facies inducta eſt rebus publ. Graecanicis, ſic ut nova etiam numerandorum annorum (1. ſeries inchoata ſit. Tunc habuit & Neapolis ſuam peculiarem epocham; ſed ut erat Graecae originis, nec Graeciſmum adhuc plane exuerat, annos ſuos numero pentaëteridum certaminum Gymnicorum, quae in Auguſti gratiam inſtituta Σέβαςα ſunt dicta, ſignabat. Hac igitur altera parte ludos Neapolitanorum gymnicos aevo Auguſteo obitos primum expediam; tum porro unde pentaëterides ludorum inchoandae, & quouſque protendendae, conjectando inquiram. Poſtremo, quandoquidem Graeciſmus a Neapolitanis omnino depoſitus, opinor, in cauſa fuerit, quamobrem gymnica ſtudia plane abolerentur; non erit injucundum, in ea etiam tempora, quibus Neapolis Municipium, tum Colonia Auguſta evaſerit, oculos mentemque conjicere. In quae poſtrema reip. noſtrae tempora dum inquiram, ſimul etiam controverſam Petronii Arbitri aetatem definire proderit. Nimirum Satyricus (quem nemo hactenus eorum, qui de Neap. Colonia diſſeruere, conſuluit) hujus coloniae temporibus interfuit. Et quoniam ea tempeſtate jam conclamatum de Palaeſtra Neap. fuerat; hinc Philoſtratus ille, qui agonis Neap. teſtis oculatus fuit, ante Petronii aetatem floruiſſe oſtendetur.

§. I.

(1) Suetonius Auguſto cap. 59. inter ceteras honorum ſignificationes in Auguſti gratiam privatim publiceque inſtitutas, hoc etiam retulit: *Quaedam Italiae civitates diem quo primum ad ſe veniſſet, initium anni fecerunt. Provinciae pleraeque ſuper templa & aras, ludos quoque Quinquennales poene oppidatim conſtituerunt*. Legi omnino digna ſunt, quae ibi erudite commentatur Caſaubonus. Ceterum quae hîc Suetonius partite deſignat, utraque ſimul pertinent ad Neapolitanos, qui & novum anni initium fecerunt, ut §. ſeq. dicam, & Quinquennales ludos, Σέβαςα ab Auguſto dicta, inſtituerunt.

§. I.

Gymnici ludi Neapolitanorum ſub Auguſtis.

Spectacula Gymnica Neapoli pluribus quam in Graecia, diebus abſoluta; Claudius ac Titus Imp. in Gymnaſio Neap. Agonothetae. *Titus rurſus atque Hadrianus Neapoli* Demarchi. *De Phratria* Antinoiton. *Sub Commodo Imp. deſiiſſe palaeſtram, tum cum Neapolis ad Coloniae jus evaſit. Quo certamen* Sacrum *ab* Iſelaſtico *differat.* Graecia antiqua *in Reſcripto Diocletiani eſt Graecia tranſmarina, non Italica.*

HOc idem argumentum dilucide a Laſena noſtro accurateque pertractatum fuit in diſſertatione de Neapol. Gymnaſio; quo amandaſſe lectorem, ſatis ſuperque fuiſſet, ſi quidem nihil ejus vigiliis additum oportuiſſet. At enim ſunt nonnulla ab eo praetermiſſa, quae collegiſſe non poenitebit; ac praeterea poſt ejus fata emerſerunt in lucem aliquot antiquae inſcriptiones, quae etiam in conſilium adhiberi jure ſuo flagitant. Quamobrem ut lector continuatam ludorum editionem ob oculos habeat; e re viſum eſt, veterum ſcriptorum teſtimonia de Gymnaſio Neap. edita, ſub Auguſtis quaeque ſuis, partite conſignare.

Auguſto Imp. Suetonius Aug. 98. *Mox* (e Capreis) *Neapolim trajecit, quamquam & tum infirmis inteſtinis morbo variante; tamen & quinquennale certamen gymnicum honori ſuo inſtitutum proſpectavit.* Quo anno Auguſtus hiſce ludis quinquennalibus interfuerit, & quota ea fuerit pentaëteris, §. ſequenti excutietur.

Tiberio Imp. Strabo V. p. 246. Νυνὶ δὲ πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς (Νεοπολίταις) μουσικός τε καὶ γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας (2), ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα. *Nunc ſa-*

(2) Non facile dictu eſt, uno an pluribus diebus ſingula Graeciae certamina abſolverentur. De Olympiis explorara res eſt: Pindarus ea vocans Olymp. V. v. 13. ἀέθλων πενταμέρους ἁμίλλας, aperte docet *quinque diebus* explicata fuiſſe. De Neapolitanis, adhuc quaero. Laſenae Cap. III. p. 44. ex vetere inſcriptione colligentis, Gymnicos ludos in honorem Neronis Neapoli biduo duraſſe, conjectura mihi non probatur. Nec enim ii ludi fuere Gymnici, quos magis gladiatorios arbitror; ac praeterea Coloniae mentio ſuſpicionem Neapolis (quae nondum Nerone Imp. ad Coloniae jus et cognomentum pervenerat) omnino excludit. Major lux e Strabone affulget, qui Neapolitana certamina cum Graecanicis componens, illa-

ſacrum quinquennale certamen muſicum & gymnicum per plures dies agitur, ludis Graecorum nobiliſſimis aemulum. Τὸ Νυνὶ (*Nunc*) ad ſcribentis Geographi aetatem pertinet. Strabo autem aevo Tiberii floruit. Sedulo notandum eſt adjunctum illud, quo Agon Neapolitanus inſtruitur, ἱερός ſcilicet. Quid ſibi velit, certamen cognomine *Sacrum*, dixi ſupra pag. 65. ubi ex auctoritate Dionis Caſſii didicimus, idem eſſe renuntiari *Sacrum*, ac ad Olympici certaminis praerogativam ac dignitatem extolli. Eaque eſt cauſſa, quamobrem Neapolitana Σέβαστα (*Auguſtalia*), in lapide Neapol. ἰσολύμπια, *cum Olympicis aequata*, praedicantur. Vide mox adnot. 10.

Claudio Imp. Dion Caſſius lib. LX. 6. de Claudio: *Deinde & Neapoli plane privatum ſe geſſit ... nam & in Muſico ſpectaculo pallium & ſoleas induit* (ἐν δὲ τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι πορφυρίδα καὶ στέφανον χρυσοῦν ἐλάμβανε) *in Gymnico vero agone veſtem purpuream & auream coronam accepit*. Idem plane docet Suetonius Claudio cap. XI. *Ad fratris* (Germanici) *memoriam per omnem occaſionem celebratam, Comoediam quoque Graecam Neapolitano certamine docuit, ac de ſententia judicum coronavit* (3). Ex loco autem Dionis ac Suetonii ſimul compoſito docemur, Claudium & e certamine muſico Neapol. coronam retuliſſe, & gymnicis ludis tamquam (4) *Agonothetam* praefuiſſe. *Ne-*

illaque ἐπὶ πλείους ἡμέρας, *ad plures dies* continuata praedicans, haud obſcure innuit, plus temporis in Neapolitanos quam in Graecanicos ludos, fuiſſe erogatum. Id quod confirmari etiam poteſt auctoritate Dionis Chryſoſtomi Orat. XXVIII. apud quem Melancomas, athleta in Neapolitano gymnaſio nobiliſſimus, jam morti proximus, Athenodorum pancratiaſten familiarem ſuum interrogat, πόσαι τινὲς ἔιεν ἡμέραι λοιπαὶ τοῦ ἀγῶνος, *quot eſſent dies reliquae certaminis*. Qui ſic interrogat, is profecto dat intelligere, tot dies Neapolitano agoni impendi moris fuiſſe, ut ſibi e memoria, ob valetudinem vacillante, exciderit initium & exitus ludorum.

(3) *Corona*, de qua hic Suetonius, alia ab ea eſt quam memorat Dio Caſſius. *Illa* labore ſuo, hoc eſt, ſpecimine ingenii ſui per comoediam edito, *haec* ultro a Neapolitanis, ut pro Agonotheta praeſideret certamini, delata: de quo adnot. ſequ. In Suetonii loco τὸ *Coronavit* pro *Coronatus eſt*. Vide quae ibi Commentatores. Ac ſane in quadam vetere teſſera gladiatoria *ſpectavit* pro *ſpectatus eſt* uſurpari, non futilis conjectura eſt.

(4) Tametſi Dio non diſerte dicat, Claudium in Neapol. gymnaſio proceſſiſſe *Agonothetam*; tamen id e *veſte purpurea* & *corona*, qui erat habitus Agonothetarum, datur intelligi. Vide Fabri Agon. I. 19. Sic quoque Domitianus, tamquam *Agonotheta*, certamini Capitolino praefuit. Sueton. Domitiano cap. IV. *Certamini praeſedit crepidatus, purpurea-que*

Nerone Imp. Multiplicia ſunt, ac ſatis luculenta veterum Scriptorum de gymnaſio Neap. edita ſub hoc Principe teſtimonia: ſed uno alterove praeter cetera contentus ero. Suet. Ner. 40. *Neapoli de motu Galliarum cognovit die ipſo* (h. e. anniverſario) *quo matrem occiderat . . . Statimque in gymnaſium progreſſus, certantes athletas effuſiſſimo ſtudio ſpectavit.* Idem diſcere licet e Dione Caſſio lib. LXIII. 26. pag. 1044. Ὁ δὲ Νέρων μαθὼν τὰ κατὰ τὸν Βίνδικα, ἐν Νεαπόλει τὸν γυμνικὸν ἀγῶνα ἀπ' ἀρίστου θεωρῶν, &c. *Nero de Vindicis motu certior factus, cum Neapoli gymnicum ſpectaculum a prandio ſpectaret* &c.

Tito Imp. Jam pag. 110. oſtendi Titum viſendi ſtudio Veſuvianas calamitates, ſimul etiam ut afflictas civitates praeſentia ſua erigeret, veniſſe Neapolim. Jamvero ex epigraphe bilingui Neapolitana eruimus, Imperatorem praeter Demarchi magiſtratum Neapoli a ſe geſtum, proceſſiſſe quoque *Agonothetam* & *Gymnaſiarcham*. Quorum duûm munerum ea vis eſt, ut Agonotheta in publica ludorum editione, Gymnaſiarcha in palaeſtrae praefectura ſuam exſeruiſſe auctoritatem intelligatur. Sed illud ſilentio praetereundum non eſt, Auguſtum, quamvis haud diu Neapoli fuerit, *ter* Agonothetam praefuiſſe ludis. Ridiculum eſt autem ſuſpicari, per tres dies continuata fuiſſe certamina; nam qui die poſtrema praeſidebat, eum primâ quoque, ut adaequatum de athletis omnibus ferret judicium, ac praemia pro merito cujuſque tribueret (quod erat Agonothetae munus) praefuiſſe oportuit. Potius eſt, ut conjiciamus, Titum & gymnico & muſico (5) ludis partite praeſediſſe; tum poſtea gymnicum iterato certamen in gratiam Imperatoris inſtauratum fuiſſe. Ex repetitis porro in proximo athleticis exercitationibus mihi perſuadeo, Auguſtum ſatis otii habuiſ-

que amictus tunica Germanica (corrige, monente Salmaſio, *Graecanica*) *capite geſtans coronam auream*. Igitur e corona aurea, ac veſte purpurea a Claudio Neapoli uſurpata, agnoſce eum ibi Agonothetae partes ſuſcepiſſe. Idem munus obitum a Tito fuiſſe, oſtendi pag. 110.

(5) *Gymnaſiarcha* is erat, qui ὁλικῷ καὶ εἰδικῷ γυμνασίῳ h. e. univerſae palaeſtrae, & ipſis palaeſtricis exercitationibus aderat, ut ex Hieron. Mercuriale adnotat Vandalus Diſſert. VIII. *Agonotheta* vero qui ludis praeerat, ſive gymnici ii forent ſive muſici. De gymnicis diligenter oſtendit Faber Agoniſt. l. 18. De muſicis vero Heſychius, Ἀγωνοθέτης (inquit), ὁ τὰ μουσικὰ ἀκροάματα διατιθέμενος. *Agonotheta, qui muſicis* i. e. poëticis *recitationibus aderat*. In Epigraphe autem Neapolitana Titus Imp. & *Agonotheta* & *Gymnaſiarcha* ſalutatur. At niſi diverſa certamina edita ab Imperatore fuiſſent, *gymnica* ſcil. & *muſica*; plura quam oportuit, vocabula in brevi praeſertim epigraphe, ſine juſta cauſſa cumulata fuiſſent.

habuiſſe contemplando Melancomae pancratiaſtae, quem Titus adoleſcentem egregia forma commendatiſſimum adamaſſe (6) fertur.

Domitiano Imp. Praeter ea, quae ex pluribus Papinii Statii, qui ſub Domitiano floruit, ad rem gymnicam Neapolitanorum facientia corrogari poſſent, luculentum ea de re argumentum ſuppeditat antiquus lapis, de quo nonnulla attigi pag. 61. Ibi T. Flavius Artemidorus viciſſe perhibetur τὸν ἀγῶνα τῶν μεγάλων Καπιτωλείων τὸν πρώτως ἀχθέντα ἀνδρῶν παγκράτιον . . . . ἐν Νέᾳ πόλει ἀνδρῶν παγκράτιον, *agonem Magnorum Capitolinorum, cum is primum ageretur, virorum pancratio. . . . Neapoli virorum pancratio.* Ex *pancratio virorum*, quod Romae & Neapoli Artemidotus vicit, pronum eſt colligere, eum eâdem circiter aetate utrobique decertaſſe. Vide dicta capite III. Capitolina autem inſtituta a Domitiano ſunt anno V. C. 839. Chriſti 86. Eâdem igitur praeter propter tempeſtate Artemidorus in ſtadium Neapolitanum prodiiſſe oportuit.

Trajano Imp. Quid attinet externa teſtimonia, queis gymnica ſtudia Neapoli ſub Trajani imperio floruiſſe oſtendam, corrogare; cum domeſticam ad id ſuadendum habeam auctoritatem? inſcriptionem inquam athleticam Neapolitanam, cujus ſupplendae illuſtrandaeque cauſa hic a me ſuſceptus eſt labor. Ibi verſu 19. & 20. ſcalpitur T. Flavius Archibius viciſſe Νέαν πόλιν ἀγενείων παγκράτιον, *Neapoli imberbium pancratium*. Oſtendi pag. 45. victoriam Archibii conſignandam eſſe anno Chr. 110. vel 114. Trajanus autem ab anno Ch. 98. ad annum 117. imperavit.

Hadriano Imp. Vehementer piget, quod certis deſtituimur argumentis, quae diſerte oſtendant ſub hoc Imperatore, quem cum Neapolitanis certaſſe mutuis officiis conſtat, edita Neapoli fuiſſe gymnica ſpectacula. Et Hadrianus quidem, aliquanto liberius quam virum Principem decet, quaquaverſus per orbem Romanum vagatus, Campaniam univerſam peragravit, ejuſque *Omnia oppida*, ut Spartianus in ejus vita, *beneficiis & largitionibus ſublevavit*. Neapoli vero inſignia ſuae humanitatis argumenta reliquit, paſſus ibi aeque ac privatus quiſquam, *Demarchus* renuntiari. *In Hetruria* (inquit Spartianus) *praeturam Imperator egit. Per Latina oppida dictator & Aedilis, & duumvir fuit.*

Apud

(6) Themiſt. Orat. X. p. 139. Οὗ καὶ τὸν Τίτον φάσιν ἐραστὴν γενέσθαι τὸν αὐτοκράτορα, *Cujus* (Melancomae) *Titum Imp. exſtitiſſe amatorem perhibent*. Hujus tamen ſuſpicionis maculam Cl. Scriptor Th. Calam. pag. 571. eluere ab Caeſare, athletâque ſatagit; ſed, quod bona dixerim pace, laterem lavat.

Apud Neapolim Demarchus . . . . & Athenis Archon fuit. Neapolis, ut obiter dicam, plane *Latinum oppidum* nondum erat; tum quia in hoc Spartiani loco ſejungitur a *Latinis oppidis*; tum etiam vel maxime, quod ſupremus in ea urbe magiſtratus, *Demarchus*, inquam, ex reliquiis veteris Graeciſmi adhuc ſuperabat. Sed ut inſtitutum ſermonem exſequar; Neapolitani viciſſim gratiam Imperatori rependere pro modulo ſuo geſtientes, phratriam ex ejus catamito, *Antinoiton* tranſnominarunt (7). Praeterea ex eodem Spartiano docemur, hunc Auguſtum *in omnibus pene urbibus & aliquid aedificaſſe, & ludos edidiſſe*. Jam ſi *Demarchi* munus Neapoli geſtum ab Imperatore cum ejus edendorum ludorum ſtudio comparaveris, difficile eſt non credere, gymnicos ludos in hac urbe ab eo inſtauratos fuiſſe. Enimvero ipſe *Archon* Athenis fuit, & in gymnaſio Athenienſi pro *Agonotheta* ſedit. Qui minus igitur Neapoli, ubi *Demarchum* agebat, & gymnica ſtudia vigebant, ludis athleticis praefuerit? Vide quae in eandem ſententiam ſupra pag. 111. diſſerui.

Antonino Pio Imp. Quo loco ac dignitate tunc fuerit palaeſtra Neapolitana, nihil explicate tradi poteſt. Tamen ex *Pialibus* (quod Iſelaſticum certamen (8) fuit) Puteolis ab eo Imp. conſtitutis, deduci ne-

(7) Neminem latet, Neapoli ex vetere Graecanico inſtituto viguiſſe *Phratrias*, ſive σύϛημα (*corpus*) politicum ſive ſacrum eae fuerint: de quo univerſo argumento, alias, Deo juvante, diſſeram. Phratriae autem non ſecus ac Tribus Romanae, nomine quaeque ſuo diſtinguebantur. Neapolitani vero gratiam Hadriani aucupaturi, ex *Antinoi* nomine phratriam *Antinoiton* appellarunt. Legitur apud Fabrettum Inſcr. cap. VI. pag. 456. *P. Sufenas Myron . . . . Fretriacus Neapoli Antinoiton & Eunoſtidon*. Sed novam ne phratriam Neapolitani inſtituerint, an veterem novâ *Antinoi* nomenclatione tranſnominarint? Hoc alterum malim, exemplo ductus Tribuum Romanarum, quarum numerus quidem invariate manſit, ſed nonnullis in gratiam imperantium Principum, nova pro opportunitate temporum impoſita nomina fuere.

(8) Antoninum cum alia quamplurima, tum etiam Εὐσέβεια (*Pialia*) in honorem patris ſui Hadriani Puteolis inſtituiſſe, notius eſt quam ut monitore quis egeat. Legatur Grut. p. CCLIV. 4. ubi Puteolani titulum ponunt *T. Aelio Hadriano Antonino Aug. Pio Conſtitutori Sacri certaminis Selaſtici* (h. e. *Iſelaſtici*). De quo lapide conſule Scalig. de Emend. Temporum V. p. 477. ubi vir egregius paucis extricat *Certaminis Iſelaſtici* rationes, cujus ſcilicet victores dicebantur *Hieronicae* q. d. Sacri victores, ſive potius *Sacri certaminis victores*. Nimirum quod idem erat *Sacrum* atque *Iſelaſticum* certamen. Ac ſane animadvertimus in lapide Hiſtonienſi p. 49. *Capitolina* adnuntiari *Sacrum certamen*. At cur *Pialia* Puteolana dicuntur *Certamen Sacrum Iſe-*

nequit, tunc temporis Neapoli gymnaſium obſoleviſſe, ſic ut Antonino de certaminum ſuo nomine committendorum editione ſollicito, neceſſe fuerit, ad Puteolanum gymnaſium devenire. Nam diu poſtea, ſub Imp. Commodo ſcilicet, contemplari licet ſimul juncta Εὐσέβεια ἐν Ποτιόλοις, καὶ Σέβαστα ἐν Νεάπολι, *Pialia Puteolis*, & *Auguſtalia Neapoli* apud Grut. pag. CCCXIV. Antoninum autem conjicio Puteolos quam Neapolim pro *Pialium* editione maluiſſe; quia Puteoli *Colonia Auguſta* pleno jure fuerit, Neapolis non item. Ipſe autem, ut pietatem operâ ſuâ erga patrem oſtenderet; urbem ſuam, Puteolos nimirum ſelegit, ubi certamina ſuo nomine, ac fortaſſe ſuis etiam impenſis, ederentur. Hinc etiam, ſi Neapolim nondum in cenſum Coloniarum Auguſtarum relatam fuiſſe collegeris, haud equidem repugnaverim. Sed hoc de argumento infra aliquanto copioſius.

M. Aurelio Imp. In antiquo lapide Neapol. (de quo §. ſeq.) T. Flavius Evanthes viciſſe ſcalpitur Σέβαστα παιδῶν πολιτικῶν δίαυλον, *Auguſtalia puerorum urbanorum duplicato curriculo*, Olympiade Italica XLIII. quae pentaëteris, ut in eodem marmore legitur, cum *Coſſ. L. Septimio Severo* & *L. Alfidio Herenniano* componitur. Hi autem proceſſere Conſules anno undecimo imperii M. Aurelii, Chriſti 171.

Commodo Imp. Apud Gruterum p. CCCXIV. exſtat vetus titulus, ubi legitur M. Aurelius Aſclepiades domo Alexandrinus, civitate Pu-

T teo-

Iſelaſticum; *Capitolina* vero nonniſi *Sacrum?* Num quod majore praemio propoſito *Pialia* Puteolis, quam *Capitolina* Romae committerentur? Nam etſi *Sacrum* & *Iſelaſticum* idem ferme ſonabat; erat tamen, in quo alterum alteri praeſtabat. Et Agon quidem *Sacer*, ut enucleatius ediſſeram, σίτησιν (*frumentationem*): quo nomine *obſonia* univerſe veniebant; *Iſelaſticus* vero praeter obſonia, εἰσέλευσιν etiam h. e. *publicam* in moenia *tranſvectionem* donabat victoribus. Opinor autem ex duabus hiſce praerogativis, alteram Capitolinis a Domitiano, alterutramque Pialibus ab Antonino Pio, attributam conſulto fuiſſe. Moenia enim urbis Romae coloniarumque, quae Romana conſuetudine aratro circumductae fuerant, majore religione quam aliarum urbium moenia, vallata erant; illaque tranſilire, nedum dejicere, capital fuit. Indeque eſt quod Nero Neapolim hieronica invectus, disjecerit *partem muri*, at per Romam *diruto Circi maximi arcu* pompam egerit. Sueton. Ner. 25. Itaque cum Dio Caſſius lib. LXIII. 20. narret, Nerone pompam Romae agente (τοῦ τείχους τι) *partem muri* dirutam fuiſſe; hiſtoricus vel de *muro Circi* locutus eſt, vel ad id, quod in hujuſmodi pompis agi de more ſoleret, quam quod reipſa Romae ea occaſione actum fuerit, potius attendiſſe videtur. Eam igitur fuiſſe cauſam autumo, quamobrem Domitianus Capitolina a ſe inſtituta Romae, renuntiaverit certamen tantummodo *Sacrum*; Antoninus vero *Pialia* Puteolis & *Sacrum*

teolanus (9), Neapolitanus &c. viciſſe ὀλύμπια τὰ ἐν Πείσῃ ϹΜ̅ ὀλυμπιάδι . . . Σέβαστα ἐν Νεάπολι, *Olympia Piſae Olympiade CCXL. . . . Auguſtalia Neapoli*. Quoto preſſius anno Neapoli Aſclepiades certarit, haud aegre fuerit divinare. Ac primum indicio Olympiadis CCXL. quâ Piſae prodiit, non temere quis conjiciet, Neapolitanam Aſclepiadis victoriam in eadem circiter tempora incidiſſe. Olympias autem 240. congruit cum anno Ch. 181. qui fuit alter imperii Commodi annus. Praeterea oſtendi pag. 44. adnot. 10. Aſclepiadem impendiſſe ſex non amplius annos athleticis exercitationibus, deinde quieviſſe; eoſque annos ab anno I. Olympiadis CCXL. ad annum 2. Olymp. CCXLI. decurrere. Demum pag. 45. rationibus Scaligeri ductus, monui, Auguſtalia Neapolitana incidere in annum ſecundum cujuſque Olympiadis. Quamobrem Aſclepiadem vel anno Ch. 182. vel 186. viciſſe Neapoli Auguſtalia neceſſe eſt.

Hic autem poſtremus annus 186. quemadmodum meta certaminum Aſclepiadis fuit, ſatis vereor ne poſtremus quoque palaeſtrae Neapolitanae occiderit. Vltra enim hunc annum ſilent antiqui & ſcriptores & lapides. Et ad lapides quidem quod attinet; ſi qua praeterea ibi de ludis incidit mentio; omnino ii ludi ſunt munerarii ſeu gladiatorii, ut legenti patet, non palaeſtrici. Nec porro a Scriptoribus quicquam certi praeſidii arceſſi poteſt. Sane ſi *libri duo Imaginum* (ubi fit explicata de Neapol. gymnaſio mentio) tuto adjudicari Philoſtrato poſſent, ei ſcilicet, qui Romae uſque ad annum Chr. 244. auctore Suida, docuit; fata palaeſtrae Neapolitanae paullo ulterius protrahenda forent, eamque adhuc adulto tertio Chriſti ſaeculo duxiſſe ſpiritum, credere par eſſet. At me Meurſii vehementer frangit auctoritas, ſtatuentis Auctorem *Imaginum* fuiſſe alterum ſeniorem Philoſtratum

rum & *Iſelaſticum*; ſcilicet quod partem muri Romae dejicere nefas fuit, Puteolis non item. Nam etſi eo tempore Puteoli Romana Colonia evaſerat, tamen hujus urbis moenia antiquitus jacta, religione Romanâ deſtituebantur.

(9) Sollemne fuit hieronicis, ſe voce praeconis, cives ejus urbis, quam quiſque maxime vellet, in publico conventu renuntiari: ac porro ad plurium palmarum oſtentationem plures quoque civitates, in quas merito victoriarum adſcripti fuerant, enumerare. Vide dicta p. 32. Ut ecce noſter Aſclepiades cum domo eſſet Alexandrinus; tamen Puteolanus, Hermopolites, Eleius &c. ſalutari geſtiit. Sed inde obiter adverte, quanti is fecerit civitatem Neapolitanam ac Puteolanam; qui quamvis de Alexandria deque Elide contentus eſſe poterat, has tamen alteras Italicas abeſſe titulis ſuis noluerit.

tum, qui Nerone Imperatore floruit. Quam doctiſſimi viri ſententiam novis loco ſuo fulcire rationibus adnitar. Interim hoc affirmari poſſe conjicio, palaeſtram Neapolitanam Antoninorum temporibus intercidiſſe, tum cum Neapolitani exuto penitus Graeciſmo, ad jus ac cognomentum Coloniae Romanae Commodo Imperatore evaſerunt.

Atque hinc anſa mihi praebetur enucleandi illam alteram haud ignobilem quaeſtionem, de qua nam Graecia ſermo ſit in Reſcripto Imperatorum Diocletiani ac Maximiani L. unica de Athlet. lib. 10. C. Verba legis ſunt hujuſmodi: *Athletis ita demum, ſi per omnem aetatem certaſſe, coronis quoque non minus tribus certaminis ſacri, in quibus vel ſemel Romae, ſeu Antiquae Graeciae merito coronari, non aemulis corruptis ac redemptis probentur, civilium munerum tribui ſolet vacatio*. Digladiantur hic Faber & Laſena; ille Graeciam Elidenſem, hic Italicam ac Neapolim praeſertim, interpretati. Et Faber (10) quidem tametſi ad veri metam contendit, interea tamen eſt ubi labitur: Laſena (11) vero ſic a ſcopo aberravit, ut eum nonniſi patriae amor tranſverſum egiſſe videatur. Sed quaeſtio jam, opinor, profligata eſt. Cum enim prodi nequeat teſtis, qui gymnica ſpectacula Neapoli ſerius Antoninorum aevo obita affirmet; quam aliam quaeſo

(10) Faber Agoniſt. III. 25. Polybii locum ex lib. 3. poſtremo, *Graeciam antiquam* eſſe *Achajam* conjicit. Sed eum ratio fugit, meritoque Laſena eo nomine caſtigavit. Loquitur ibi Polybius de urbibus Magnae Graeciae, quae poſt Cannenſem cladem ad Carthaginienſes defecerant. Interim haud ille negat Graeciam Italicam a Varrone aliiſque *Antiquam* vocatam fuiſſe: vel ſic tamen *Graeciam antiquam* in lege Diocletiani nonniſi de tranſmarina eſſe intelligendam ex vero contendit. Vide adnot. ſeq.

(11) Laſena cap. IX. p. 162. ſeq. poene ubicumque *Graeciam antiquam* offendit, ibi Italicam agnovit: quae etſi alicubi eo nomine deſignata veniat; tamen Achaja revera *antiqua* Graecia fuit; quod Faber Agon. III. 25. ex Appiano, Juliano Imp. aliiſque luculenter oſtendit. Italica vero Graecia eo a nonnullis *antiqua* dicitur, quod aevo illorum Scriptorum *Graecia* eſſe deſierit. Itaque adjunctum illud *antiqua*, potius quid non ſit, quam quid ſit, oſtendit. Exemplis abſtineo, quorum affatim habes apud Fabrum loc. cit. & Mazochium in Tabb. Heracl. p. 14. Interim iraſcerer Laſenae, niſi ipſe ſingulari ejus in patriam ſtudio dandum eſſe aliquid confiterer. Inde enim fit, ut ſaepe, ubi minus oportuit, de Neapoli cogitet. Ceterum ex ipſo Scriptorum ac lapidum de palaeſtra Neapolitana ſilentio a Commodo ad Domitianum uſque, per centum inquam amplius annos continuato, ſatis commonefieri poterat, Neapoli penitus abolita fuiſſe gymnaſia, ſic ut certamina *Graeciae antiquae*, ad quam intendit digitum Diocletianus, nuſquam minus quam Neapoli committi quiverint.

Graeciam antiquam Diocletianus & Maximianus collinearint, niſi illam tranſmarinam, quae revera *antiquior* prae Italica erat, & ubi gymnica ſtudia adhuc agebant animam?

Jamvero quid ſibi vult in reſcripto Principum illud: *ſi per omnem aetatem?* Num athletae, ſi modo vacationis commoda nanciſci velint, jubentur per omne ſuae vitae tempus, ac ſine ulla intermiſſione certare? Si ita quidem factum oportuit; ecqua tandem, rogo, colluctandi finis, ecquod initium quieſcendi foret? Nec illa juverit exceptio, *Aetatem* hîc eſſe pro *Aetate athletica*, quamdiu ſcilicet vires certando ſuppetunt, intelligendam. Nam locus adhuc dubitationi relinquetur, ecquis gymnico labori fuerit ſtatutus limes: nec enim aetas athletica certo numero exercitationum, quemadmodum aetas militaris ſtipendiorum, definiebatur. At ne multis: *Aetas* hîc non continuatum vitae humanae ſpatium, ſed determinatos aetatis athleticae gradus ſignificat. Athletarum autem aetas in tres gradus diſtributa erat; prima fuit *Puerorum*, altera *Imberbium*, tertia *Virorum*: de qua diviſione copioſe dixi ſupra pag. 38. A teneris, uti dici ſolet, unguiculis athletae in claſſe *puerorum* tirocinium palaeſtrae ponebant, inde in album *imberbium*, ac denique *virorum* referebantur. In hos nimirum aetatis athleticae intuens gradus Imperator, requirit, ut athletae vacationem conſecuturi, *per omnem aetatem*, hoc eſt per omnes (qui tres omnino fuerunt) athleticae aetatis gradus experimenta edidiſſent. Qui ſenſus Imperatoris inde fit manifeſtior, quod tres coronas relatas oportuit; ſcilicet ut numerus trium victoriarum totidem aetatibus reſponderet: niſi quod neceſſe non fuit, quantum ex Reſcripti verbis intelligi datur, ut ſingulae victoriae in ſingulas aetates incidiſſent; ſatis enim erat, ſi athletae univerſim ter coronati probarentur.

§. II.

De initio Auguſtalium Neapolitanorum. Olympiadum *Italicarum numeratio. Inſcriptio Neapolitana explicatur & illuſtratur. Quid* τάγμα *in re gymnica.* Diauli *deſcriptio. Duplex unius ejuſdemque anni conſignatio. An agon* Neronia *Neapoli agitatus.*

EMenſo jam Agonum Neapol. ſub Auguſtis curriculo, proximum eſt, ut aliquanto accuratius expoliam hanc periodum, ac certis, quoad ejus fieri poteſt, limitibus definiam. In veſtibulo quidem hujus partis alterius innui, Neapolitanos exemplo Graeciae tranſmarinae, annos ſuos per pentaëteridas certaminum numerare conſueviſſe, idque in

Augu-

Auguſti gratiam, cui *Auguſtalia* inſcripſerant. Has autem pentaëteridas, ne quid ad aemulandam illam Graeciam deeſſet, placuit *Olympiadas* appellari. Itaque ſi quam harum Olympiadum explorare ſucceſſerit, eâdem ſimul opera & initium *Auguſtalium* patefiet. Profecto ubicumque *Quinquennales ludi* edebantur, certam ibi eorumdem numerandorum ratio fuerit, oportet; ut quis ſerie ipſa doceretur, quota ea eſſet a primâ certaminis inſtitutione pentaëteris. Auguſtum autem Imp. paucis ante obitum diebus, Neapolitano quinquennali certamini interfuiſſe, jam e Suetonio adverterat Scaliger, *ſed quotum* (inquit de Emen. Temp. V. p. 478.) *illud luſtrum a primi editione, nondum ſcire potui*. Sed quî noſſe potuit in tam ſpiſſa noſtrarum antiquitatum caligine, praeſertim cum nondum aetate ejus emerſiſſet in lucem pulcherrima Neapolitana (1) inſcriptio, quae ſola ſuo aliorumque deſiderio ſatisfacere potuiſſet? Nimirum ea gloria Cl. V. Eduardo Corſino, cui primo inſcriptionis exemplar contemplari licuit, reſervata fuerat: is

(1) Diu lapis hic obſcurus ac ſine honore jacuit in Aedibus PP. Cruciferorum in regione Thermenſi prope Portam Nolanam; ſed haud ita pridem vindice & aſſertore Excell. Duce Nojae Joanne Carafa, illatus in ejus Muſeum, ac veluti poſitus in ſuo lumine, priſtinam dignitatem recuperavit. Qui vir praeſtantiſſimus, meique, dum fata ſinebant, amantiſſimus, anno ſuperiore cum haec ſcriberem, atrociſſimis colicis doloribus inſperato correptus, vitam heu! cum morte commutavit. Jacturam ſane quam irreparabilem! Ecquando enim parem inveniemus, qui omnia ſua tempora patriae amicorumque temporibus traducat? Mitto dicere hominis magnitudinem animi, morum humanitatem, ac ſingularem, ſupra quam cuique credibile eſt, comitatem: verendum enim mihi eſt, ne vulnus aliquantula diuturnitate temporis obductum, redintegrata amici commemoratione, refricem. Scilicet hic ille eſt, qui conquiſitis gemmis omne genus, ſignis, toreumatis, picturis ex tota Italia, Gallia, Hollandia, Britannia, pretioque adeo ingenti, ut pene rem ſuam fregerit, redemptis, ſelectiſſimum Muſeum, ac quovis viro Principe dignum, comparavit. Sed enim ejus diligentia in colligendis numiſmatis earum omnium regionum, ex quibus hodie Regnum Neapolitanum coaluit, vel maxime enituit. Quorum numiſmatum trium linguarum (ſunt enim Tyrrhenica, Graeca ac Latina) immenſa vis, praeſtantia, aptaque per loculos diſpoſitio, adeo paſſim commendabatur, ferme ut nullus vir paullo cultior in urbem noſtram venerit, quin in ejus domum viſendi diſcendique ſtudio diverterit. Vir ſane diuturniore vitae uſu (vix enim LIII. annum exceſſit) & benigniore fortuna dignus. Enimvero ex tot tantiſque ſudoribus, vigiliis, impendiis, nihil aliud conſecutus eſt, niſi quod in morte ſua praedicatum vulgo fuerit, patriam noſtram viri egregii atque incomparabilis feciſſe jacturam.

is itaque epigraphen ante hac ignoratam edidit in *Agoniſticis* Diſſert. IV. p. 103. diligenterque enucleavit. Inde proficiens Cl. Scriptor Thecae Calamariae, ſed de Corſino non optime (2) meritus, eumdem titulum exhibuit pag. *609. 612.* Nunc vero ratio dicendorum in praeſentia flagitat, ut rurſus haec ipſa inſcriptio, ad fidem marmoris (3) expreſſa, producatur in medium.

In antica Marmoris facie

Τ̄.ΦΛΑΒΙΩΙ.Τ.ΥΙΩΙ
ΕΥΑΝΘΗΙΝΙΚΗΣΑΝΤΙ
ΙΤΑΛΙΚΑΡΩΜΑΙΑΣΕΒΑΣΤΑ
ΙΣΟΛΥΜΠΙΑΤΗΣ.Μ̄.Γ̄.
ΙΤΑΛΙΔΟΣ.ΠΑΙΔΩΝ
ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ, ΔΙΑΥΛΟΝ
ΑΝΑΘΕΝΤΙΕΝΤΗΙΦΡΗΤΡΙΑΙ
ΑΝΔΡΙΑΝΤΑΣ. ΔΙΟΣΚΟΥΡΩΝ
ΣΥΝ. Τ. ΦΛΑΒΙΩΙ. ΖΩΣΙΜΩΙ
ΑΔΕΛΦΩΙΤΩΑΥΤΩΑΓΩΝΙ
ΤΑΓΜΑΝΙΚΗΣΑΝΤΙΚΑΙ
ΒΡΑΒΙΟΝ.ΛΑΒΟΝΤΙ
ΕΥΜΗΛΕΙΔΑΙ.ΦΡΗΤΟΡΕΣ
ΑΜΟΙΒΗΣ.ΕΝΕΚΕΝ

In altera Marmoris facie.

ΣΕΟΥΗΡΩΙ ΚΑΙ ΕΡΕΝΝΙΑΝ ο ΥΠΑΤ
ΡΟ
ΓΠ. Ε. ΕΙΔΩΝΜΑΡΤΙΩΝ
Τ.ΦΛΑΒΙΟΣΖΩΣΙΜΟΣΚΑΙ
ΦΛΑΒΙΑ ΦΟΡΤΟΥΝΑΤΑ ΓΟΝΕΙΣ
ΧΑΡΙΣΑΜΕΝΟΙ.ΛΥΧΝΙΑΣΜΕΤΑ
ΛΥΧΝΩΝ.ΚΑΙΒΩΜΟΥΣΔΙΟΣΚΟΥΡ
ΑΥΘΙΣΚΑΘΙΕΡΩΣΑΝ

Laurea corona, in cujus medio legitur

ΣΕΒΑΣΤΑ

Jam ſupra pag. 44. adnot. 7. innui, exſtitiſſe Neapoli *Phratrias* ex more graecanico. Harum una cognomine *Eumelidarum* titulum, baſi marmorea exaratum, *T. Flavio*, *T. Filio*, *Evanthi* (4) poſuit. De hujuſ-

(2) Qui de elaborato ejus in hoc marmor commentario ſic pag. 614. pronuntiavit: *Longum Corſini laborem fruſtra eſſe plerique omnes haud dubii exputabunt*.

(3) Exemplar hujus inſcriptionis, prout ab utroque editore vulgatum eſt, naevis quibuſdam, tametſi leviſſimis, aſpergitur: ut ecce Cl. Scriptor Th. Calam. verſ. 3. ITALIKA pro ΙΤΑΛΙΚΑ incîdi curavit. Quod etſi parvi momenti ſit, advertiſſe tamen juverit, ne quis ejus exemplari formâ ligneâ expreſſo deceptus, latinam litteram cum graecis elementis conſulte intertextam arbitraretur.

(4) In marmore ΕΥΑΝΘΗΙ, perinde ac ſi eſſet primae Simplicium Ἐυανθὴς, οῦ, ῆ. Quod veto damnari. Sane Grammatici obſervarunt, nomina propria primae Contractorum in quibuſdam caſibus, ut quarto & quinto, tamquam primae Simplicium inclinari: quî minus & in tertio caſu licuit, maxime adſtipulante noſtri marmoris auctoritate? Ἐυάνθης & apud

hujuſmodi titulis late diſſerui Cap. II. pag. 26. ubi oſtendi titulos hoſce citra ullius ſtatuae poſitionem fuiſſe marmori mandatos, idque preſſius eſſe, quod Latini *Titulum ponere*, Graecique Τιμὴν ἀναστῆσαι dixerunt; itaque ubi baſim, antiquitus inſcriptam contemplemur, neceſſe non eſt, ut continuo de ſtatua illic impoſita cogitemus. Tituli enim id genus plerumque athletis, quemadmodum Evanthi noſtro, in victoriae monumentum excitabantur: tametſi honor is Evanthi non magis victoriae cauſâ, quam *ſtatuarum* Dioſcurorum dedicatione, delatus ſit. *Evanthes* enim cum *fratre T. Flavio Zoſimo*, *ſigna Dioſcurorum in Phratria*, tum ad loci ornamentum, tum in argumentum gymnicae palmae, appoſite *dedicarat*. Appoſite inquam; nam haud mediocris *Flaviis* fratribus cum *Caſtoribus* convenientia intercedebat; ita ut harum ſtatuarum honor ab utroque fratre Divis Fratribus prope (5) debitus videretur. Conſtitutis igitur in phratria ſignis Dioſcurorum, Eumelidae *remunerationis gratia* titulum hunc poſuerunt. Nec eatenus mutua ſtetit officiorum concertatio: quandoquidem, ut in altero lapidis latere legitur, *T. Flavius Zoſimus* ac *Flavia Fortunata* noſtrorum athletarum *parentes*, χαριστάμενοι (Corſin. *filiis obſequentes*: Scriptor Th. Calam. *voti compotes* verterunt: mihi magis placet) *elargiti candelabra cum lucernis araſque Dioſcurorum*, αὖθις καθιέρωσαν, *rurſus* h. e. vice ſua (nam ſigna Caſtorum nomine filiorum dedicata fuerant) *conſecrarunt*.

Dedicandorum ergo ſignorum occaſio ex opportunitate victoriae athleticae deſumpta eſt. Enimvero, ut in marmore ſcalpitur, vicerunt Flavii fratres Quinquennalia Neapoli; quae certamina majoris amplificationis cauſâ cognominantur *Italica*, *Romana*, *Auguſta*, & *Olympiorum aemula*. Corſinus primum aeſtuavit, unum ne an plura certamina hîc deſignarentur; ſed poſtea dubitatione depoſita, de uno eodemque agone verba fieri affirmavit; idque pluribus, quam oportuit,

apud Plutarchum in Solone & apud H. Stephanum, penacuitur; at indicio hujus marmoris, oxytonum, ut cetera ſunt quae cum Ἄνθος componuntur, eſſe debet.

(5) Cur Flavii fratres athletae e diis ἐναγωνίοις (*palaeſtrae praeſidibus*) non paucis, Caſtorem ac Pollucem ornare maluerint, haud difficile illi erit divinare, qui reputaverit, par nobile divum fratrum gymnicis quoque exercitationibus inclaruiſſe. Quamobrem non magis religione, quam parium ſtudiorum conjunctione ac germanitate ducti videntur, ut Dioſcurorum ſimulacra dedicarent. Ceterum divi Caſtores impenſe culti in urbe Neapoli fuere, uti ex lapide noſtrate apud Gruterum XCVIII. 2. diſcere licet.

tuit, ſuadere contendit. Atqui eo labore ſuperſedere poterat vir eruditiſſimus: nam cui ignota eſt Graeculorum ventoſiſſima de ludis gymnicis opinio? Sane advertimus pag. 20. athletarum ſynodum ad oſtentationem renuntiari voluiſſe, φιλορώμαιον, καὶ φιλοσέβαστον, *amicam-Romanorum*, *amicam-Auguſtorum*. Hinc minus mirari ſubit; ſi hîc certamina ipſa Ῥώμαια καὶ Σέβαστα, *Romana*, & *Auguſta* praedicantur. Additur autem hinc τὸ Ἰταλικά, ut Auguſtalia *Italica* ab aliis alibi gentium (6) editis, diſtinguerentur; hinc τὸ Ἰσολύμπια, ut oſtenderetur, Auguſtalia tantae fuiſſe Neapoli dignationis, ut cum *Olympiis* ipſis & praemio & dignitate *aequipararentur*. Atque huic altius excitatae de Auguſtalibus Neapolitanis opinioni Strabo velificatus eſt, cum de Neapolitanis lib. V. p. 246. inquit: Πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ᾽ αὐτοῖς . . . . ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα. *Sacrum quinquennale certamen ab ipſis agitur . . . ludis Graeciae nobiliſſimis aemulum*. Dolet interim mihi, quod Corſinus, fortaſſe deceptus exemplari, ubi diviſim ΙΣ ΟΛΥΜΠΙΑ pro Ἰσολύμπια exhiberetur, ipſe ratus binas eſſe voces, ſit praeter verum ΙΣελαστικα, Ὀλύμπια (7) interpretatus.

Jamvero ad ludi genus quod attinet; vicit Evanthes παιδῶν πολιτικῶν δίαυλον, *iteratum curriculum puerorum urbanorum*. Eâdem in claſſe (8) viciſſe videtur frater ejus Zoſimus, & βραβῖον (pro βραβεῖον) victo-

(6) Certe Alexandriae edita fuiſſe, patet ex inſcriptione Gruteri CCCXVI. 2. Σέβαστα, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, *Auguſtalia Alexandriae*. De Romanis Auguſtalibus nulli dubium. Sed eccur Auguſtalia hîc *Italica* dicantur, & non potius *Neapolitana*, ut ceteroqui factum oportuit, ſicuti apud Grut. CCCXIV. Σέβαστα ἐν Νέᾳ πόλει? Vox enim *Italica* nimis ambitioſa eſt, & vaſtioris quidem ſignificationis, quam ut ſub *Italiae* nomine Neapolis veniret. Equidem non magis id ad arrogantiam noſtrorum hominum pertinuiſſe arbitror, quam quod Neapolitani ea tempeſtate ſoli in Italia hoſce ludos ritu Graeco frequentarint; idcirco dubitari non poterat, quin Auguſtalia *Italica* privatim Neapoli tribuerentur. Eo etiam refer, quod *Olympiades*, quas una Neapolis obſervabat, in marmore *Italicae* dicuntur. Nimirum quia Neapolitani conſuetudinem numerandi annos per Olympiades, ſoli Italorum ex more Graeco retinuiſſent.

(7) Praeterquam quod τὸ Ἰσελαστικά probâ orthographia non ſuſtinetur, hoc amplius excludi debet, quod alterutrum vocabulum, aut Εἰσελαστικά, aut Ὀλύμπια, redundaret. *Olympium* enim certamen potiore in primis ratione *Iſelaſticum* erat: itaque ſatis ſuperque fuiſſet, Auguſtalia renuntiari *Olympica*; hoc autem ipſo ſimul etiam *Iſelaſtica* eſſe ſignificabantur.

(8) In marmore ſcalpitur: Τῷ αὐτῷ ἀγῶνι, *in eodem certamine* h. e. *iterato curſu*, quo victor exſtiterat Evan-

victoriae ſcilicet *praemium* retulerat. Quid porro ſit δίαυλος (9) Pauſanias breviter quidem, ſed accurate deſcripſit, & Heſychius ac Suidas dimenſionem tradidit. Porro quam ob rem *pueri*, quibuſcum Evanthes certavit, πολιτικοὶ (*urbani*) dicantur, conjecturam §. ſeq. lectori ſiſtam, quae, ſpero, probabitur.

Sed ecquando Evanthes in ſtadium Neapolitanum prodierit, per auctoritatem marmoris ignorare non licet; viciſſe nempe ibi proditur, *Auguſtalia*, *Olympiorum aemula* ΤΗΣ Μ̅. Γ̅. ΙΤΑΛΙΔΟΣ. Doctiſſimus homo noſter, quem ſaepe laudavi, interpretatur, τῆς Μεγάλης Γραικίας Ἰταλίδος, *Magnae Graeciae Italicae*. Serio ne an captandi riſus cauſa? Hoc alterum malim. Nam quis Graece ſcribens umquam Γραικίαν appellavit eam regionem, quae nonniſi Ἑλλὰς dicta (10) reperitur? Praeterea quid attinuit τὸ Ἰταλίδος addere? num ut ab alia Magna Graecia, Gallica nimirum, ſi diis placet, aut Hiſpanica, diſtingueretur? Tum porro quis noſtrum hominem docuit, Neapolim

V

Evanthes. Τάγμα ſive *aciem* cum Corſino, ſive *claſſem* interpreteris, perinde eſt. *Collegium Epheborum*, quod vertit Cl. Scriptor Th. Calam. non placet. Illi enim, qui nomina dabant palaeſtrae, collectitii erant, nec niſi edendorum ludorum causâ coibant; neque corpus politicum conſtituebant, neque ullis legibus, praeterquam palaeſtricis, obligabantur. Agonothetae porro ſive Gymnaſiarchae officium erat, probare athletas, eoſque in *numeros* ſive *claſſes* (ea ſunt τάγματα, a re militari ad gymnicam traducta) digerere, ſimulque edicere, qui eorum in *claſſe puerorum*, quive in *imberbium* ac denique *virorum*, committi deberent. Quamobrem ex claſſe Evanthis innoteſcet, ecquod fuerit τάγμα ſive *claſſis*, quam Zoſimus ſuperavit; nempe *urbanorum puerorum*; quibus Evanthes quoque palmam in eodem certamine praeripuerat.

(9) *Diauli*, ſive iterati curſus, dimenſionem habes apud Suidam. Sed lege, quae Joannes Alberti ad Heſychium in ea voce commentatur in Suidam. At *diaulum* nemo luculentius, quam Pauſanias, prope dixerim, delineavit; qui Eliac. I. 17. expoſiturus vetuſtiſſimam ſcribendi rationem, quae, quoniam *boum ſulcos*, a dextra in laevam & alternis vicibus a laeva in dextram euntes, imitaretur, a Graecis βουστροφηδὸν dicebatur; hac breviſſima comparatione rem illuſtrat, Ὥσπερ ἐν διαύλου δρόμῳ, *quemadmodum in diauli curſu fit*. Nempe in diaulo quaedam curſûs reciprocatio fiebat; ad metam enim currebatur, indeque rurſus ſine ceſſatione repetebatur curſus: ſic pariter etiam antiqua illa ſcribendi methodus decurrebat.

(10) Pluribus docere ſatagit homo noſter eruditiſſimus, eos, qui poſtea Ἕλληνες, olim Γραίκους audiviſſe. Sed cui non dictus Hylas? Equidem maluiſſem, ut unam ſaltem ipſe veterem auctoritatem prodidiſſet, ubi *Magna Graecia* dicta reperiatur Μεγάλη Γραικία Ἰταλίς. At quî prodere poterat, ſi quae contendit, univerſa ignoravit antiquitas?

polim in Magnae Graeciae themate comprehenſam fuiſſe? Sane fines Magnae Graeciae anguſtiores erant, quam ut urbem quoque Neapolim complecterentur. Conſule Mazochium in Tab. Heracl. p. 13. ſeq. Poſtremo, ut ut dem Neapolim, utpote urbem origine graecam, recte dici poſſe, in *Graecia* conſtitiſſe; numquam tamen in *Magna Graecia* fuiſſe, ſuadebitur. Profecto quicquid Graeci nominis fuit, quin id *Graecia* appelletur, haud repugnaverim; at *Magnae Graeciae* nomenclatio ſic illi regioni peculiaris erat, ut eam ab Elide, atque a cetera diſſeminata Graecia diſtingueret. Sed cauſae jugulum rectâ petamus: Veteres ſcriptores ſic de *Magna Graecia* meminerunt, ut id nominis, nonniſi quamdiu ibi Graecorum coloniae floruerunt, regioni haeſiſſe oſtendant (11); at poſtquam omnia ad barbariem defecerint; credibile non eſt, antiquatam jam *Magnae Graeciae* nomenclationem, reſtitutam fuiſſe exeunte altero Chriſti ſaeculo in inſcriptione noſtra, ſic ut quis viſis illis ſiglis M. Γ. confeſtim ac nullo praeeunte monitore, ultro de *Magna Graecia* cogitaret. Mihi quidem, nec cuivis alii, opinor, perſuadebitur.

Reducto itaque ſipario, neque ibi Magnâ Graeciâ latêre deprehenſâ, liberum cuique fuerit ſuſpicari, ſiglas M. Γ. non eſſe elementares vocabulorum litteras, ſed utique artificiales notas, ſignandis numeris excogitatas. Enimvero nihil magis obvium in elogiis athleticis occurrit, quam ut poſt enarratam victoriam, confeſtim ad fidem rei geſtae faciendam, annus, quo parta victoria fuit, conſignaretur. Quamobrem cum in inſcriptione dicatur, Evanthem viciſſe Σέβαστα Ἰσολύμπια τῆς $\overline{\text{M. Γ.}}$ Ἰταλίδος, tralaticiae conſuetudinis ratio poſtulat, ut intelligamus, athletam noſtrum viciſſe *Auguſtalia*, *Olympiorum aemula* (Olympiadis) *XLIII. Italicae*. Abeſt quidem vox *Olympiadis*; ſed praeterquam quod ex ipſo contextu ſupplenda dabatur; ſponte ſua ex τῷ praecedente Ἰσολύμπια fluebat, ut protinus Ὀλυμπιὰς, connectenda utique cum notis numeralibus $\overline{\text{M. Γ.}}$ (*XLIII.*), deliteſcere intelligeretur; ad normam ſcilicet athleticarum inſcriptionum, in

(11) Graeci Latinique Scriptores ſic de Magna Graecia locuti ſunt, ut eam vetuſtiſſimis, non ſuis quidem certe temporibus, ſtetiſſe ſignificent. Thucydides II. mihi p. 175. *Quo tempore in illa Italiae parte* (κατὰ τὴν Μεγάλην Ἑλλάδα TOTE προσαγορευομένην) *quam Magnam Graeciam TVNC vocabant, Pythagoreorum collegia ſunt incenſa*. Valer. Maximus lib. VIII. *In Italiae etiam partem, quae TVNC Major Graecia appellabatur, perrexit*. Quae cum ita ſint; ecquas Scriptori lapidis Neapolitani cauſas incidiſſe ſuſpicabimur, ut Magnae Graeciae, quae jamdudum eſſe deſierat, antiquatam nomenclationem reponeret in ſcaenam?

in quibus *Olympias* initi agonis ſignificari ſolebat. Jamvero additur *Italicae*, ut moneretur lector, numerationem Olympiadis in marmore ſignatae, non ab Elidenſi, ſed ab Italica conſuetudine eſſe repetendam. Sed age, ecquid Cl. Scriptor Thecae Calam. Corſino, qui primus eruerat Neapolitanas Olympiadas, obduxerit, propius inſpiciamus: *Sed nihil magis* (inquit pag. 614.) *tam belle quaeſitum tanti viri* (is eſt Corſinus) *interpretamentum elevat, quam quod bis cerneres in eodem lapide annum agonum victoriae; ſcil. tum Olympiade 43. tum Coſſ. Severo & Herenniano: quod quam ſit novum atque inſolens, quiſque exputat*. Sed eruditiſſimo homini, neſcio quid humanum paſſo, indulgenda eſt venia, cum vacillante memoria id *novum atque inſolens* traducit, quod millies ab eo fuiſſe lectitatum, mihi perſuadeo. Ubicumque peculiares epochae uſurpabantur, ibi plerumque duplices annorum characteres ſignari deprehendimus; quorum unus imputandus eſt illi urbi, ad quam res geſta ſcriptave pertinet; alter ille eſt idemque notior, quem pleraeque gentes in commune obſervabant. Eaque numerandorum annorum ſedulitas non ſolum hiſtoricis, quorum maxime intereſt quaſcumque temporum circumſtantias adnotare, ſed lapidibus (12) etiam, quorum praecipua dos in breviloquentia ſita eſt, commendatur. Cum itaque in noſtro marmore tum Olympias XLIII. (quae ad Graeculos Neapoli feriantes ſpectabat) tum Conſulatus Severi & Herenniani (quae communis erat per Orbem Rom. epocha) ſignetur; quid, rogo, *novum atque inſolens* in ea temporum deſignatione incuſabimus? Imo contra ſi ſapimus, ſcalptorem noſtrum binos ejuſdem epochae characteres Graece (13) Latineque conſignantem, appoſite ad plenam temporis intelligentiam, cumulateque feciſſe judicabimus. Praeterea nihilo firmior eſt altera noſtri viri

 eru-

(12) Legatur vetus Puteolana inſcriptio, quae aliquando Neapoli proſtabat, apud Gruterum p. CCVII. ubi: *Ab Colonia deducta anno XC.... P. Rutilio, Cn. Mallio Coſſ.* Colonia Romana deducta fuit Puteolos anno V. C. 559. Rutilius & Mallius proceſſere Conſules anno V. C. 649. Itaque tum annus XC. ab Colonia deducta, tum Conſulatus Rutilii & Mallii ſunt unius ejuſdemque epochae characteres. Pluribus abſtineo; nam nolo in re comperta lectorem obtundere diutius.

(13) Graeco Latinoque more characteres temporum conſignantur; nam etſi alter Graecis quoque litteris exaretur, reipſa ad Romanorum, quorum conſuetudo erat per *Idus* & *Kalendas* menſium partes exprimere, normam componitur. Hinc autem adverte 1. neceſſe fuiſſe, ut pro populo utriuſque linguae binae numerationes eodem euntes, inſtituerentur. 2. extremas Graeciſmi deſinentis tempeſtates; cum vel in ipſis Graecis elementis Latina vocabula triumpharent.

eruditiſſimi criminatio: *Cum hi* (ead. pag. 614.) *Flaviorum gentis liberti Evanthes, Zoſimus, & Fortunata Roma Neapolim ſe recepiſſent, ab eiſdem Latinorum more, Conſulum nempe nominibus annos, non vero Olympiadum numero, quas vergente ſecundo Chriſti ſaeculo ne in ipſa quidem Graecia celebratas reperies, adnotandos oportuit.* Quae de ſtatu libertino athletarum, de eorumque profectione Roma Neapolim, comminiſcitur, ſunt plane incerta; at illud omnino falſum, *Olympiadas vergente ſecundo Chriſti ſaeculo ne in Graecia quidem fuiſſe celebratas.* Diu enim poſtea Julianus Caeſar in *Epiſtola pro Argivis* 18. aetate ſua, h. e. inclinato jam Saeculo IV. Olympiadas in Graecia πολυθρυλλήτους (*celebratiſſimas*) memoriae prodidit. Sed ne a marmorum auctoritate abſcedamus; Olympias CCXL. conſignata viſitur in lapide Gruteriano pag. CCCXIV. quae Olympias incidit in annum Ch. 181. hoc eſt, decennio poſt epocham Neapolitani marmoris.

His ita conſtitutis firmatiſque operae pretium eſt, ut Olympiadum Neapol. initium aperiam; id quod ex convenientia Olympiadis XLIII. cum conſulatu Severi atque Herenniani facile quivis eruerit. Evanthes viciſſe in marmore ſcalpitur *Olympiade XLIII.* eoque ipſo anno, ut oppido veriſimile videtur, ſigna Dioſcurorum in phratria dedicavit: nam cur dedicationem, quae in hujus victoriae ſignificationem peragebatur, in aliud tempus diſtuliſſet? Jamvero Zoſimus ac Fortunata parentes de ſuo elargiti candelabra, lucernas araſque, quae in dedicatione filiorum defuiſſe videbantur, conſecrarunt *V. Id. Martias Severo & Herenniano Coſſ.* Quamobrem extra dubitationis aleam ponendum eſt, annum primum Olympiadis XLIII. convenire cum anno Chr. 171. quo nimirum anno illi proceſſere Conſules. At vero vero ludorum Neapol. celebritas, quantum e Suetonio (14) intelligitur,

(14) Suetonius Aug. 98. *Mox Neapolim trajecit, quamquam & cum infirmis inteſtinis morbo variante: tamen & quinquennale certamen gymnicum honori ſuo inſtitutum perſpectavit, & cum Tiberio ad deſtinatum locum contendit. Sed in redeundo, aggravata valetudine tandem Nolae ſuccubuit.* Hinc patet, a quinquennali Neapol. ſpectaculo ad Auguſti exitum haud plurimos effluxiſſe dies. Mors autem Auguſti incidit in XIV. Kal. Septemb. ut oſtendit Scaliger de Em. Temp. V. p. 448. Jamvero liquet, Olympia Graeciae circa ſolſtitium aeſtivum peragi conſueviſſe: de quo vide eumdem Scaligerum ibid. IV. p. 242. Quamobrem videtur, Neapolitanos ad hoc eamdem anni tempeſtatem pro editione Auguſtalium obſervaſſe, ut propius ad ludorum Elidenſium imaginem accederent. Ex vero itaque Auguſtalia Neapol. vocantur Ἰσολύμπια, nimirum quia & praemio & dignitate aequabant Olympia: hoc amplius, eâdem, ac Olympia, tempeſtate inſtaurabantur.

tur, in ſolſtitium aeſtivum incidebat; idcirco ſtatuendum eſt, annum primum Olympiadis XLIII. inchoaſſe a ſolſtitio aeſtivo anni Ch. 170. Coſſ. Cethego & Claro, ac deſiiſſe in ſolſtitium aeſtivum anni Ch. 171. Coſſ. Severo & Herenniano; hos vero potius Conſules, quam illos, in marmore fuiſſe ſignatos, quia dilata paulliſper conſecratione *ad V. Idus Martias*; novi Conſules qui jam a Kalendis Januariis magiſtratum inierant, non ii qui exceſſerant, notandi erant. Itaque ut unde diſceſſi redeam, Olympias XLIII. Italica decurrere incipit a ſolſtitio aeſtivo anni Ch. 170. Hinc autem ſi retroverſus inſtituas gradum, facta per quadriennium quodque ſtatione; facile comperies, Olympiadem primam incidiſſe in ſolſtitium aeſtivum anni Ch. 2. qui erat annus ſecundus Olympiadis CXCV. Elidenſis, & V. C. 755. Rurſus facto jam initio pentaëteridum Neapolitanarum ab eo anno Ch. 2. neceſſe fuit, ut obſervato quadriennii ſpatio, inſtaurari agon debuerit annis Ch. 6. 10. 14. Ac ſane anno Ch. 14. qui ultimus Auguſti Imp. fuit, edita fuiſſe Neapoli Auguſtalia, egregie oſtendit Scaliger l. c. Fuit igitur is agon, quem Auguſti mors ſecuta nobilitavit, quartus a primi editione, atque adeo quarta Olympias Italica ſive Neapolitana. Porro ſi citeriora tempora per eadem quadrienii intervalla dimenſus fueris; devenies ad annum Ch. 42. qui fuit alter Claudii Imp. annus. Hujus autem inter cetera humanitatis, pietatiſque in ſuos argumenta, quae initio imperii ſui edidit, illud etiam a Suetonio ac Dione commendatur, quod Neapoli *ut privatus* interfuit: & ad fratris memoriam, comoediam *Neapolitano certamine* docuit. Ecquando Claudius advenerit Neapolim, neuter hiſtoricus explicate tradidit; tametſi Caſſius profectionem Caeſaris Neapolitanam eo ipſo anno, quo ſalutatus Imperator fuerat, conſignaſſe videtur. Atqui non fit veriſimile, Claudium, qui exeunte menſe Januario anni Ch. 41. iniit imperium, poſt quinque aut ſex menſes, relicta Româ, ad Neapolitanos ludos circa ſolſtitium aeſtivum edi ſolitos, convolaſſe. Potius eſt ut ſtatuamus, anno inſequente Ch. 42. Claudium *ſtabilito* jam *imperio*, ut loquitur Tranquillus, abdicatoque conſulatu, quem per duos menſes geſſerat, tunc ſatis otii ad peragrandam Campaniam habuiſſe: Dionem vero idcirco in annum ſuperiorem rejeciſſe Auguſti profectionem, obtentu colendae fratris memoriae obitam; quia quae recte ac pie Claudius ab exordio imperii gerere inſtituerat, ſimul una, nec obſervato temporis ordine, complecti voluit. Atque huic rationi non poenitendae adde alteram efficaciorem. In annum Ch. 42. incidebat Olympias XI. Neapolitani certaminis Auguſtei. Itaque Auguſtus tum

ut

ut ſuo deſiderio ſatisfaceret (incenſiſſimo enim ſtudio ad ſpectacula ferebatur) ; tum ut ſe pium erga fratris memoriam probaret, videtur ex oblata occaſione ludorum Neapoli edendorum, peregrinationem eopte anno ſuſcepiſſe. Jamvero percurre ſecuta tempora, & praeſto tibi aderit annus Ch. 170. quo revera anno Flavius Evanthes Neapoli vicit, Olympiaſque XLIII. ut paullo ante indicio noſtri marmoris oſtendi, incepit. Interim videſis ingentem Neapolitanae inſcriptionis dignitatem ac pretium, per quam origo Olympiadum Italicarum progreſſuſque, amplius latêre non poſſunt.

Nec illud initis Olympiadum Italicarum rationibus incommodat, quod Nero Neapolitano agoni interfuiſſe a Suetonio ac Dione (15) perhibeatur, eo nimirum anno, qui poſtremus Caeſari illuxit, Silio Italico & Trachalo Coſſ. anno vero Chr. 68. Qui annus, incedens medius inter Olympiades Italicas XVII. & XVIII. hoc eſt, inter annos Ch. 66. & 70. aliquantulum a ſerie annorum agoniſticorum exorbitat. At ea difficultas facile difflabitur, ſi ſtatuerimus, Neapolitanos, non opportunitate recurrentis Olympiadis, ſed praeſentia Auguſti ſollicitatos, eo anno Ch. 68. inſtauraſſe agonem; qui in ea ludorum extra ordinem editione adulati videntur dominatricem Neronis cupiditatem, qua Caeſar alicubi morae quinquennalis impatiens, ludos gymnicos ante praeſtitutam (16) diem edere maturavit. Itaque certamen gymnicum anni Ch. 68. non pentaëtericum ex ordine fuit, ſed ad hoc initum, ut praeſenti Auguſto res grata fieret; quemadmodum haud diu poſtea Imp. Tito, in hac urbe agenti, eadem gymnici ſpectaculi ſignificatio anno Ch. 81. extra ſeriem Olympiadum oblata fuit. Atque hoc primum adverſus objectam difficultatem praeſidium occurrit; eſt alterum facilius tutiuſque. Anno Ch. 68. recurrebat tertia editio Agonis Neroniani, qui ab eo Imp. Romae inſtitutus anno Ch. 60. ad tertium Eccleſiae ſaeculum perennavit. Vide Scaligerum de Emend. Temp. V. p. 469. Itaque prima Neronia inſtituta Nerone quartum & Corn. Coſſo Coſſ. anno quarto Olympiadis Elidenſis CCIX. rurſus iterata fuerunt, teſte Euſebio, anno quarto Olympiadis Elid. CCX. hoc eſt anno Ch. 64. Obſervata porro eâdem

(15) Vide loca ſupra pag. 141. recitata.

(16) Suetonius Nerone 21. *Cum magni aeſtimaret cantare, etiam Romae Neroneum agona ante praeſtitùtam diem revocavit.* Et cap. 32. *Certamina deinceps obiit omnia. Nam & quae diverſiſſimorum temporum ſunt, cogi in unum annum, quibuſdam etiam iteratis, juſſit.*

dem quinquennii intercapedine, tertium luſtrum incidebat in annum Ch. 68. quo anno Nerone otiante Neapoli, admodum veriſimile videtur, noſtros homines, nactos temporis opportunitatem, ipſos etiam agitaviſſe Neronia. Quamobrem ſive Auguſti praeſentiam, ſive ejus praecipitem ad gymnica ſpectacula feſtinantiam, ſive denique fortuitam luſtri Neroniani incidentiam aeſtimaveris, multiplices ac ſatis idoneae tibi offerentur cauſae, quamobrem Neapolitani eo anno agonem gymnicum extra ſeriem Olympiadum Italicarum, ſeu Auguſtalium ludorum, exhibuerint.

Atque utinam eadem perſpicuitate, quâ initium Olympiadum Italicarum, etiam finem oſtendere poſſemus! Quamquam, ut quod res eſt, fatear; de exitu certaminum nimis anxie haud eſt allaborandum. Profecto enim, ut certamina publice ederentur, lege, quae ea imperaret, opus erat; at vero quo minus ederentur, non magis alicui interdicto, quam ſtudiis vulgi contrariis imputandum eſt. Itaque prima ludorum editio, plerumque certa eſſe ſolet, ſed exitus ſane quam obſcurus. Nam quis, rogo, deſuetudinem paullatim ac tacite fluentem, indagine cingere & comprehendere certo confidat? Satis igitur erit, ſi Auguſtalium deſitorum epocham rudibus quibuſdam lineamentis adumbrare detur; nam minutiſſime definire, mihi non eſt animus: vel ſic tamen Antoninorum tempora (in quae palaeſtrae occaſum §. ſuperiore conjeci), aliquanto latius vagantia, utrimque premendo, corradendoque, §. ſequenti contractiora dabo.

§. III.

Gymnica ſtudia Neapolitanorum, inveterato Municipii jure, refrixiſſe.

NUper equidem exitum agonis Neapolitani prope deſperaveram invenire; ac ne nunc quidem alicunde meditatus huc deſcendi, quaſi quid habeam magis explorate dicere. At enim cum animadvertiſſem, poſtremam Auguſtalium mentionem ſub Imp. Commodo fieri, ac rurſus primam Coloniae a Neapolitanis quaeſitae ſub Septimio Severo, qui Commodo ſucceſſit, incidere; in eam tandem deveni ſuſpicionem, eumdem hinc palaeſtrae deſinentis, hinc Coloniae incipientis terminum poſſe figi. Profecto nemo mihi hoc eripiet, quin Romanorum cum Neapolitanis conſuetudo paullatim Graeciſmum noſtrae urbis interpolarit; & quo magis eorum jura amicitiae devinciebantur

bantur, eo minus loci Graecanicae relinqueretur inſtitutioni. Tres autem reipubl. Neapol. ſtatus, comparate ad civitatem Romanam, contemplari poſſumus, ſive cum foederata, ſive cum municipium, ſive denique cum Colonia fuit. De foedere Neapolitano (1) nihil certius. Atqui cum foedere contineretur, nihil ſane erat, quamobrem reſiliret a legibus, inſtitutiſque patriis; quandoquidem ſuis uſa legibus, rationes a Romae rationibus alienas habebat: At cum ſubinde Neapolitani per Municipii & Coloniae gradus evaſerunt cives Romani; conſequens fuit, ut Graeciſmi adhuc ibi ſuperſtitis veſtigia, cujuſmodi certe Gymnaſia erant, primum a municipio exſufflata, mox a Colonia abolerentur. In haec poſtrema reip. noſtrae tempora §. ſequenti commentabimur; nunc de Municipii jure, deque Gymnaſiis frigeſcentibus, partite inquiremus. SE-

(1) Apud Livium XXXV. 16. Regis Antiochi legatus in hunc modum Romanorum legato flagitanti, ut civitates Graecae a Rege liberae dimitterentur, exprobrat: *Quî enim magis Smyrnaei, Lampſacenique Graeci ſunt, quam Neapolitani & Rhegini & Tarentini, a quibus ſtipendium, a quibus naves ex foedere exigitis?* Qua calumnia ut ſe Romanus purgaret, *Ab Rheginis* (reſpondet) *& Neapolitanis & Tarentinis, ex quo in noſtram venerunt poteſtatem, uno & perpetuo tenore juris ſemper uſurpato, numquam intermiſſo, quae ex foedere debent, exigimus.* Egregius ſane locus, & ad pernoſcendam *foederis* Neapolitani conditionem apprime idoneus. Non enim *aequum* foedus fuit, quod pares, & neuter neutri cedens, icere ſolebant; ſed prorſus *iniquum*, ſic ut alter in ditione alterius (quemadmodum Livius de Teatibus Apulis IX. 20. refert) eſſet. Eo ſiquidem pertinent Patavini verba: *ex quo in noſtram venere poteſtatem.* Sed & inaequalitatem foederis inde quoque intelligere licet, quod alter ſtipendium alteri & naves debebat. Bellum autem Samniticum in cauſa fuit, quamobrem Neapolitani Samnitibus ſtudentes, adeo graviter acciperentur. Sed mox Neapolitanis in deditionem receptis, triumphatiſque (vide Pighii Annales Mag. Rom. ad annum V. C. 427.) libertas quidem, ſed certis ſub conditionibus, reſtituta fuit. *Foederis Neapolitani* ea occaſione initi meminit Livius (*eo enim*, inquit lib. VIII. 26. *deinde ſumma rei Graecorum venit*); ſed quominus *aequum* fuiſſe intelligatur, onera foederi impoſita vetant. Atque hoc eſt illud *Foedus* Neapolitanum, quod nonnulli Scriptores noſtrates buccis uſque crepantibus objectant, idque tertio quoque verbo, ne quis Neapolim ad civitatem Rom. veniſſe umquam ſuſpicetur, inculcant: Quaſi ſi *venire in Romanorum POTESTATEM* (quae erat conditio foederatarum non aequo jure civitatum) multo honorificentius, quam jure Coloniae aut Municipii *venire in CIVITATEM*, fuerit. In horum igitur ſententiam, honeſtior ancillae pro herili domo laborantis, quam filiae ſibi ſuiſque nentis, locus ac conditio foret. Alia prorſus, eaque praeſtantior, ſententia placuit illi, qui ſic apud Petronium cap. 57. de ſe affirmavit: *Malui civis Romanus eſſe quam tributarius.*

SECTIO I.

Neapolim ex foederata civitate ad Municipium Rom. per legem Juliam evaſiſſe, oſtenditur. Cicero pluribus locis explicatur. Inſcriptio Puteolana inedita ſuppletur, & illuſtratur. Commentum de Neapoli in ſinu Bajano exploditur. Difficilis Strabonis locus enucleatur. Alia vetus inſcriptio producitur & explicatur. Puteolos ex Colonia libertati ſuarum legum circa Syllana tempora reſtitutos. Rurſus Strabo de municipali ſtatu Neapolis locutus, illuſtratur.

AC primum Neapolim ad municipii Rom. jus evaſiſſe, abſque Cicerone foret, plane ignoraremus: is enim unus, quamdiu in foedere perſeverarit, quave porro lege venerit ad civitatem Romanam, edocuit: *Sacra Cereris* (inquit Pro Cornel. Balbo. 24.) *Judices, ſumma Majores noſtri religione confici, caerimoniaque voluerunt, quae cum eſſent aſſumpta de Graecia, & per Graecas ſemper curata ſunt Sacerdotes, & Graeca* (2) *omnia nominata; ſed cum illam, quae Graecum illud ſacrum monſtraret & faceret, ex Graecia deligerent; tamen ſacra pro civibus civem facere voluerunt, ut Deos immortales ſcientia peregrina & externa, mente domeſtica & civili precarentur. Has Sacerdotes video fere aut Neapolitanas aut Velienſes fuiſſe, foederatarum ſine dubio civitatum. Mitto vetera: proxima dico: ante civitatem Velienſibus datam, de Senatus ſententia C. Valerium Flaccum, praetorem urbanum, nominatim ad populum de Calliphana Velienſe, ut ea civis Rom. eſſet, tuliſſe*. Duplex Neapolis ac Veliae ſtatus in Tullii verbis

X

(2) Eo magis inducor, ut hoc marmor Puteolanum exhibeam, quod a nemine quod ſciam, hactenus vulgatum ſit; tametſi palam proſtet in atrio Hoſpitii PP. Capucinorum ſecus mare; quo magis mirandum ſit, oculos praetereuntium effugiſſe. His accedit quod ea epigraphe in locum Ciceronis ſupra laudatum vice commentarii eſſe poſſit, ſic ut altera non mediocriter alterum illuſtret. Forma characterum elegantiſſima eſt, & litterae pro portione paullatim decreſcunt. Marmor bifariam diſſectum eſt, pluribus in medio deperditis; at hodie ſic ferruminatum in pariete pendet, quaſi ſi nihil ibi deſideraretur. Ego vero, quae deeſſe videbantur, ſupplevi; eaque diſcriminis cauſsâ lineis, veluti quadam parentheſi, circumſcripſi. Ceterum omnia ſunt ibi plana, moroſumque interpretem faſtidiunt. *Cnaei Lucceji Pater & Filius Pr.* Litterae PR. plerumque eſſe ſolent vocabuli *Praetoris* initiales. In Coloniis & Municipiis ii, qui ſummae reip. praeerant, dicti quoque *Praetores* comperiuntur. Plinius XVII. 11. meminit Praeneſtinorum *Praetoris*: Livii Epitome lib. LXXIII.

Puteolis in hoſpitio PP. Capuccinorum ſecus mare.

CN CN LVCCEI PATER ET FILIVS PR

SACRA DEMETROS RESTITVERVNT

LVCCEIA CN F POLLA QVIRINI ET LVCCEIA CN F TERTVLLA PIA GALLI

AEDEM DEMETROS ET QVAE CIRCA AEDEM SITA SVNT ET PORTICVS PS RESTITVERVNT

Supplementum

LXXIII. *Praetoris* Nolae Coloniae. At e Luccejis noſtris Pater an Filius *Praetor* fuerit, an potius uterque? Hoc alterum magis placet. Videtur enim, Duumviros Puteolanos aliquanto ambitioſius *Praetores* appellari voluiſſe, aemulatione utique Campanorum; de quibus Cicero Agr. II. 34. *Quum ceteris in coloniis Duumviri appellentur, hi* (Campani) *ſe Praetores appellari volebant*. Pergit inſcriptio: *Sacra Demetros reſtituerunt*. Obſervatio Graeciſmi adeo in Sacris Cereris neceſſaria videbatur, ut in medio Latio graeciſſari oporteret; ut in hac latina epigraphe *Demetros* h. e. *Cereris* nomen graecum infinditur. Appoſite Cicero inquit: *Graeca omnia nominata*. Reſtituere ſacra magiſtratûs erat: ac facile ad Praetorem privatim Sacra Cereris pertinebant. Nam Romae *Praetor* quoque Valerius Flaccus legem de civitate Sacerdoti Cereris dandâ tulit. Intermiſſa autem videntur Puteolis Sacra Cereris, ejuſque templum ſitu ſqualoreque vitium feciſſe, ut neceſſe fuerit, ſacris auctoritate publica reſtitutis, ut Luccejae *Polla*, ac *Tertulla Pia*, prima uxor *Quirini* (aut alîus viri ſimiliter incipientis) altera conjux *Galli*, *pecunia ſua* reſtituerent *aedem & quae circa aedem ſita ſunt, & porticus*. Sic etiam Pelagon, Auguſti libertus, Neapoli Νάον καὶ τὰ ἐν τῷ Νάῳ *templum, & quae in templo ſunt*, dedicavit. Grut. p. XCVIII. 7. Plane geminam huic noſtrae epigraphen mutilam retulit Reineſius Cl. II. 29. ubi legitur: *Pater & Filius . . . . Tertulla reſtituit*. Reineſius indicio alterius inſcriptionis, quam Cl. VII. 15. recitavit, ad Memmios Rufos Patrem & Filium pertinere autumavit: at propius fidem eſt, *Tertullam* Reineſiani marmoris non aliam a Tertulla noſtra fuiſſe.

bis deſignatur: Primus, cum foederatae ambae erant, ex iiſque Sacerdotes Cereris, quibus privatim civitas Rom. dabatur, evocabantur; alter, cum utraque urbs univerſe ad civitatem Rom. pervenit. Sic enim de ambabus loquitur, ut utramque ſimul foederatam eſſe deſiiſſe, non obſcure ſignificet. At enim, opponit Thecae Calam. Scriptor Cl. (cui nihil moleſtius, quam Neapolim aliquando fuiſſe municipium, accidere poteſt) de civitate Velienſibus datâ Cicero teſtatur quidem, de Neapolitanis non item. Verum eamdem utriuſque urbis fuiſſe fortunam, perfacile e ſcopo Oratoris (3) eruitur: Sed ille ideo nominatim de Velienſibus meminit, quia Calliphanam, Sacerdotem Velienſem, producturus erat in medium; tantumdem de Neapolitanis ſine dubio dixiſſet, ſi ei exempla, quae in rem ſuam (4) facerent, e civitate Neapolitana arceſſenda ſuccurriſſent.

Habes jam ex hoc Tullii loco, Neapolim ex foedere ad civitatem Rom.

(3) Cornelius Balbus, Gaditanus homo, accuſatus Romae fuerat, quod, cum civitas Rom. ei data a Pompejo M. fuerat, populus Gaditanus, fundus in leges Rom. factus non fuerat. Ea enim conditione civitas Rom. dabatur foederato populo, ſi modo in leges Rom. fundus fieret. Contendebat contra Tullius, licuiſſe ſemper nonnullos e foederatis populis, ut Sacerdotes Cereris, ad civitatem Rom. elicere. Has autem Sacerdotes fuiſſe ait aut Neapolitanas, aut Velienſes foederatarum civitatum. Sed ut dictis ſuis fidem faceret; ad exempla quae proxime praeceſſerant aetatem ſuam, provocat: *Mitto* (inquit) *vetera, proxima dico: ante civitatem Velienſibus datam, de Senatus ſententia C. Valerium Flaccum, praetorem urbanum, nominatim ad populum de Calliphana Velienſe, ut ea civis Rom. eſſet, tuliſſe*. Inquit *ante civitatem*; ut oſtenderet ſe proxime anteriora civitati datae, tempora percurrere. Quid enim citeriora percurriſſet, cum exempla inde deducta, in rem ſuam non facerent? Poſt enim civitatem datam neceſſe amplius non fuit, ut Sacerdotibus inde accitis, jam *civibus Rom.* cum reliquo populo factis, civitas ultra daretur. Pergit Cicero: *ante civitatem Velienſibus datam*: perinde ac ſi diceret; paullo ante quam Velienſes lege Julia civitatem adipiſcerentur, Calliphana Velienſis Romam, ut Sacra Cereris procuraret, accita fuit: ei tamen civitatem, quamquam e populo foederato fuiſſet, quemadmodum nunc Corn. Balbus eſt, dari, Valerio Flacco Praetore, placuit. Lex autem Julia de civitate lata fuit anno V. C. 663. Valerius Flaccus anno V. C. 655. praeturam urbanam geſſerat. Quamobrem Tullius, cum exempla recentiora, ac paullo ante datam civitatem edita excuteret, eaque e populo Velienſe, non item Neapolitano arceſſenda ſibi darentur, idcirco de Velienſibus meminit; feciſſetque procul dubio mentionem de Neapolitanis, ſi paria ſibi recentiora, ſed ante datam civitatem, exempla, quae de Neapolitanis proderet, oblata fuiſſent.

(4) Vide Adnot. praeced.

Rom. commeaſſe, ſed quo tempore quibuſve conditionibus, idem Orator Cornelianâ 8. patefaciet: *Innumerabiles aliae leges de civili jure ſunt latae: quas Latini voluerunt, adſciverunt; ipſa denique Julia, qua lege civitas eſt Sociis & Latinis data, qui fundi populi facti non eſſent, civitatem non haberent. In quo magna contentio Heracleenſium & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus juris* (al. *foederis*) *ſui libertatem civitati anteferrent*. Cl. Scriptor Th. Calam. redit ad ingenium, & hunc ipſum Ciceronis locum contra Municipium Neapol. confidentiſſime opponit; quaſi ſi deliberantium Neapolitanorum contentio exploratiſſimi argumenti ſit, eos denique libertatem ſui juris civitati Rom. ante tuliſſe; ac non potius ſaepenumero fiat, ut in diſceptando ſententia plurium a ſaniore paucorum ſententia in decernendo vincatur. Res quidem in Senatu Neap. ventilata, ac magnis jactata concertationibus fuit; inde vero argui nequit, repudiatam publice fuiſſe civitatem Romanam. Ceterum etſi Cicero hîc non ſignificet, qui fuerit exitus contentionis; at duobus aliis locis, diſertiſſime a Mazochio in Tabb. Heracl. pag. 489. enucleatis, Neapolitanos priſtini foederis pertaeſos adoptaſſe tandem civitatem Rom. oſtendit. Verum antequam Tulliana loca excutiam, juverit nonnulla de Italiae Statu tunc temporis ante libare.

Quum Livius Druſus animos Italorum ſpe dandae civitatis ſollicitaſſet, neque amplius promiſſis ſtare poſſet; Itali ſpe concepta falſi, ſummo conſenſu atque ardore ad arma concurrerunt; indeque cruentiſſimum illud bellum Sociale vel Marſicum exarſit: quo bello deterritus an fatigatus Romanus, mitiora conſilia agitare in Senatu coepit. Sed ut periti medici in affecto corpore facere ſolent; primum cavendum fuit, ne adhuc integrae Italici nominis partes, contagione luem contraherent, bellumque magis accenderent. Quamobrem anno V. C. DCLXIII. L. Julius Caeſar legem tulit, qua Sociis in fide manentibus, factiſque in leges Rom. fundis, civitatem tribuit. Atque hic primus ad emolliendos ferocientium Italorum animos gradus fuit; mox anno DCLXIV. lata lege Plotia, idem beneficium civitatis cum peregrinis, qui in Italia conſiſtebant, communicatum fuit ſub iis conditionibus, quas Cicero *Pro Archia* 4. retulit: *Si qui foederatis civitatibus adſcripti fuiſſent: ſi tum cum* (lege Italia) *civitas ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent; & ſi ſexaginta diebus apud Praetorem eſſent profeſſi*. Denique anno V. C. DCLXVI. uti colligit Mazochius in Tabb. Heracl. p. 490. vel DCLXX. ut Heinecio Append. ad I. Antiq. Rom. 9. viſum, ipſos Marſos Socioſque rebellantes,

tes, poſitis jam armis, in civitatem acciri placuit. Sic Latini paene omnes, ſociique Italici nominis in civitatem Rom. venere, cum jure ſuffragii, ſub conditione tamen, ut in leges Rom. fundi fierent. Itaque neceſſe fuit Italicis populis, ut ipſi antequam civitatem Rom. optarent, oblatas conditiones excuterent, ac ſerio deliberarent, adipiſci ne civitatem Rom. an in libertate juris ſui permanere, praeſtaret. Diſtractos tunc in contraria ſtudia mihi perſuadeo fuiſſe Socios: diſceptatum quidem certe ea ſuper re Neapoli fuit, uti ex Ciceronis Corneliana 8. vidimus: ſed poſtremo lis, quemadmodum ex ipſo Cicerone Epiſt. 30. lib. XIII. ſignificatur, pro civitate Romana dirempta fuit.

Enimvero Cicero commendaturus Acilio Procoſ. Siciliae L. Manlium, inde capit initium, quod is Civis Rom. factus eſſet; quae nimirum maxima eſſe poterat hominis apud hominem Romanum commendatio. *L. Manlius* (ſcribit modo laud. epiſtola) *eſt Soſis* (cognomine). *is fuit Catinenſis, ſed eſt una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, decurioque Neapoli; erat enim adſcriptus in id municipium ante civitatem Sociis & Latinis datam*. Qua in epiſtola duo ſignificantur, Neapolitanos lege Julia, Manlium lege Plotia, civitatem Rom. conſecutos fuiſſe. Et legem quidem Juliam diſerte non memorat; nam Acilio Procoſ. obſcurum eſſe non poterat, qua lege Socii Latini nominis in civitatem venerint; at vero ne dubium illi relinqueretur, quo pacto Catinenſis homo civitatem Rom. adeptus fuerit, cauſam hanc aperit: *Erat enim adſcriptus in id municipium ante civitatem Sociis & Latinis datam*. Atqui haec eſt ipſiſſima legis Plotiae ſententia, quae civitatem peregrinis dabat ea conditione, *Si qui foederatis civitatibus adſcripti fuiſſent: ſi tum cum civitas ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent*. Ex eo igitur, quod L. Manlius, adſcriptus jam Neapoli conſecutus fuerit lege Plotia civitatem, fit manifeſtum, Neapolitanos paullo ante ad eamdem civitatem lege Julia perveniſſe. Aeſtuarunt quidem noſtri homines in ea deliberatione, fundi necne fierent in leges Romanas: ſed eos dulcedine tandem civitatis Rom. pellectos ad inſtituta aliquot Romanorum commigraſſe, laudata Epiſtola adeo evidenter oſtendit, ut nihil ſupra.

Et tamen ad hanc tantam quaeſitae a Neapolitanis Romanae civitatis evidentiam, ex hoc Ciceronis loco emicantem, incredibile dictu eſt, quantas latebras Cl. Scriptor Th. Cal. quantaque effugia, ne comprehenderetur, inveſtigarit. Ac primo opinatur pag. 454. Neapolim, de quâ hîc Tullius, Syracuſanam eſſe non Italicam: quod nollem

lem doctiſſimo viro excidiſſet. Etenim leges Julia & Plotia, ad quas Cicero intendit digitum, nonniſi ad populos Italicos, homineſque peregrinos, qui domicilium habuiſſent in Italia, reſpiciebant. Quamobrem dubitari non poteſt, quin ea Neapolis, quae lege Julia municipium Rom. facta fuerat, cuique adſcriptus Manlius, civitatem lege Plotia ſibi pepererat, utique in Italia quaerenda ſit: nec alia omnino intelligenda, niſi quae ab ortu montem Veſuvium, ab occaſu Puteolos interjacet: quos limites idcirco definivi, ne quis Neapolim de qua loquimur, cum commentitia neſcio qua Neapoli (5) Bajana con-

(5) Quamvis hanc alteram Neapolim ſeu *Novam urbem* commentitiam, Sanfelicius noſter profligaviſſet; reſtituere tamen, noviſque fulcris tueri adniſus eſt Cl. Scriptor Thecae Calamariae p. 589. ſeq. Ceteroqui ejus argumenta tanti non ſunt, ut hîc iis convellendis immorer. Unus dumtaxat exſtat apud Strabonem locus, qui Bajanae Neapoli favere ad ſpeciem videtur. Strabo, ubi ex vulgi opinione prodidiſſet Cimmerios loca ſubterranea prope Avernum incolere, continuo ſeſe recipiens: *Noſtra vero* (inquit pag 245.) *tempeſtate, cum ſylvam, quae circa Avernum fuit, caecidiſſet Agrippa, & loca aedificiis occupata eſſent, actuſque ab Averno Cumas uſque cuniculus, omnia iſta fabulas eſſe liquido apparuit: cum Coccejus quidem, qui duxit cuniculum illum, & alium a Puteolis ad Neapolim ſupra Bajas tendentem, fere ſecutus ſit fabulam iſtam de Cimmeriis modo relatam*. Sic nimirum Xylander, quem ceteri ſequuntur, Graeca vertens, a ſcopo Geographi aberravit. Strabo enim duo ob oculos habuit dicere 1. Coccejum patefeciſſe cryptam tum Neapolitanam, tum Cumanam. 2. Cumanam eo conſilio ductam ab eo fuiſſe, ut popularem de Cimmeriis ſubterranea incolentibus opinionem ſecutus videretur. Jamvero ut utramque cryptam Strabo diſtingueret, unam ἐπὶ τὴν Νέαν πόλιν, *apud Neapolim*; alteram ἐκ Δικαιαρχίας ἐπὶ ταῖς Βαίαις, *Puteolis ſupra Bajas*, tetendit. De crypta Cumana primum ſe loqui innuit, quia Puteolis, ubi oſtium cryptae patet, deſcribendis verſabatur; mox obiter Neapolitanae injicit mentionem, ut utriuſque cryptae eumdem Coccejum architectum oſtenderet; ſed rurſus de Cumana repetit ſermonem, ut cum eâ fabuloſas de Cimmeriorum ſpecubus narrationes proxime aptaret. Sed ne multis. Geographi locus parentheſi juvandus in hunc modum eſt: Τοῦ Κοκκηίου τοῦ ποιήσαντος τὴν διώρυγα [ἐκείνην τε καὶ ἐπ' Νέαν πόλιν] ἐκ Δικαιαρχίας ἐπὶ ταῖς Βαίαις, ἐπακολουθήσαντός πως τῷ περὶ τῶν Κιμμερίων ἀρτίως λεχθέντι λόγῳ &c. *cum Coccejus, qui duxit cuniculum* [*illumque etiam juxta Neapolim*] *Puteolis ſupra Bajas tendentem, fere ſecutus ſit fabulam iſtam de Cimmeriis modo relatam; ac fortaſſe etiam loco huic antiqua conſuetudine putaverit convenire, ut per foſſas viae ducantur*. Crypta, de qua poſtremo loco Strabo, *Cumana* dicitur, ſed revera ex Averno, nobili agri Puteolani lacu, orditur; rectâque Bajas verſus procedit, donec ad dexteram flectens, ire per ſectum montem Bajano ſinui praeten-

confundat. Sed, ne quid diſſimulem, Scriptor noſter ornatiſſimus difficultatem, quae ex Italica legum Juliae ac Plotiae diſpoſitione ſibi creabatur, perſpexit quidem; attamen ita ſe comparavit, ut quidvis potius a ſe impetrari ſinat, quam ut Neapolim fuiſſe umquam municipium Rom. dicat: hinc non aegre ferret, ſi quis Tullium, diſerte de eo municipio locutum, *vecordem*, *& memoria turpiter labantem* tratentum pergit, & Cumas reſpicit. Hinc Geographus unam eamdemque cryptam deſcripturus, nunc eam *ἀπὸ τοῦ Ἀόρνε μέχει Κύμης*, *ab Averno Cumas uſque*, nunc *ἐκ Δικαιαρχίας ἐπὶ ταῖς Βαΐαις*, *Puteolis ſupra Bajas*, ex aequo repetit. Alterum horum fortaſſe ſatis erat, ſed ad abſolutam cryptae deſcriptionem utrumque neceſſarium. Ergo dum Strabo in his eſſet, diceretque cryptam Cumanam a Coccejo architecto perfoſſam fuiſſe; cryptae quoque Neapolitanae, quippe quae eodem auctore ducta fuerat, curſim meminit hiſce verbis, *καὶ ἐπὶ Νέαν πόλιν*, *apud Neapolim quoque*. Quae verba, ut ſolent eſſe quae obiter dicuntur, quaeque nec ejuſdem ſunt ſententiae neque ab eâ omnino aliena, ſunt *παρενθέσει*, (quam *interpoſitionem* ſeu *interclusionem* Latini dixere) utrimque ſaepienda. Cui figurae grammaticae cum non intendiſſent aciem Strabonis interpretes, Neapolim in vicinia Bajarum commenti ſunt. Creverit is ſinus, quantum vis, aedificiis Romanorum; numquam tamen ideo conficietur, in ſinu Bajano Strabonis aevo coaluiſſe urbem, cui *Neapolis* h. e. *Novae urbis* nomen fuerit. Totus ergo fundus commentitiae Neapolis Bajanae in parentheſi neglecta reſidet; id quod aliis quoque locis interpretandis fraudi fuit; ut in hoc marmore quod nunc exſtat in Muſeo Ducis Nojae Joannis Carafae, quem ſaepe quidem, numquam ſatis pro dignitate laudarim:

ΣΗΜΑ ΦΙΛΕΙΝΩ
ΤΟΥΤΟ ΦΙΛΩ ΔΕΙ ΜΕΝ
ΘΕΡΑΠΟΝΤΙ
ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ ΠΑΣΗΣ
ΕΙΝΕΚΕΝ ΕΥΝΟΙΑΣ

Vulgatum epigramma fuit in Actis litterariis Florentinis anni 1763. num. . . . cum hac Latina verſione: *Monumentum hoc Philino, caro quidem certe ſervo, Hippocrates omnigenae benevolentiae ergo*: moneturque ibidem lector illud *δει*, eſſe loco *δε* vel *δη*. Utrumque ab uſu auctoritateque Graecorum nimis alienum. Nam ubinam quaeſo *δει* pro *δε* aut *δη* comparet? Atqui ſi noſtri homines Graeca recte interpunxiſſent, non erat quamobrem ad hujuſmodi Graeciſmi inſolentiam confugerent. Igitur ſic diſtingue:

Σῆμα Φιλάνῳ [τοῦτο φίλῳ δεῖ μὲν θεράποντι]
Ἱπποκράτης πάσης εἵνεκεν εὐνοίας.

Δεῖ Heſychio eſt *πρέπει*, *decet*, *convenit*. Ergo vertas licet: *Monumentum Philino [debetur hoc quidem amico ſervo] Hippocrates* &c. Utinam Latinis verſibus idipſum exprimere daretur! quandoquidem venuſtas quae ex affinitate vocum *φιλεινος* & *φιλος* oritur, latine deperit. Ea nominis alluſio cum apud Graecos Latinoſque, tum maxime apud Hebraeos frequentiſſima eſt. Exemplis abſtineo. Nec ſolum figurae huic locus

traduceret; ſi quis *turpem in eo antilogiam* reprehenderet (6): niſi quod mox aliquanto mitior factus, vel potius hominum judicia veritus, abſoluto Tullio, ad ſacram anchoram infelicium criticorum confugit, totamque fabam cudit in ſcriba librario, qui verba illa *Ante civitatem Sociis & Latinis datam*, de ſuo penore inſerſerit in Epiſtola: ad ſummam ea Ciceronis eſſe negat. Exceptio ſane futilis ac miſeranda potius, quam repudianda. Num aliter, ſodes, captioſi debitores, quam ejurando debitum, elabi ſolent e manibus?

Sed redeo ad Ciceronem, qui Agraria II. 31. aequando Neapolim cum coloniis ac municipiis, eamdemque diſtinguendo a liberis civitatibus, tantum non exſerta voce clamitat, Neapolitanos priſtinae libertati civitatem Romanam praetuliſſe: *Dixi antea* (inquit) *lege permitti, ut quae velint municipia, quas velint colonias, colonis ſuis occupent: Calenum municipium complebunt, Teanum oppriment, Atellam, Cumas, NEAPOLIM, Pompejos, Nuceriam ſuis praeſidiis devin-*

cus eſt, ubi litterae maxima ex parte conveniunt, ſed & ubi brutus ſonus quantulamcumque ementitur ſimilitudinem. Hanc preſſius ψευδοπαρήχησιν Grammatici dixerunt; quamque in illo Homeri Iliad. B. v.

Φυλείδης, ὃν τίκτε Διῒ φίλος ἱππότα Φυλεύς,

deprehendit Euſtathius pag. 305. Edit. Rom. Ceterum quod Hippocrates *Philinum* ſervum ornatiſſimo τοῦ φίλου, *amici*, praeconio cohoneſtet, id humanitatem domini maxime commendat. Epicurus, teſte Seneca Epiſt. 107. ſervos ſuos vocabat *amicos*, i. e. φίλους. Sed de his hactenus.

(6) Hic eſt accuſationis contra Tullium libellus: *Reponam* (inquit p. 455.) *non levem conjecturam, quam amicorum doctiſſimi etiam probarunt, ut Tullii famae proſpiciam, & ne vecordem & memoria turpiter labantem traducamus: etenim in Orat. pro Balb. ſi fateatur Neapolitanorum majorem partem legem hanc Juliam repudiaſſe, & ibid. Neapolim foederatam dumtaxat urbem appellet, vide ejus verba ſuperius laudata: imo ſi contra ſint tot reliquorum Scriptorum teſtimonia, quae etiam nuper recitavimus, aperte ajentia Neapolim numquam fuiſſe municipium; qui fieri poteſt, ut in ea epiſtola Cicero hanc noſtram urbem longe ante Juliam legem Romanam civilitatem acceptaſſe edicat, & quae mox firmarat ſummus orator, eadem deſtruat? porro qui turpem hanc in eo ἀντιλογίαν aequo animo ferunt, hos de tanto viro contra fas mereri dicas. Igitur ſi importuna verba ab epiſtola eradas, nim.* ante civitatem Sociis & Latinis datam, *res erit integra; quae quidem verba ab ignariſſimo Rom. hiſtoriae Scholiaſte margini olim adſcripta, deinde in ipſius epiſtolae contextum ab librario aeque ἀμούσῳ, injecta ſunt.* Vide quantum Cl. Scriptori noſtro tribuam, qui tranquillo, nec tantillum concitato animo, multiplicem ejus contra Tullium accuſationem recitare ſuſtinui.

vincient ; PVTEOLOS vero, qui NVNC in ſua poteſtate ſunt, ſuo jure, libertateque utuntur, totos novo populo, atque adventitiis copiis occupabunt. Haeret hîc aqua Camillo Peregrinio, ingentis eruditionis, ſubactique judicii viro commendatiſſimo, de quo tum noſtri, tum exteri litterati homines egregie loquuntur & ſentiunt; quamquam hic idem apud Cl. Scriptorem Thec. Calam. non bene audiat, ab eoque vix trioboli aeſtimetur. Verum haec obiter. Haeret, inquam, hîc aqua Peregrinio in *Camp. Fel.* pag. 740. quem de foederato ſtatu Neapolis, deque Puteolorum colonico occupatum, recitatus Tullii locus adeo circumtonuit, ut quid conſilii caperet, non haberet, remque aliis enucleandam permitteret. At vero ab ea difficultate ſe ſe expedivit eruditiſſimus Scriptor Th. Calam. reum pro more agens ſcribam librarium, inſontem illum quidem, ac ſaepe ſine juſta cauſa vapulantem, qui Ciceronis verba temere luxarit. Itaque jubet pag. 456. *Puteolos* eſſe ſubſtituendos, ubi nunc legitur *Neapolis* (7); & contra in loco a Puteolis vacuo, ſupponendam Neapolim. Ridiculum ſane negotium: quaſi ſi loca veterum interpretari, perinde ſit ac latrunculis ludere: ſic ut liceat, vocabula, tamquam calculos luſorios, huc illuc pro opportunitate traducere. Atqui doctiſſimum hominem noſtrum ſaltem particula *NVNC* deterrere ab inferenda vi Tulliano loco potuiſſet: quae particula recte *Puteolis* additur, otioſe *Neapoli* adjuncta fuiſſet. Nam cur Neapolis *Nunc* ſui juris eſſe diceretur, quae jam inde a bello Samnitico liberam fuiſſe conſtabat? Contra Puteoli, quia ex colonia, quae pridem fuerat, priſtinam ſuarum legum haud ita (8) pridem

Y recu-

(7) *Quis enimvero* (inquit pag. 457.) *ſtatim non advertit bina nomina* Neapolim *&* Puteolos *loco non ſuo adſcripta a librariis dormitantibus? quare ſi in propriam ſedem ea remittas, ſcil. ubi illitum eſt* Neapolim, *reponas* Puteolos, *& contra, res eſt integra*.

(8) Id accidiſſe arbitror paullo ante Syllae obitum; de quo Plutarchus in ejus vita prope finem, haec habet: *οὐ μὴν ἐπαύσατό γε τοῦ πράττειν τὰ δημόσια· δέκα μὲν γὰρ ἡμέρας ἔμπροθεν τῆς τελευτῆς, τοὺς ἐν τῇ Δικαιαρχείᾳ στασιάζοντας διαλλάξας, νόμον ἔγραψεν αὐτοῖς, καθ' ὃν πολιτεύσονται*: *A negotiis publicis* (Sylla quamvis abdicatâ dictaturâ) *non abſtinuit, quippe decem ante exitum diebus, quum Puteolanorum diſſenſiones compoſuiſſet, ſcripſit eis leges, quibus rempublicam moderarentur*. Puteolani nimirum in diverſa partium ſtudia diſtracti de legibus diſceptabant; at ni liberi forent, nulla contentio fuiſſet; leges enim, quas major poteſtas imperaſſet, ipſi reveriti ſine controverſia, ac tergiverſatione fuiſſent. Quid autem anſam ſeditionibus dederit, nequeo divinare; niſi quod conjecerim, Puteolanos in eâdem ac ceteros Italiae populos, fuiſſe jactatione-

recuperarant, appoſite *Nunc*, comparate ſcilicet ad Oratoris aetatem, in ſua eſſe poteſtate renuntiantur. Plane contrarium reip. Neapolitanae uſuvenit, quae ab anno V. C. 477. ad foedus Rom. evocata, in libertate juris ſui perſeveravit uſque ad civitatem lege Julia datam Velienſibus (Cic. *Pro Balbo* 24.); donec anno V. C. *663*. lata lege Juliâ poſt nonnullas concertationes (Cic. *Ibid.* 8.) civitatem Romanam accepit (Cic. *Epiſt.* 30. *lib.* XIII.) & quidem antequam lex Plotia anno V. C. *664*. ferretur (Cic. *Ibid.*). Quae cum ita ſint, hic locus, ſi quis alius, videtur eſſe opportunus interdicto Praetoriano *Uti poſſidetis*: Et Puteoli quidem fruantur apud Ciceronis Agrariam II. 31. ſuo jure ac libertate; Neapolis vero eâdem, ac Teanum, Calenum, Atella, Cumae, Pompeji, Nuceria, conditione reip. contenta ſit; quorum populorum alii jure municipii, alii jure coloniae concesserant ...

con-

ne. Anno V. C. *670*. Marſis aliiſque populis rebellantibus civitas Rom. data fuit: ſed civitas eâ ſemper conditione dabatur, ut populus in leges Rom. fundus fieret. Tunc quoque fuit ubi libertas, fuit ubi civitas magis arrideret. Diſceptatum Neapoli fuiſſe occaſione legis Juliae, ante vidimus. Eodem prope aeſtu Puteolanos fluctuaſſe, Plutarchus l. c. innuit. Sed diſpar utrobique exitus fuit; placuit enim Neapolitanis ad civitatem Rom. venire; Puteolani vero libertatem ſuarum legum civitati ante tulerunt. Sed quas leges tunc Puteolani ſibi ſciſcerent, non una erat omnium ſententia. Diſcordes opiniones tandem, uti fit, ad inteſtina odia ac ſeditiones evaſere. Res arbitrio Syllae pro more permiſſa fuit. Nihil enim frequentius in hiſtoria vetere occurrit, quam populos a graviſſimis viris, uſu vel doctrina praeſtantibus, leges queis adminiſtrarentur, flagitaſſe. De Crotonienſibus, Rheginis, Sybaritis, quibus Pythagoras ſcripſit leges, refert Jamblichus in ejus vita cap. 7. Epheſinos quoque memoriae prodidit Laërtius IX. 2. eaſdem preces, etſi irritas, Heraclito detuliſſe. Magnum autem tunc erat Syllae nomen, & maxima ejus in rebuſpub. gerendis experientia. Res igitur arbitrio Syllae permiſſa, bono Puteolanorum ceſſit. Nam ſcriptis ab eo legibus, continuo tranquillitas turbatae civitati reſtituta fuit. Puteolani igitur ſaltem ab anno V. C. *676*. (quo Sylla obiit) uſi ſunt ſuis legibus; *ſuis* inquam; nam quis non *ſuas* dixerit leges, tametſi a Sylla tunc homine privato dictatae fuerint? Nec enim minus Crotonienſes & Rhegini *ſuas* eſſe dicerent leges, quas a Pythagora ſcriptas, auctoritate uſuque ſuo probarunt. Haec ergo Puteolorum fortuna fuit, quam expreſſam quoque habes in laud. Agraria II. *Puteolos vero, qui NVNC in ſua poteſtate ſunt, ſuo jure, libertateque utuntur* &c. Illud *Nunc* non otiatur quidem; ſed appoſite additum a Cicerone fuit, ut non obſcure eâ particulâ innueretur, haud ita pridem immutatum fuiſſe Puteolanae reipubl. ſtatum. Haec autem Tullius Conſul Rullo objectabat anno V. C. DCXCI. Itaque immutatio reip. Puteolanae non

continebantur, ſed peraeque omnes ſub honorifica *Civium Romanorum* nomenclatione veniebant.

Hinc mihi facultas praebetur illuſtrandi uberius locum Strabonis ex lib. V. p. 246. Ibi Geographus, poſtquam praeſentem, qui ſuo tempore obtinebat, reip. Neap. ſtatum edocuiſſet, porro monet, urbem origine Graecam fuiſſe, ſed coactam deinde Campanos, olim inimiciſſimos, loco familiariſſimorum habere. *Campanos* inquit, quos Latinos atque adeo *Romanos* dicere volebat; ſed ut a verbo abeſſet invidia; Graecus homo, quicquid erat calumniae, in *Campanos*, cives utique Romanos, aſtute rejecit. Mox priſtini Graeciſmi veſtigia captat hujuſmodi: Μηνύει δὲ τὰ τῶν δημάρχων ὀνόματα, τὰ μὲν πρῶτα Ἑλληνικὰ ὄντα, τὰ δ' ὕστερα τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀναμὶξ τὰ Καμπανικά· πλεῖστα δ' ἴχνη τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα σώζεται, γυμνάσια καὶ

non longe ab eo anno repetenda videtur. Non citius quidem anno V. C. DCXLIX. (eo enim anno apud Gruter. p. 207. adhuc ejus coloniae mentio incidit Rutilio ac Mallio Coſſ.) nec ſerius anno V. C. DCXCI. quo tempore conſulatum Cicero gerebat. Medio igitur hoc tempore, quod ab anno V. C. 649. ad 691. excurrit, Puteolorum libertas legum conſignanda eſt. Sed ſi quis hanc epocham limatius expolitam malit; equidem ante quindecim annos, quam Cicero contra Rullum peroraret, Puteolorum libertatem rejicerem; quum ſcilicet anno V. C. 676. Puteolani legibus, a Sylla ſibi dictatis, uti coeperunt. Mecum ſane ſic ſentiet, qui Plutarchi locum cum Tulliano contulerit. Sed unde unde eam epocham ordiri placeat; hoc quidem certum exploratumque eſt, Puteolos in liberarum civitatum cenſum aliquando veniſſe, ſic ut patientia lectoris abuti ille videatur, qui e loco Agrariae II. 31. Puteolos, *ſuo jure*, (ut Ciceronis aſſueſcam verbis) ac *libertate utentes*, intemperanti critica ductus exturbare tentaverit. Fui aliquanto longior, quam res forte poſtulabat. Sed facti adhuc non poenitet: inde enim ingens lux difficili Taciti loco commodabitur: *In Italia* (inquit lib. XIV. 27.) *vetus oppidum Puteoli jus coloniae & cognomentum a Nerone adipiſcuntur*. Difficultas inde oritur, quod cum Puteoli, ex anno V. C. 560. *colonia* fuerint, quî fieri potuerit, ut rurſus ſub Nerone idem jus coloniae adipiſcerentur? Lipſius nihil hîc habuit explicate dicere: Pighius *novum*; Cellarius *perfectum*, coloniae jus a Puteolis impetratum arbitrantur. At, quod pace tantorum virorum dicam, perperam. Puteoli jam inde a Ciceronis aevo liberi ac in ſua poteſtate erant: ut porro rurſus converſis populi ſtudiis venirent in Romanam civitatem; denuo jus coloniae & cognomentum reſtitutum ipſis oportuit. Exploratum enim eſt, civitates praeſentem fortunam, uti fit, dedignatas, in aliam ſubinde atque aliam, vi vel ſponte, commigraſſe: de quo vide Othonem de Aedil. Colon. & Municip. I. 4. Id non latuit Lipſium; ſed hanc publici ſtatus vertiginem Puteolanis appingere, ſuperſedit.

ἐφηβικὰ (corr. ἐφηβεῖα, καὶ) φρατεία (corr. φρατρίαι), καὶ ὀνόματα Ἑλληνικὰ καί περ ὄντων Ῥωμαίων· *Argumento ſunt magiſtratuum nomina principio Graeca, poſterioribus temporibus Campanica, Graecis permixta. Plurima tamen ibi Graecorum inſtitutorum ſuperſunt veſtigia, ut Gymnaſia, Ephebia, Phratriae, & Graeca nomina, quamvis ſint Romani*. Geographus cum Tullio concinit, innuitque Neapolim, a priſtina Graecanicae reip. forma deſciviſſe; alioquin cur is in veſtigiis Graecis ruſpandis immoraretur, ſi univerſus ſtatus & privatim & publice rempubl. Graecam referret? In cujus rei fidem prodit nomina Magiſtratuum Neapol. Graeca fuiſſe permixta Latinis; illa nimirum ex vetere reip. ſtatu reliqua, haec ex legum Romanarum, in quas Neapolitani fundi facti fuerant, adoptione recens uſurpata. Adminiſtrabatur igitur Neapolis aevo Strabonis partim patriis, partim Rom. legibus: idque temperamentum proprie preſſeque *Municipii* conditionem conſtituebat, quo tum a foederata civitate, cui nullae, tum a colonia, cui ferme univerſae Romanorum imperabantur leges, diſtinguebatur. Ac ſane Neapolim Cicero *Pro Balbo* 24. vetuſtiora lege Juliâ tempora percurrens, *Foederatam civitatem*, at Epiſt. 30. lib. XIII. accommodato ad ſuam aetatem ſtilo, *Municipium* vocat. Sed apprime notanda ſunt verba illa καί περ ὄντων Ῥωμαίων· quibus aperte Strabo docet, Neapolitanos, plurima ex Graeca vetuſta origine invariate retinuiſſe, *quamvis* civitate *Romani eſſent*. In quo conſentientem quoque habet Tullium, a quo L. Manlius *cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus* proditur. Itaque non minus e Strabone quam ex Tullio, utroque vero graviſſimo auctore, liquet, Neapolim ex Graeca foederataque civitate aliquando evaſiſſe *Municipium*, ejuſque cives optimo jure *Romanos* appellatos & habitos. Nam nunc non moror, quae hîc doctiſſimus Scriptor Th. Calam. obgannit p. 446. ſeq. Omnia enim ſunt plane (9) reicula. Nec porro quicquam huic Strabo-

(9) Pauca haec habeas ad ſpecimen. 1. Πρώτερα καὶ ὕστερα non eſſe *priora & poſteriora*, ſed *primaria & ſecundaria*. 2. Ἴχνη σώζεται non vertendum fuiſſe *veſtigia ſuperſunt*, ſed *veſtigia ſervantur*. 3. Καί περ ὄντων Ρομαίων legendum omnino eſſe Καὶ περιόντων Ρωμαίων, & hiſce verbis ſignari *ingentem Romanorum multitudinem Neapoli degentium*. Quorum cum duo priora valde aliena ſunt a ſententia Geographi, tum tertium ſuis rationibus adverſatur. Nam cum περιεῖναι dicatur is, qui non ſolum robore, multitudine, vel alia quavis re per ſe valet, ſed & in comparatione ſuperat alium; parum honorifice mihi dictum videtur, tot Romanos in urbe noſtra verſatos, ut illorum copia Neapolitanum populum ex-

bonianae ſententiae officit, quod Geographus alibi docuerat, Neapolitanos, Rheginos ac Tarentinos ad barbariem cum ceteris Italiotis deſciviſſe negans. Etenim tum alibi, tum praeſertim pag. 94. ſeq. oſtendi, immunitatem trium horum oppidorum a communi barbarie, nonniſi in ſuperantibus ibidem plurimis Graecae inſtitutionis reliquiis, conſtitiſſe. Profecto poterat Romana civitas Municipiorum cum Graecanicis aliquot inſtitutis componi, iiſque praeſertim, quae cum Romanis legibus, in quas fundi Municipes facti fuerant, minime collidebantur; cujuſmodi erant gymnicae, ad quas mihi ſermo convertendus eſt, editiones.

S E C T I O II.

Neapolitanos jam Municipes Rom. operâ peregrinorum agonas edidiſſe. Inſcriptio Graeca illuſtratur. Certamen equeſtre Neapoli. Quid Πένταθλον κρίσεως, Παγκράτιον κρίσεως· Proludia *certaminum.* Κρίσις *dicta dies, qua judicium de athletis ferebatur. Inde ortam videri apud medicos* dierum criticorum *denominationem. Dies* criticus *oppoſite ad* genethliacum, *eſt emortualis. Alia Graeca inſcriptio illuſtratur. Quid* die ſolis naſci & die ſolis judicari. *Pueri athletae Neapolitani comparate ad peregrinos* urbani *dicti.*

QUam praeclara fuerit fortuna gymnaſii noſtri, cum urbs jure Municipii ad civitatem Rom. venerat, dubitare non patitur Strabo, qui cum nonnullis aliis Graeciſmi veſtigiis *Gymnaſia* hîc viguiſſe teſtatur lib. V. pag. 246. & mox eorumdem celebritatem exaggerans inquit: Νυνὶ δὲ πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ᾽ αὐτοῖς, μουσικός τε ϗ γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας, ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα. *Nunc ſacrum quinquennale certamen muſicum & gymnicum per aliquot dies ab ipſis agitur, ludis Graeciae nobiliſſimis aemulum.* Sed & aliquanto poſt fata Strabonis, eadem arbitror exiſtimatione fuiſſe palaeſtram, maxime tempeſtate Neronis, quem Neapoli ſtudiis palaeſtricis inſaniiſſe ſcimus. At mox inclinante primo Chriſti ſaeculo, tum cum Neapolitani homines in civitate Rom. diu multumque inveterarant, opinor paullatim gymnica ſtudia refrixiſſe. Enimvero Romanam gravitatem dedecebat, exercitationibus iis, quae

exceſſerit numero. Tanta ne hinc civium infrequentia, & hinc peregrinorum colluvies? Quî poterat tunc Graeciſmus inter tantam peregrinitatis ſcabiem immunis a barbarie ſervari?

quae ignoratae a priſcis Quiritibus deſpicatui ſunt habitae, delectari: magis id adeo, quod Romani ipſi, tametſi Romam acciverint gymnaſia, peregrinorum tamen operâ palaeſtricas exercitationes edebant. Ad Romanorum autem exemplar ſe ſe videntur compoſuiſſe Neapolitani, quibus, jam erubeſcentibus ipſis in palaeſtram prodire, placuit per peregrinos vicarios haec eadem ſpectacula inſtaurari. Quid plura? profecto in hanc ſententiam conceſſiſſe Neapolitanos, liquido oſtendi poteſt ex noſtra inſcriptione, ubi univerſa Synodus athletarum nonniſi ex Alexandrinis hominibus fuiſſe, comparet. Vide quae pauca dixi pag. 18. Huc etiam facit epigraphe marmorea, quam etſi pag. 29. exhibui, huc tamen illuſtrandam diſtuli, ut loco ſuo id quo de agimus, luculentius appareat, nimirum peregrinos homines ac praeſertim Alexandrinos vice Neapolitanorum in palaeſtra decertaſſe. Eam Pauſylipi proſtare dixi; ideoque diſcriminis cauſa Pauſilypanam cognominabo.

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΑΜΜ·ΑΛΕ
ΣΕΒ·ΚΡΙΣ·ΠΑΝΚΡ
ΣΕΡΑΠΙΩΝ ΠΟΠΛΙΟΥ·ΑΛ
ΑΠΟΒΑΤΑΣ
Α̅ ΠΟΣΤΟΥΜ·ΙΣΙΔΩΡ·ΑΛΕ
ΚΡΙΣΕΟΣΠΕΝΤ

Pulcherrima ſane inſcriptio aetatis quidem non admodum incertae (10), multis nominibus commendanda. I. Ac primum indicio ΣΕΒάςων, liquet hunc lapidem ad Neapolitanorum, quos *Auguſtalia* agitaſſe conſtat, gymnaſium pertinere. II. Praeterea illud quoque obſervatione dignum reor, quod in Gymnaſio Neap. non ſecus ac in Olympico, nomina victorum palam tabulis marmoreis, tum ad athletarum ipſorum praedicationem, tum ad adoleſcentum aemulationem, mandabantur: de quo more nonnulla attigi pag. 29. ſeq. III. Abſque hoc marmore foret, quis Neapolitanos etiam Ἀποβάταις (quod erat equeſtre certamen) ſtuduiſſe perſuaſiſſet, maxime poſt Mauſſaci ad Harpocrationem opinionem, ſolis Athenienſibus ac Boeotis id certamen

(10) Conjectura aetatis hujus marmoris haud aegre duci poteſt ab aetate illius Neapol. inſcriptionis, quae anſam huic noſtro Commentario praebuit, & quam oſtendimus pag. 37. ſeq. ad Trajani atque Hadriani tempora pertinere. Eadem enim utrobique elegantiſſimi characteris forma pingitur, & utrobique Alexandrini palaeſtritae ſiſtuntur. Nulla ergo erit calumnia, ſi parem utrique monumento aetatem tribuerimus.

men adjudicantis? Ecquod autem ludicri genus fuerit *ἀποβάτης*, Etymologici M. auctor in ima ora (11) docebit. IV. Illud quoque ſedulo notatum velim, Graecas inſcriptiones aevo praeſertim Auguſteo Neapoli ſcalptas, non eſſe explorato argumento, vulgus Neapolitanum Graecam linguam uſurpaſſe. Nam haec ſolet eſſe noſtri Cl. Scriptoris Th. Cal. argumentandi licentia, qui ob quatuor vel quinque titulos Graecos recens Neapoli detectos, perſuadere ſed irrito conatu ſatagit, Graecam linguam eo tempore fuiſſe Neapoli vernaculam. Quae opinio ſi ſe uſquam probaret; dicendum pariter foret, Romanam plebem Graece locutam, quandoquidem in ea urbe principe ſane quam plurimi lapides Graeca lingua exarati fuerint: ſunt enim Graeca haec epigrammata maximam partem tribuenda peregrinis, qui vel artem ſuam, vel negotiationem profeſſuri in Italia conſiſtebant. V. Poſtremo quid ſibi vult illud decurtatum ΚΡΙΣ. quod ne incerto luderemur, integris litteris ſcalpitur in ultimo verſu ΚΡΙΣΕΟΣ, pro *κρίσεως*? Muratorius in App. N. Theſ. pag. 2019. *certamen* interpretatur, nihil ultra ſollicitus. Atqui res erat, quae paullo diligentius enuclearetur.

Athletae in ſtadium Olympicum prodituri, per plures ambages antea probandi fuerant ab Hellanodicis; quaeſtioque ſuperbiſſima inſtituebatur, vixiſſent ne probe, atque ut ingenuum decebat, an ſecus. Hinc certaturum praeco circumferebat, populumque, an quis adverſus eum

(11) Α'*ποβαπκῶς* (in hac voce Etymologus, ſed corrige Α'*ποβαπκὸς*, ut mox dicam) · *ἀγῶνος ὄνομα, ἐν ᾧ οἱ ἔμπειροι τοῦ ἐλαύνειν ἅρματα ἅμα θεόντων τῶν ἵππων, ἀπέβαινον διὰ τοῦ τροχοῦ ἐπὶ τὸν δίφρον, καὶ πάλιν κατέβαινον ἀπταίστως* · Apobaticus. *Certaminis nomen in quo qui uſu agendorum curruum valent, currentibus ſimul equis, aſcendunt per rotam in currum, & rurſus deſcendunt innoxie*. Idem prope & fortaſſe periculoſius *Apobatarum* certamen, ac *Equitum deſultorum*. Et *deſultor* quidem inter currendum ex equo in alium equum tranſiliebat, ut ab Homero deſcribitur Iliad. XV. verſ. 683. & in tabula Herculanenſi Tom. III. Pictur. pag. 231. vivis coloribus adumbratur; at *Apobata* pernicitate incredibili, ne currente rota obtereretur, aſcendebat in currum, atque inde alternatim deſiliebat in terram. Pergit Etymologus: Κ*αὶ ἦν τὸ ἀγώνισμα πεζοῦ ἅμα καὶ ἱππέων* · *Eratque certamen pedeſtre & equeſtre*. De *equeſtri* nulli dubium; at *pedeſtre* quoque erat, quia ubi ille deſcendiſſet, jam equi fugientes alio extulerant currum, quem currum ut is aſſequeretur, citatiſſimis pedibus opus erat. Demum Etymologus: Κ*αλεῖται δὲ ἀποβατικῶς ἡνίοχος, ὁ εἰς τοῦτο δηλονότι τὸ ἀγώνισμα ἐπιτήδειος* · Sic legitur in editione qua uſus ſum; ſed lege: Α'*ποβατικὸς, ἡνίοχος ὁ εἰς τοῦτο* &c. Apobaticus *autem vocatur auriga is, qui huic ſcilicet certamini eſt idoneus*. Is in noſtro marmore Α'*ποβάτης* dicitur; ſed quis ignorat non raro primitiva cum derivatis alternare?

eum quid haberet ferre teſtimonii, exſerta voce rogabat. Vide Fabrum Agoniſt. I. cap. 12. & 17. Athleta autem ſi abiiſſet inculpatus, tunc *probari* dicebatur, ut contra *reprobari*, ſi vixiſſe nequam argueretur. Sic porro athletae probati, per plures menſes detinebantur in gymnaſio, leges athleticas, ne quid contra fas auderent, edocendi. Eo medio tempore exercebantur aſſidue, iiſque certaminibus, quae ad condictam ſpectaculorum diem edituri erant coram populo, proludebant; indeque experimentum Hellanodicae captabant, num athletae idonei eſſent, qui producerentur in publicum; eaque de cauſa proluſiones hujuſmodi Προπεῖραι q. d. *praetentamenta*, dicebantur; quae ſi compoſite & ad artis praeſcripta ceſſiſſent, tunc revera *ἐκκρίνεσθαι admitti* athletae dicebantur; ipſaque prodeundi facultas, ἔκκρισις, *admiſſio*. Contra *ἀπόκρισις* dicebatur *reprobatio*. Haec autem *προγυμνάσματα* ſeu *προπεῖραι*, ſeu *proluſiones*, etſi longe inferioris erant loci, quam certamina ipſa in ſtadio inita, non ſine aliqua tamen commendatione abibant, dignaque interdum ſunt habita, quae cum ipſis victoriis decretoriis ſimul una recenſerentur. Sane Aſclepiades apud Gruterum pag. CCCXIV. plurium certaminum victor, non ſolum ob id praedicatur, quod *ἐν αὐτοῖς τοῖς σκάμμασι στεφανωθεὶς*, *in ipſo ſtadii campo coronatus fuerit*; ſed inde quoque commendatur, quod *καὶ ταῖς* ΠΡΟΠΕΙΡΑΙΣ *τούτων* (*ἀγώνων*) ΠΑΣΑΙΣ *δοκιμασθεὶς*, *& in OMNIBVS horum certaminum PROLVDIIS probatus fuerit*. Quandoquidem autem uſus invaluit, prodendi memoriae poſterorum & *Certamina & Proludia*; neceſſe omnino fuit, in titulis athleticis, ut diſcriminantes notae appingerentur, per quas innoteſceret, num victoriae e certaminibus decretoriis, an e praeludiis relatae fuerint. At enim nihil indicandis victoriis decretoriis erat opportunius, quam vocabulum *κρίσεως judicii*. Verbum *κρίνειν* ejuſque ſoboles, paene athletici peculii evaſerant. Ἔκκρισις, Ἀπόκρισις, Σύγκρισις, notabant *Probationem*, *Reprobationem*, *Commiſſionem* athletarum. Proximum ergo fuit, ut *τὸ* Κρίνειν *judicare*, poſtremo athletarum actui addiceretur, tum cum Agonotheta de ludorum exitu *judicans*, palmas victoribus decernebat. His adde, quod dies certaminum poſtrema ob hoc ipſum prolatum ab Agonotheta *judicium*, Κρίσις dicta ſaepe a Pindaro (12) repe-

(12) Olymp. III. v. 35. Διχόμηνις . . . *μεγάλων ἀέθλων ἁγνὰν* ΚΡΙΣΙΝ, *καὶ πενταετηρίδ' ἅμα θῆκε*, *Luna plena magnorum certaminum ſanctum JVDICIVM*, *& celebritatem quinquennii retulit*. Olympicus agon (ut notat Scholiaſtes ad Olymp. V. 13.) ab undecima die menſis uſque ad ſextam-

reperitur. Quamobrem facile hinc patebit, cur in noſtro marmore Κρίσεως Πένταθλον, Κρίσεως Παγκρατίου dicatur; nimirum ut oſtenderetur, victorias *Pentathli*, ſeu Quinquertii, & *Pancratii* non ex earum genere fuiſſe, quae e *proludiis* intra ſepta gymnaſii reportabantur; ſed utique illas, quas die Κρίσεως, *judicii*, poſtremâ ludorum, Agonotheta *Apollonio Ammonii* filio, & *A. Poſtumio Iſidori* filio, victoribus addixerat. Hinc etiam conjectura duci poteſt, quamobrem, *Serapion* (qui eſt alter e tribus in marmore noſtro memoratis victoribus) adjunctum illud Κρίσεως non gerat: Non geſſit enim; quia ſcilicet verendum non erat, ne ejus victoria decretoria cum proluſoria confunderetur: quandoquidem, ut veriſimile videtur, de *pentathlo* quidem deque *pancratio* intra ſepta gymnaſii, non item de ἀποβάταις, ſive de *equis curſoriis*, qui liberiorem vaſtioremque campum flagitabant, inſtituerentur proluſiones.

Jam facile per ſe quivis intelliget, quanti ad rem gymnicam Neapol. illuſtrandam pretii ſit hoc litteratum marmor. Hinc enim, ut cetera taceam, pateſcit, probationes athletarum proluſioneſque in gymnaſio Neapolitano, aeque ac in Olympico, obtinuiſſe; quo minus mirandum ſit, ſi Strabo Graecus homo Neapolitanum agonem cum nobiliſſimis Graeciae contulerit. Praeterea ex Gruteriana Aſclepiadis inſcriptione tenebamus, moris antiqui fuiſſe, *proluſiones* recenſeri in titulis athleticis; at quo pacto ab iis *decretoria certamina* diſtinguerentur, quis divinare, ſine noſtri marmoris indicio, potuiſſet? Atque haec ad noſtratis inſcriptionis commentarium ſatis eſſe poſſunt; niſi quod antequam hinc abeam, inquirere ſubit, num vera praedicant Medici, dum dies *criticos* aegrotantium a re bellica vel forenſi arceſſunt. Mihi enim, quandoquidem vox Κρίσεως ferme ſignandae athleticae decretoriae ſententiae nata ſit, magis placeret, ejus vocis acceptionem deducere e gymnaſtica; vel eo magis, quod inde etiam alia, eodem pertinentia, ſunt corrivata vocabula. Exempli gratia; ἀθλῆσαι ſic *certare* eſt, ut etiam *aegrotare* ſignificet: Ἀγὼν tum ipſe *conflictus*

Z *athle-*

tamdecimam agebatur. Sed ſexta decima exſors certaminum erat; nam quinque prioribus diebus certamina ipſa jam erant abſoluta. In hanc autem diem *Judicium* ab Hellanodicis inſtituendum, reſervabatur. Id ipſum & in ceteris Graeciae ludis uſuveniebat; niſi quod non eadem erat ubique certaminum diuturnitas. Pind. Nem. X. 41. ἀγὼν τοι χάλκεος δᾶμον ὀτρύνει ποτὶ θυσίαν Ἥρας, ἀέθλων τε ΚΡΙΣΙΝ, *certamen aereum* (de quo dixi pag. 81.) *ciet populum ad ſacrificium Junonis, & ad ludorum JUDICIUM.*

athleticus, tum *extremum vitae diſcrimen* (13) eſt. Quemadmodum enim in ſtadio poſt obita certamina qui dies illuceſcebat, a *judicandis athletis*, vulgo Κρίσεως vocabatur; qui minus ergo & artis medicae conditoribus primis, Graecis utique hominibus, in re gymnica ab ineunte aetate innutritis, licuit, ubi aeger cum morbo colluctatus eſt, eum diem *Criticum* dicere, qui vel perfectam valetudinem vel mortem decerneret? Sane *Criſis* in utramque partem ſeu proſperam ſeu deteriorem, valet, niſi quod ubi *Criſis* diei *genethliaco* ſeu natali opponitur, neceſſe omnino eſt, ut *obitum* deſignet; quemadmodum cernere eſt in hac vetere inſcriptione.

. . . . . ΝΙΑ ΘΥΓ. . . .
ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ
ΜΝΕΙΑϹ ΧΑΡΙΝ
ΑΓΑΛΜΑ ΕΙΜΙ ΗΛΙ
ΟΥ ΚΑΙ ΓΑΡ ΗΛΙΟΥ
ΗΜΕΡΑ ΕΓΕΝΗΘΗ
ΚΑΙ ΗΛΙΟΥ ΗΜΕΡΑ
ΚΡΙϹΙϹ ΜΟΥ ΓΕΓΟΝΕΝ

quam inſcriptionem, ne aliud ex alio nectens, longo intervallo deflexiſſe a ſcopo videar, infra (14) eo illuſtratum.

Nam

(13) Eſther XIV. 1. Κατέφυγεν ἐπὶ τὸν Κύριον, ἐν ἀγῶνι θανάτου κατειλημμένη, *Confugit ad Dominum, in certamine mortis deprehenſa*. Philoſtratus in Polemone Sophiſta, mihi pag. 540. de gladiatore, ἱδρῶτι ῥεόμενον, καὶ δεδιότα τὸν ὑπὲρ ψυχῆς ἀγῶνα, *ſudore perfuſum & in diſcrimine vitae palpitantem*. Sed & ἀγωνία de certantibus pariter deq. animi anxietate laborantibus, ex aequo dicitur.

(14) Cl. Scriptor Th. Calam. a pag. 301. ad pag. 306. pluribus hanc epigraphem illuſtrat, interpretatuſque ἄγαλμα *victimam*, & Κρίσιν, *martyrium*, ſibi quodammodo placuit, quaſi qui primus *Virginis invictae martyris* detexerit memoriam, ac poſtremo in haec incenſiſſima vota effunditur: *Utinam quo ſub Imperatore martyrium fecerit, & nomen puellae noſcitare datum eſſet, ei martyrum albo inſertae vota nuncuparemus!* Laudo hominis augendae gloriae Sanctorum ſtudioſiſſimi pietatem. Ego vero alia omnia ſentio, nihilque minus hoc marmor, quam Chriſtianam gravitatem ſpirare arbitror: Itaque haud aegre mihi fuerit animum doctiſſimi Scriptoris religione exſolvere, ubi notionem ἀγάλματος & Κρίσεως enucleavero. A poſtremo incipiam. Κρίσις (inquit Galenus Comment. ad aphor. 13. lib. 2.) ὀξύῤῥοπός ἐστιν ἐν νόσῳ μεταβολὴ πρὸς ὑγείαν ἢ θάνατον, Criſis, *eſt repentina in morbo commutatio ad ſa-*

Nam inſtituti mei ratio nunc poſtulat, ut eo, unde me inſolentia vocabuli Κρίσεως detorſerat, redeam. Quod maxime ex lapide Pauſilypano notatum velim illud eſt, quod athletae omnes peregrinae ſunt conditionis, non Neapolitanae; non aliam, opinor, ob cauſam, quam quod Neapolitani jam municipes Rom. facti, per peregrinae conditionis artifices, Romanorum ſcilicet exemplo, ſpectacula gymnica inſtaurabant. Nolo tamen ſic mihi dicta accipias, quaſi noſtros homines, adhuc in aliquo Graeciſmo perſeverantes, omnino excluſerim a palaeſtra; verum hoc ajo, plurimum eo tempore delibatum e

ſanitatem vel mortem. Utra harum notio huic loco conveniat, vel me tacente quivis intelliget. Proxime praeceſſerat mentio *diei natalis*; Ἡλίου ἡμέρᾳ ἐγενήθη (corr. ἐγενήθην) *Die Solis nata ſum*: itaque verba ſequentia, ἡμέρα Ἡλίου Κρίσις μου γέγονεν, tamquam prioribus adverſantia, procul dubio vertenda ſunt, *dies Solis mea Criſis fuit*, h. e. *dies emortualis*. Pluribus hîc, ſed incaſſum, Noſter laborat, ut oſtendat Κρίσιν *martyrium* Chriſtianorum ſignificare. At is plerumque nimis alta ſapit; quo fit ut ejus oculis per caeli ſpatia peregrinantibus, ſaepenumero pedes extra ſemitam efferantur. Profecto notio *Criſeos* non a rei Chriſtianae Scriptoribus, ſed utique a Medicis, ac Genethliacis arceſſenda erat. Horum enim erat, diem, horam, momenta tum nativitatis tum mortis, curioſe adnotare: de qua ſedulitate veterum, vide quae Fabrettus Inſcript. cap. II. p. 96. collegit. Praedictum autem in marmore noſtro fuerat, puellam *die Solis natam fuiſſe*, conſequens eſt, ut ejus *Criſin*, quae in eumdem Solis diem incidit, θάνατον h. e. *mortem* interpretemur. Καὶ γὰρ (inquit Galenus Comment. 3. in lib. 3. Epidem.) ὁ θάνατος ὑπέπτωκε τῷ γενικῷ σημαινομένῳ τῆς Κρίσεως, *Etenim* Mors *ſub generali* Criſeos *ſignificatione comprehenditur*. Jamvero quando a voce Κρίσεως notionem *martyrii* abjudicavimus, facile erit oſtendere, ἄγαλμα non eſſe *victimam*, nec ἡμέραν ἡλίου eſſe *diem Dominicum*. Nam hoc alterum quoque Noſter lectori propinavit: *Ita ut* (inquit pag. 306.) *Chriſtianus titulus ſit virginis invictae, quae & diem natalem & caedem ſubierit die Solis ſive Dominico, ſibique plaudat, perinde ac ſi non fortuito id accidiſſe, ſed Chriſti ſponſi conſilio, quem Solis nomine ſalutatum ubique Sanctorum Librorum Chriſtiani jam addidicerant*. Sed, quod bona pace doctiſſimi viri dixerim, jocus non ex eo captatur, quod *die dominico* nata, eodem poſtea recurrente eſſe deſierit; ſed inde omnino petitur, quod uno eodemque die & in lucem prodierit, & fato ſimul conceſſerit. Hujuſmodi conditio eſt nonnullarum beſtiolarum apud Hypanin fluvium, quae (ut Cicero ex Ariſtotele refert Tuſcul. I. 94) *unum diem vivunt*. Ἐφήμερα Graecis ea de cauſa dicuntur; nos *Dialia* dixerimus, imitatione Ciceronis, qui Caninium Conſulem *Dialem* jocoſe appellavit apud Macrob. Sat. II. 3. VII. 3. quod uno eodemque die magiſtratum iniit & ejuravit. Sed & ejuſdem fati eſſe nonnullae plantae perhibentur. Callidorus apud Plautum Pſeud. Act. I. Sc. I. v. 36.

gymnaſii dignitate, noſtroſque homines, ratos rem gymnicam puerilè eſſe negotium, nonniſi pueros ſuos adhuc ſub palaeſtrae diſciplina erudiiſſe, dum interim & peregrinos homines committebant, & in puerorum certamine ſuos etiam pueros componebant. Hinc orta mihi videtur diſtinctio inter *pueros urbanos* & *peregrinos*. Evanthes in lap. Neap. pag. 150. viciſſe dicitur παιδῶν πολιτικῶν δίαυλον, *puerorum urbanorum iteratum curriculum*. Simul ac audis *pueros urbanos*, animo reputa, fuiſſe in palaeſtra quoque *peregrinos*. Apud Athenaeum V. p. 194. ἱππεῖς πολιτικοὶ ſunt *urbani equites*, comparate ſcilicet ad *peregrinos*, qui paullo ante recenſentur. Itaque ſi in Gymnaſio Neap. pueri *urbani* committebantur, omnino ſequitur, & *peregrinos* committi conſueviſſe. Ceterum ex Romanorum quoque inſtituto fuit, pueros, quorum uſus erat in hujuſmodi ſpectaculis, elici ex Aſia & Graecia. Vide quae in hanc ſententiam Caſaubonus ad Suetonii Calig. 58. & quae Torrentius ad Ner. 12. collegere. Atqui peregrinorum evocatio maxime gymna-

Quaſi ſolſtitialis herba, paulliſper fui,
Repente exortus ſum, repentino occidi.

Becmanus quamcumque herbam intelligit, quae ſolſtitii tempore exoritur nocte, ſed mox calore Solis aduſta langueſcit. Ejuſdem ſpeciei creditur fuiſſe illa planta apud Jonam IV. 10. *quae ſub una nocte nata eſt, & ſub una nocte periit*. Hebraice aliquanto ſignificantius: *filia noctis fuit, & filia noctis periit*. Noſtram vero puellam *filiam diei* dixerimus, quod interdiu nata, interdiu quoque, ſed abeunte die, periit. Ἡμέρα, *dies*, ſtrictioris eſt hîc ſenſus, & pro eo ſpatio quo Sol in horizonte verſatur, accipienda; idcirco expolitionis gratia dicitur Ἡμέρα Ἡλίου, *dies Solis*. Integra locutio fuiſſet: Ἡμέρα παῖς ἡλίου, dies *filia Solis*, quemadmodum vocatur Pindaro Olymp. II. v. 58. ubi Scholiaſtes: ἐπεὶ ὁ Ἥλιος τὴν ἡμέραν γεννᾷ ἀνατέλλων, quandoquidem *Sol diem gignit exoriens*. Ergo ut illuc redeam; videtur puella oriente Sole nata, Sole occidente obiiſſe. Hinc ipſa captat jocum, & ſuam cum Sole ſimilitudinem, inquiens: ἄγαλμα εἶμι Ἡλίου, *ſum ſimulacrum Solis*. Quicquid enim ad exprimendum imitandumque quoquo modo valet, id univerſim Graecis ἄγαλμα dicitur. *Canis*, Heſychio eſt Ἑκάτης ἄγαλμα, *ſymbolum Hecates*; *Diſcus*, Maximo Tyr. diſſert. 18. ἄγαλμα ἡλίου, *ſymbolum Solis*; *Phallum*, Artemid. I. 47. Ἑρμοῦ ἄγαλμα, *Mercurii ſymbolum*; apud eumdem Max. Tyr. diſſert. 38. *Ignis* a Perſis cultus dicitur eſſe *Solis* ἄγαλμα ἐφήμερον, *ſymbolum uno die durans*. Quamobrem nihil hîc myſticum, nihil e Chriſtiana religione hauriendum innuitur; multoque minus puellam, quaecumque ea fuerit, *Chriſti martyrem* renuntiaverimus. Quae puella, ut paucis rem expediam, non aliam ob cauſam ἄγαλμα ἡλίου dicitur, niſi quod unam diem vivens, vivam *Solis*, qui eodem die oritur & occidit, *imaginem* expreſſerit,

gymnaſii rationibus nocuit. Nihil enim artibus aeque noxium accidit, quam ſi iis exercendis e longinquo arceſſantur artifices. Bellicae artes floruere apud Romanos, quamdiu ipſi per ſe bella gerebant, & in legionibus nonniſi cives Rom. militabant. Itaque ſi magnis parva (etſi non parva, quae permagnae erant utilitatis) componere licet; gymnaſii fortuna apud Neapolitanos tum imminui coepit, cum jam cives Rom. per Municipii jus facti in palaeſtram ipſi prodire detrectantes, operâ peregrinorum in gymnicis editionibus uſi ſunt. Quocirca proximum fuit, ut Neapolitanis magis magiſque ad Romanam civitatem accedentibus, gymnaſium apud eos ſitu ſordeſceret in dies; tandem iis ipſis Colonis Rom. factis, ſimul cum reliquo graeciſmo concideret: de quo jam dicendum.

§. IV.

De abolitis Neapoli jam Colonia Aug. Gymnaſiis.

GYmnica ſtudia Neapolitanorum nullo quidem certo ductus indicio Laſena noſter ad Diocletiani uſque tempora deduxit, Diocletianique reſcriptum, quo vacatio a publicis muneribus conceditur athletis iis, qui in antiqua Graecia certaverint, pertinere ad palaeſtram Neapolitanam contra Fabri ſententiam contendit: de quo queſtus ſum pag. 147. Sed eo magis de Laſena miror, quod cum exploratis de gymnaſio Neap. argumentis jam inde a Commodo Imp. deſtitueretur, prodidiſſetque Neapolim ſub ſecutis Impp. evaſiſſe *Coloniam*, non ſe ultro in hanc conjecerit dubitationem, num a tempore Coloniae palaeſtra noſtra ſiluerit. Sane nihil erat magis a Romana gravitate alienum, quam gymnaſiis, quae res erat acceptiſſima Graeculis, indulgere. Vidimus jam Neapolitanos, ubi aliquantulum in Municipii jure, h. e. in aliqua cum Romanis conſuetudine, vixerunt; plurimum auctoritatis derogaſſe gymnaſiis. Porro conſequens fuit, ut iiſdem proxime ad plenam Rom. civitatem per Coloniae jus accedentibus, gymnaſia, non certe lege aliqua vetante, ſed utique populo a Graecanicis ad Romana ſtudia converſo, nauſeanteque palaeſtras, exſulaverint. Hinc exſiſtit difficultas praeſtituendi finem Gymnaſio Neapol. Nam quae deſuetudine exoleſcunt, quis epochâ certa comprehendere quiverit? Attamen cum ſilentium de palaeſtra Neap. inde uſque labitur, unde incipit explicata de Neapoli Colonia mentio; proximum vero videtur, tum primum ceſſaſſe palaeſtram, cum urbs noſtra ad Co-

Coloniae dignitatem evaſit. Quamobrem ſi mihi dabitur oſtendere, Neapolim aliquando Coloniae jus obtinuiſſe, eâdem, puto, ſimul opera patebit, ecquando conticuerit palaeſtra; tum porro quam dabo epocham incipienti Coloniae, idem quoque terminus deſinenti gymnaſio figi poſſe videbitur.

At vero nihil ferme apud noſtros Scriptores majore contentione diſceptatum, quam illud eſt; fuerit nec ne Neapolis olim Colonia, an potius in foedere, vel in Municipii jure, perſeveraverit. Hîc autem omnium in utramque partem diſputantium recenſere ſententias, longi eſſet nec neceſſarii laboris: nam praeſtat nunc, quid ipſe ſentiam, paucis aperire. Ergo Coloniam ajo Neapolim exeunte altero Chriſti ſaeculo evaſiſſe: id quod, ut hîc tantiſper de inſcriptionibus antiquis taceam, graviſſima T. Petronii Arbitri auctoritate conficere me poſſe confido. Sed antequam de hoc agam, operae pretium eſt, ut urbem, cui Coloniae nomen vindicavit Petronius, nonniſi Neapolim fuiſſe oſtendam.

SECTIO I.

Urbem Graecam, in qua jam Coloniâ Rom. factâ Petronius coenam Trimalchionis paravit, fuiſſe Neapolim. Dicaearchiam & Puteolos *idem ſignificare oſtenditur. Puteoli numquam Graeca urbs.* Crypta *Neapol. Herculis* Porticus *fort. hodie* Portici. Clivus *in proximo Neapolis. Huc ex urbe indicta* nudipedalia *impetrandae pluviae cauſa. Regio* ad Arcum. *Pinacotheca Neapol. De Petronio Nodotiano judicium. Petronius cum Philoſtrato componitur.* Petronii *Satyrici nomen confictum. Ex idiotiſmis Neapolitanis, is qui Satyrica ſcripſit, proditur Neapolitanus.*

AC primum loco portenti haberi poteſt, quod nemo eorum, qui de Colonia Neapol. pertractarunt (qui ſane fuere non pauci) nemo, inquam, eorum conjecerit oculos in Petronium: tametſi inter omnes jam conveniret, Urbem, ubi coenam Trimalchionis Arbiter appoſuerat, fuiſſe Neapolim. Hanc autem urbem Petronius non uno in loco diſerte *Coloniam* vocarat. Equidem ad hanc teſtatiſſimam ſententiam etſi tacitus optimo jure accedere potuiſſem, tamen ut mox dicenda majorem habeant in ſuadendo fidem, libuit, quae communi ſuffragio probata ſunt, novis adhuc rationibus firmata, ſiſtere lectoribus. Sed enim quaeſtio jam profligata foret, ſi explorata fides Nodotiano

tiano Petronii Codici fuiſſet : ibi enim pag. 32. diſerta fit de urbe Neapoli mentio. At quoniam quamplurimi huic codici fidem, editori Nodotio auctoritatem negant; conandum eſt ex certis Petronii fragmentis, indicia Graecae urbis, quam quaerimus, expiſcari. Ceterum quid de Nodotiano Codice ſentiam, pauca dicam adnot. 8.

Petronius ergo Encolpium, qui primas agit in Satyra, ſic deſperantem inducit cap. 81. *Aufugi judicium, arenae impoſui, hoſpitem occidi, ut inter audaciae nomina mendicus, exul, in diverſorio Graecae urbis jacerem deſertus?* Primus omnium Lipſius indicio paris apud Tacitum loci ductus (1), *Graecam urbem* interpretatus eſt Neapolim. In Lipſiii ſententiam univerſi Petronii interpretes, ſi paucos exceperis, conceſſere. Sed quaecumque ea fuerit, profecto in Campania noſtra (2), & quidem ad litus Tyrrheni maris (3), quaerenda erat.

Jamvero ex litoralibus Graecis urbibus Campaniae, de tribus dumtaxat ſuſpicari ſuccurrit, Neapoli ſcil. Puteolis, & Cumis. Nam etſi pridem univerſi ferme Tyrrheni maris accolae ad Campaniam, ore Graeco ſonarent (4); ſecutis tamen aetatibus noſtra iſthaec Graecia in

(1) Vide Praecidanea Jani Duſae lib. I. cap. 2. qui ingenue fatetur, ſe a Lipſio didiciſſe, *Graecam urbem* Petronii Neapolim eſſe capiendam: Locus autem Taciti, qui utrique facem praetulit, exſtat lib. XV. Annal. *Nam adhuc per domos, aut hortos cecinerat Juvenalibus ludis . . . . Non tamen Romae incipere ſcenas auſus; Neapolim quaſi Graecam urbem delegit.*

(2) Petronius cap. 48. *Nam Sibyllam quidem Cumis ego ipſe oculis meis vidi in ampulla pendere.* Cap. 52. *In praedio Cumano quod eſt Trimalchionis . . . . Incendium factum eſt in hortis Pompejanis . . . . Atrienſis Bajas relegatus.* Cap. 62. *Forte Dominus Capuam exierat ad ſcruta ſcite expedienda.* Cap. 104. *Nam & mihi ſimulacrum Neptuni, quod Bajis . . . notaveram.* Itaque mentio Cumarum, Bajarum, Pompejorum, & Capuae, quemadmodum fidem facit, *Graecam urbem* Petronii in hac noſtra vicinia fuiſſe, ſic erroris eos, qui extra Campaniam quaeſiverunt, inſimulat. Sane fuit, qui *Anconam*, ad mare Hadriaticum urbem ſub urbis Graecae vocabulo latere, ſed perperam, arbitratus eſt.

(3) Petronius cap. 77. *Scaurus cum huc venit, nuſquam maluit hoſpitari; & habet ad mare paternum hoſpitium.* Cap. 81. *Locumque ſecretum & proximum littori maeſtus conduxi.* Hinc arguitur aberraſſe is, qui *Capuam*, ut Cl. Burmannus alicubi, maluit. Capua enim Oſcorum metropolis, & Graeciſmi ſemper impatiens fuit, ac praeterea mediterranea colens, non parum a mari ſubmovetur.

(4) Livius ubi in eo eſt, ut exploret, quid futurum Romanis fuiſſet, ſi Alexander Magnus in Italiam veniſſet, vires Romanorum aeſtimans, *Latium* (inquit lib. IX. 19.) *deinde omne cum Sabinis & Volſcis . . . . & omni Campania . . . . adjunctaque*

in anguſtiores limites redacta eſt (5). Sed & ex hoc urbium ternione Cumae prorſus excludendae ſunt; Trimalchione enim dicente cap. 48. *Sibyllam quidem Cumis ego ipſe oculis meis vidi in ampulla pendere*; ſatis aperte innuitur, coenam prorſus alibi, quam Cumis, inſtructam fuiſſe. Cuinam bono *τὸ Cumis* inculcaretur, ſi quidem Cumis totum coenae negotium tranſigeretur? Ergo reſtat inquirendum, Neapolim ne an Puteolos deſignaverit Petronius. Profecto fuit olim, cum Puteolos mallem. Enimvero etſi *Crypta*, quam memorat Arbiter, propius urbi Neapoli, quam accedat Puteolis; ea tamen, quia inter utramque urbem excurrit, aeque commode ad Puteolos referri poterat. Huc accedebat, quod Petronius urbem Graecam, de qua loquitur, recens Coloniae jus acquiſiviſſe docet. Atqui ſi Satyricus ille foret Petronius, qui ſub Nerone violentas ſibi manus intulit, ut nonnullorum fert opinio; prono alveo ſiueret, Puteolos fuiſſe deſignatos: Puteoli enim paullo ante Petronii exceſſum, Coloniae jus a Nerone impetrarunt, teſte Tacito. Attamen ſi Puteolos hîc intelligeremus, quid Graeciſmo fieret? Petronius autem Graecam urbem omnino ſignificat. Sed aegre eſt, ut in Puteolanis moenibus Graeca veſtigia deprehendamus. Jam ab anno V. C. 560. Colonia Rom. evaſerat. Inſcriptiones nomine publico exaratae, Latine decurrunt; nam privata monumenta non moror. Quid enim vetat, quo minus homo peregrinus in oppido Latino lingua ſua patria utatur? Sed quid multis? ipſum nomen *Puteoli*, Varrone, ac Strabone vel a *putore* vel a *puteis* (6) dedu-

que omni ora Graecorum inferi maris A Thuriis Neapolim & Cumas . . . aut ſocios validos Romanis, aut fractos bello (Alexander) *inveniſſet hoſtes*. Itaque trecenteſimo ferme ante Chriſtum anno univerſam Tyrrheni maris oram a Thuriis Cumas uſque populus Graeci oris inſidebat. Sed cur Patavinus *Puteolos* omiſerit? Vide adnot. 6. Livium exſcripſit Servius ad Aeneid. I. 573. *Quia a Tarento uſque ad Cumas omnes civitates Graeci condiderunt*. Haec olim; at poſtea ſenſim ad Romanorum tum inſtituta tam linguam defecerunt.

(5) Nam, ut miſſis remotioribus, propiora urbi noſtrae oppida percurram, jam Capreae, Surrentum, Stabiae, Pompeji, Herculaneum ejuraverant Graeciſmum; ſi pauca quaedam alicubi exceperis, quae adhuc ex vetere Graecorum conſuetudine ſpiritum ducebant; ut de Capreis Suetonius Aug. 98. *Spectavit aſſidue & exercentes ephebos, quorum aliqua adhuc copia ex vetere inſtituto Capreis erat*.

(6) Strabo lib. V. pag. 245. poſt Bajas *Sequuntur ordine actae* (i. e. littora) *ad Dicaearchiam, & ipſa urbs. Fuit antiquitus navale Cumanorum Dicaearchia, exſtructum in ſupercilio littoris. Sed ſub tempus Hannibalicae expeditionis eo coloniam deduxerunt, urbique* Puteolos *nomen indi-*

deducentibus, Latinum eſt habitum. Vere an ſecus non quaero; ſed hoc ipſo oſtenditur, vulgo perſuaſum fuiſſe, Puteolos origine Latinum potius quam Graecum, fuiſſe oppidum. Tantum abeſt, ut Petronius

indiderunt (*ἀπὸ τῶν φρεάτων*) *a* puteis : *alii a* putore *aquarum totam iſtam regionem ſic dici cenſent ad Bajas uſque & agrum Cumanum*, *quod ſulphuris plena ſit atque ignis*, *& calidarum aquarum*. Duplicem loci fortunam Geographus hîc memorat. Prior illa eſt, quae Hannibalis in Italiam adventum praeceſſit; tum cum *Dicaearchia* vocabatur, eratque Cumanorum navale: de quo convenit cum Livio, qui lib. IX. 19. Graeciam Italicam metaturus, eam a Thuriis Neapolim & Cumas deduxit, nulla de Dicaearchia media inter utramque urbem, aut de Puteolis facta mentione. Nam quî *Dicaearchiae* meminiſſet, ſi tunc locus hic navale quidem, non oppidum erat? aut qui Puteolorum, ſi Alexandri Magni temporibus, quae tunc Patavinus exſequebatur, nondum *Puteoli* exſtitiſſent? Succeſſit altera loci fortuna tempore belli Punici ſecundi, cum Romani, tutandae hujus orae maritimae cauſa, navali Cumanorum quinque millia militum impoſuerunt Liv. XLIV. 13. & mox anno V. C. 559. coloniam deduxerunt Liv XXXIV.45. Tunc ſane, teſte Strabone, *Dicaearchia* in *Puteolos*, conceſſit, ducta vel a putore, vel a puteis nomenclatione. Idem etymon prodidit Varro IV. de L. L. & Feſtus. Utrumque maluit Stephanus in Δικαιάρχια, deducens vocem *Puteolos ἀπὸ τοῦ φρέατος καὶ ὄζειν*, a *puteo* ſimul & *olêre*. Ridicule quidem; ſed adeo Noſter de origine latina Puteolorum perſuaſus erat, ut omnes vocabuli ſyllabas in Latio quaerendas duxerit. Ergo vetus loci nomen, quamdiu navale Cumanorum erat, *Dicaearchia*; recentius, a Romanis deducta coloniâ, *Puteoli* fuit. Hic autem mihi libido inceſſit explorandi, ecquid Romanis in mentem venerit, coloniam ſuam tranſnominare *Puteolos*. Nam quominus a verbo *putere* arceſſam, facit exquiſitiſſima Quiritum a male ominatis vocabulis abſtinentium, religio. Sed nec a *Puteis*, aquarum receptaculis, deduxerim, vel eo maxime, quod *Puteus* & *Dicaearchia* grammaticali ſignificatione diſcordant. Compertum eſt enim, Romanos, cum coloniam aliquo deducerent, nomine loci antiquo abolito, plerumque aliud latinum, ſed idem per interpretationem ſignificans, impoſuiſſe: ut Ποσειδωνία, Ἀθήναιον, Λυκία, a Latinis tranſnominatae ſunt *Neptunia*, *Minervium*, *Lupia*. Id ipſum & Graeci imponendo nomina ſuis coloniis obſervarunt; ut Πευκετία, Αἰθαλία, Ἀγκὼν &c. hoc nominis nactae ſunt, quia tantumdem ſignificarent barbarica nomina *Calabria*, *Ilva*, *Cumerum*. Et alia id genus quamplurima. At interim, inquies, quid ſecuti ſint Romani, *Dicaearchiam* interpretantes *Puteolos*? Equidem in tanta rerum vetuſtarum ignoratione dicam libere quae ſentio. Ac primo arduum haud eſt conjicere, cur Cumani navale vocarint *Dicaearchiam*; nam Feſtum erraſſe puto, qui ex eo dictam arbitratur, *quod ea civitas quondam JVSTISSIME regebatur*. Nam quis ultro ſibi *juſtitiae* praeconium, nullo deferente, ſanus arrogavit? Ne dubites eo nomine vocatam, ſive quia

per *urbem. Graecam* deſignare Puteolos voluerit. Excluſis ergo Cumis atque Puteolis, reliquum eſt, ut de Neapoli, Graeca ſine dubio civitate, cogitemus.

Sane

ibi tribunal *Dicarchae*, ſummi ſcilicet *Juri dicundo praefecti*; ſive quia univerſa *Judicum fora* diſpoſita eo in loco fuerint; eadem puto de cauſa, qua urbs in Thracia prope Abderam dicta fuit *Dicaeopolis*, ac tot in Hiſpania *Medinae*, quae a verbo Heb. *Dun*, (*judicare*) id ſibi nominis quaeſiverunt. Ergo ut uno dicam verbo, *Dicaearchia* idem plane fuerit ac *Dicaſterium* ſeu *Judiciale forum*. Illam autem vocem Graecam quo alio Romani, niſi quo aſſueverant, vocabulo tranſnominaſſent? Aſſueverant enim ipſi locum, ubi Praetor Romae jus dicebat, *Puteal* dicere; ſic ut apud ipſos *adeſſe ad Puteal* idem ac *adeſſe in foro apud judicem* ſonaret. Quod Romani *Puteal*, Graeci φρέαρ, *puteum*, dixere. Romanis autem a prima aetate huic forenſi *Putealis* notioni aſſuefactis, nihil proclivius fuit, quam ut *Dicaearchiam*, commune dicaſterii vocabulum, domeſtica voce *Puteolos* tranſnominarent. Condonandum porro eſt, ſi recens colonorum manus, plerumque e faece populi, qua Roma per colonias ſubinde exonerabatur, conſtans, *Puteolos*, quam patrium *Puteal*, maluerit: condonandum id, inquam, eſt; magis id adeo, quod quemadmodum a *torus* fit *toral* ac *torulus*; ſic praeeunte eadem analogia, a *puteus* fluit *puteal*; quidnî & *Puteolus*. Jamvero ſi quis quaerat, cur *Puteolos* numero multitudinis extulerint; huic contra proponam expediendum, quamobrem proximas *Cumas* Latini pluraliter, Graeci Κύμην ſingulariter, pronuntiarint. Nam haec quidem ad vivum reſecanda non ſunt: ſatis eſt ſi oſtendere mihi utcumque detur, *Puteolos* in voce *Puteal* expreſſos; *Puteal* vero a ſignificatione *Dicaearchiae* non multum abludere: quibus porro gradibus a *Puteal* deventum ad *Puteolos* fuerit, ſuſque deque ducendum reor. Hîc autem non dubito fore pleroſque qui meam hanc *Puteolorum* originationem, ut ut plauſibili, ut mihi videtur, conjectura ſuffultam, argumento tamen apodictico deſtitutam judicaverint. Id ipſum equidem negare non auſim. Sed, ſodes, num veriora atque his tutiora excogitavit is, qui *de Phoenicibus primis Regni Neap. habitatoribus* architectatus eſt commentarium? is autem p. 11. *Puteolos* a rad. Hebr. *Patal* (*luctari*, *decertare*) eo quod Gigantes olim ibi decertaſſent, Strabone nimirum aniles veterum fabulas referente, deducit. Commentum, ut mihi videtur, nimis a longinquo petitum; nam cum hanc Puteolanam regionem hinc Graeci, hinc Oſci, Oſcorumque congeneres Tyrrheni, & non procul inde Latini circumſtetiſſent; quid attinuit, ire in Orientem conſultum Hebraeos, ecquid vox *Puteoli* in eorum lingua ſonaret? Verbum hîc non addam amplius. Nam mihi propoſitum fuerat, oſtendere, illud navale Cumanorum, ex quo coloniâ acceptâ *Puteoli* tranſnominatum fuit, ſic Romanorum & mores & linguam adoptaſſe, ut qui Graecam urbem Petronianam, Puteolis inveſtigare ſatagat, operam mihi ludere videatur. Nec pro aſſerendo urbi Graeciſmo provocaſſe proderit ad Graeca Puteolorum numiſmata ea,

quae

Sane Neapolis, quamquam Municipium Rom. fuerit, ut §. praecedenti oſtendimus; adhuc tamen in aliquo Graeciſmo durabat. Strabo *plurima ibi Graeca veſtigia* lib. V. pag. 246. deprehenderat. Tacitus Annal. XV. Neapolim *tamquam Graecam urbem* a Nerone delectam prodidit. Supereſt adhuc inſcriptio Tito Imp. poſita, de qua dixi plura pag. 109. Ea Graece Latineque ſcalpta fuit; pro utraque ſcil. lingua populi Neapolitani, origine quidem Graeciſſantis, Municipii vero jure, Latinienſis. Atque haec pro Graeciſmo urbis noſtrae ſufficere poſſunt; ſic ut ſi quis Graecam urbem Petronianam interpretetur Neapolim, non ſolum auctoritate veterum fulciatur, ſed etiam Petronium ipſum habeat ſuffragatorem. Profecto ſi a Neapoli abſceſſeris, vix alii urbi indicia, quae in Satyricôn libro Petronii ſuperant, accommodare quiveris. Haec autem indicia duûm ſunt generum; alia extra urbem vagantur, ac veluti terminos agri Neapolitani definiunt, alia ipſam urbem contingunt. De utriſque partite agam, ab exterioribus exorſus.

Petronius cap. 16. *Ego ſum* (inquit) *ancilla Quartillae, cujus vos ſacra ante Cryptam turbaſtis.* Jam viri docti monuerunt, digitum hîc intendi ad Cryptam Neapolitanam, quae ad Occidentale urbis latus perfoſſa, Puteolos progreditur. Hujus Cryptae meminit Strabo lib. V. p. 246. eaque paucis, ſed graphice, a Seneca (7) deſcribitur. Orientalem vero plagam deſignatam habes apud eumdem Petronium cap. 106. *Sed Lycas memor adhuc uxoris corruptae contumeliarumque, quas in HERCVLIS*

quae uni Goltzio poſt homines natos contrectare licuit, praeterea nemini. Profecto in Ducis Nojae Muſeo, quod rectius univerſae Graeciae Italicae gazophylacium appellaris, nulli hujus notae nummi comparent. Ac nuper mihi ſimul cum Barone Dominico Ronchio, viro tum in cetera antiquitate, tum in re nummaria exercitatiſſimo, laudati Muſei loculos excutienti, & utrique noſtrum Puteolanos nummos, ſi qui forte coram ſe darent, curioſe ruſpanti, oblatum numiſma fuit, quod Puteolorum eſſe jactabant. At praeterquam quod ſcriptio admodum fugiens obtutum fallebat, certe hae litterae, ΚΟΟΛΙΤΗ, quae, incertae etiam ipſae, ſed ceteris aliquanto ſunt emicantiores, ſpeciem nummi, quem ad Puteolos referas, excitare nequeunt.

(7) Epiſt. 57. *Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obſcurius, quae nobis praeſtant, non ut per tenebras videamus, ſed ut ipſas.* Nimis ἐμφατικῶς. quaſi tenebrae adeo ſpiſſae craſſaeque, ut palparentur. Nunc alia Cryptae facies: nam depreſſo ſolo, apertiſque alicubi luminibus liberior aëri & praetereuntibus commodior patefacta via eſt. Manet hodiedum priſca *Cryptae* (*Grotta*) denominatio. In titulis Canonicorum S. Eccleſiae Neapolitanae exſtat etiam ille: *S. Mariae Abavalium prope Cryptam.*

CVLIS PORTICV acceperat. Doctiſſimus Burmannus hîc adnotavit: *Niſi intelligamus, in oppido Herculanio, quod Herculeam urbem vocat Naſo, Porticum Herculis fuiſſe, ubi illa acciderint*; & feliciſſime quidem. Ad Orientem urbis non longo intervallo diſtabat oppidum *Herculaneum*, cui pagus, hodie Regis Noſtri praetorio nobilis, vulgo *Portici* dictus ſucceſſit. Apparet autem hanc denominationem pago quaeſitam fuiſſe ex *Herculis Porticu* (8) Petroniana; ut animadvertit etiam

(8) Utinam Petronius, qua parte expoſuerat rem, quam olim in Herculis Porticu geſtam hîc innuit, integer ſuperſuiſſet! ſi nihil aliud hinc quidem certe edoceremur, ecquid Herculaneo poſt ingentem illam Veſuvii ſub Tito cladem factum fuerit. In Petronii Codice, quem Nodotius, ut ipſe ait, Albae Graecae anno 1688. forte detexerat, haec pag. 26. Edit. Coloniae Agrippinae ann. 1691. reperiuntur: *Aberamus: nam Lycurgus ad Herculea Sacra, quae celebrabantur in oppidulo vicino nos duxerat. Quod ut intellexerunt, obviam venerunt veloces, & in Porticu templi occurrerunt*. Scio Nodotium a pleriſque vapulaſſe, quaſi falſas merces extruſerit; ſed aeque compertum habeo, nonnulla veterum monumenta pridem repudiata, nunc in maxima eſſe exiſtimatione. Nonne, ut alia taceam, cenotaphia Piſana tamquam heri aut nudius tertius ſcripta reputantur a Scaligero, probata tamen a Reineſio, luculentiſſimum a Noriſii eruditione commentarium expreſſere? Equidem de ſupplemento Nodotiano adhuc ampliandum cenſeo; eoque magis, quod quae contra Latini in eo ſermonis elegantiam objiciuntur, non omnino defenſione carent. Sed ea res eſſet longioris, quam ut paucis abſolvi poſſet, indaginis. Interim ſi quid pro Nodotio facit, illud in primis eſt, quod prope Herculis Porticum (quam hodie *Portici* dicimus) ſtatuitur *oppidulum*. Hoc autem niſi *Herculaneum* maxime ob injectam *Herculis* mentionem, neſcio quod aliud oppidum hîc comminiſci liceat. Et Herculaneum quidem non incelebre olim oppidum, ingentem deinde ſui jacturam per intervalla fecit. Pars enim ejus moenium ſub Nerone terraemotu collapſa ruit, teſte Seneca Quaeſt. VI. cap. I. Mox Tito imperante Veſuvii torrentibus maxima parte conſepultum ſic jacuit, ut ſe pedibus praetereuntium objecerit inſultandum. Videtur autem poſt eas calamitates Herculaneum, inglorium ac prope ſine ullo nomine evaſiſſe *oppidulum*, ſuperſtite interim Herculis templo ac porticu, quam Sacrorum Herculeorum cauſſa accolae frequentaverint. Ex hac porro Porticu nomen pago *Portici* dicto, qui in ea vicinia ſuccrevit, quaeſitum, puto, fuit. Jamvero quod pagum *Portici* dictum proxime ad antiquum Herculanei oppidum accepiſſe hodie tenemus, id acceptum fortunatiſſimo Carolo III. Hiſp. monarchae genio referendum eſt; qui anno 1738. cum in eo pago ſibi Praetorium exſtrueret, ſepultas Herculanei ruinas in apricum patefecit. Abſque eo fuiſſet; quiſcer tum Herculanei ſitum prodidiſſet, aut quis hodiernum pagum, qui paullo plus ſupra tertium lapidem diſtat Neapoli, antiquis oppidi ruderibus inaedificatum affirmaſſet?

etiam (ne quem laude ſua defraudem) Scriptor Th. Calam. pag. 710. Sed & ad eamdem caeli plagam pertinet alius apud Arbitrum limes, quem deprehendiſſe gratulor. Extremo cap. 44. homines ſui temporis Satyrico ſale perfricans, *Nemo*, inquit, *Caelum Caelum putat*, *nemo jejunium ſervat*, *nemo Jovem pili facit . . . . Antea ſtolatae ibant nudis pedibus in Clivum*, *paſſis capillis*, *mentibus puris*, *& Jovem aquam exorabant*, *itaque ſtatim urceatim pluebat*. Profecto cum Petronius referat, mulieres impetrandae pluviae cauſſa iviſſe nudis pedibus in *Clivum; Clivi* nomine non quemvis collem incerti ſitûs, ſed illum procul dubio, qui vulgo antonomaſtice *Clivus* vocabatur, intelligit. De Clivo Capitolino, omnium ſcil. nobiliore, cogitat Heinſius; vera is diceret, ſi Romae non Neapoli, clivus inveſtigandus eſſet. At in vicinia Neapolis quem alium ciebimus, niſi illum qui hodiedum, *Clivus* dicitur? Neapoli Capuam petentibus ſuperandus quidam collis eſt, qui *Capo di Chino* dicitur, leviter detorta vulgi vitio nomenclatione,

ſet? Profecto majores noſtri aliquanto hinc longius, Pompejos verſus, metati fuerant Herculaneum; & in Tabula Peutingeriana (etſi perperam) XI. an VI. lapide id oppidum diſtare Neapoli traditur. Itaque ſi complementum Nodotianum nil niſi impoſtura ſit; quis rogo Nodotium quinquageſimo anno antequam Herculanei veſtigia hîc detegerentur, quis inquam hominem docuiſſet, ibi, ubi *Porticus* (hodie *Portici*) olim fuit, ſtetiſſe quoque *oppidulum*, conficiendis *Herculeis ſacris* deſtinatum? Sed & eo libentius abſolverim a crimine falſi Nodotium, quo minus ipſe de noſtro & Herculaneo & pago *Portici* cogitabat. Is enim in brevibus textui ſuo ſubjectis animadverſionibus, ſi modo ipſe ſit auctor, ad Petronii *Herculis Porticum* commentatus eſt in hunc modum: *Haec Neapoli aguntur*, *& auctor fingit*: *Romam vero intelligit*, *& de Tibure* oppidulo vicino *loquitur; ubi templum erat Herculi conſecratum*. Perperam quidem: ſed tamen hoc ipſo, Nodotium de Tibure cogitantem, non fuiſſe *Porticus* & *Oppiduli* Herculei artificem, oſtenditur. Mitto alia non minus explorata locorum indicia, quae ex ejus complemento Petroniano deſumpta fidem faciunt, nonniſi e Petronii manu potuiſſe, quae ibi narrantur, proficiſci. At vero non eo uſque Nodotio patrocinor, quaſi qui dederim, ejus Petronium, eſſe omni ex parte abſolutiſſimum opus: Sed ſic ſentio, ex omnibus Petronii editionibus Nodotianam quidem copioſiorem, non tamen eſſe integram. Sunt enim adhuc plura hiulca; & ſaepe tenaciorem verborum ſententiarumque copulam deſideras. Attamen quia codex ille Albae Graecae repertus continua fortaſſe ſerie exaratus erat, longeque plura prae aliis exhibebat, facile Nodotio impoſuit, ut linguâ ejus aliquantulum formatus pro integro ac genuino Petronii fetu exciperetur. Sed, ut paullo ante dixi, ſpinoſiſſimum id genus argumentum diuturnius otium requirit.

tione, quam recte noſtrates Scriptores Latine ſcribentes in *Caput Clivi* caſtigant. Hinc autem jucundum eſt ſcire, in hunc Clivum urbi imminentem Majores noſtros indixiſſe nudipedalia (9). Habes jam Neapolim tribus veluti limitibus, *Crypta*, *Herculis Porticu*, & *Clivo* circumſcriptam, ſic ut eam ex oculis elabi non amplius patiamur.

Sed nec minus explorata ſunt ea indicia, quae propius moenia ipſius urbis contingunt. Ex hiſce autem indiciis primum expungo illud, quod Scriptor Th. Calam. ex Petronii loco praepoſtere intellecto (10) ex-

(9) Fabius Jordanus in MSta Hiſtoria Neap. lib. II. cap. 11. de Collibus Neapolitanis: *Sequitur ad Septentrionem* Caput Clivi, *ob id appellatum, quod Capua Neapolim petentes hinc primum ad mare, ipſamque urbem deſcendere incipiant . . . . Caput* Clivi *appellatum in S. Severini monumentis legi*. Sed olim *Clivus* ἁπλῶς dicebatur. Auctor Translationis S. Athanaſii Epiſc. Neap. §. 6. *Sacerdotes univerſarum Eccleſiarum Liburiae . . . . venientes ad locum, qui dicitur GRVMVM . . . . & deſcendentes CLIVVM per viam quae dicitur TRANSVERSA, poſuerunt ſanctiſſimum corpus in Eccleſia B. Petri*, (fortaſſe quae hodie eſt *S. Petri ad Paternum*) *quae a Neapoli diſtat quaſi tribus ſtadiis*. Habes jam *Clivum* Petronianum in proximo Neapolis; qui praeterea e ſuperſtite adhuc ibi nomenclatione *Pichiuovi*, non alius ab eodem Petroniano colle fuiſſe proditur. Olim agris nimia ſiccitate exareſcentibus *Aquaelicium*, ab aquis eliciendis dictum, indicebatur. Feſtus: *Aquaelicium, cum aqua pluvialis remediis quibuſdam elicitur*. Tunc mulieres catervatim ibant aliquo ſupplicatum, & quidem *nudis pedibus*, indeque is proceſſus vocabatur *Nudipedalia*. Tertullianus Apolog. 40. *Aquilicia Jovi immolatis, Nudipedalia populo denuntiatis*. Hiſce ceremoniis inſtitutae mulieres Neapolitanae, ut ex Petronio liquet, *nudis pedibus* ibant in *Clivum*, & *Jovem aquam exorabant*. Jupiter hic, a quo pluvia impetrabatur, cognomine *Pluvius* fuiſſe arguitur: de quo Tibullus alicubi,

Arida nec PLVVIO ſupplicat herba JOVI.

Hinc locus quidem hujus noſtri, de quo loquimur, *Clivi*, vulgo dicitur *Pichiovi*, corrupta, ni fallor ex τῷ *Pluvio Jovi*, cujus ſimulacrum in *Clivo* dedicatum, feciſſe loco nomen videtur. Qui norit, noſtros homines ex *Clivo* Latino feciſſe *Chino*, is certe minus mirabitur, eoſdem τῷ *Pluvio Jovi* ſubrogaſſe *Pichiuovi*. Atque haec eo conſilio minute volui definire, quo minus dubii relinqueremur, *Clivum*, de quo Petronius, nimirum illum eſſe, qui urbi Neap. a Septentrione imminet.

(10) Scriptor Th. Cal. pag. 710. ex *Platanone* quem memorat Petronius (cap. 126. *Rogavi ancillam, ut in platanona Dominam deduceret*: & cap. 131. *In eumdem platanona deſcendi*) argumentum capit, quamdam urbis noſtrae regionem (*Fiatamone*) hiſce locis deſignari. Sed ſplendide fallitur. Nam quae Petronius a cap. 124. (*Quum haec Eumolpus . . . effudiſſet, tandem Crotona intravimus*) ad finem uſque Satyricon narrat, Crotone quidem, non vero Neapoli tranſacta finguntur.

expiſcatur. Ergo Arbiter cap. 44. *Sed memini* (inquit) *Saſinium: tunc habitabat ad Arcum veterem me puero, piper, non homo*. Burmannus appoſite ad hunc locum animadvertit, gentem *Saſiniam* non ignotam Neapoli fuiſſe. In lapide enim Neapol. apud Gruterum p. 1075. viſitur *L. Saſinius Hilarus*; inde fortaſſe prognatus *Saſinius* Petronianus. Praeterea Regio *Ad Arcum veterem* illa ipſa forſan eſt, quae in vicinia Templi S. Mariae Majoris, ſuperſtite ſcil. vetere nomenclatione, *Ad Arcum* dicitur. In ea regione ſtat hodiedum elegantiſſima Joviani Pontani aedicula, & non procul inde oſtendebantur etiam aetate majorum ejus domus & ambulationes. Certe Petrus Summontius eruditus vir, Pontanique tum nominis tum doctrinae ſtudioſiſſimus, huic verſui Joviani ex Lepidinae Pompa IV.

Verum age, & hoc Conjux (fas eſt) requieſce ſub Arcu

ſubtexuit: *Domum ſuam* (11) *poëta deſignat, quam Neapoli habuit, in celebri urbis regione, quae* Ad Arcum *dicitur*. Ergo gens *Saſinia* Neapolis hoſpita, urbiſque regio *Ad Arcum*, fidem fecerint, Petronium de Saſinio Neapolitano locutum.

Jamvero haec omnia argumenta ludum eſſe dixeris, ſi cum eo conferantur indicio, quod e collatione Petronii cum Philoſtrato lucu-len-

(11) Vide quae de hac domo Pontani diligentiſſimus aeque ac doctiſſimus Robertus de Sarno collegit in Pontani vita pag. 36. Sed non probo, quod vir amiciſſimus denominationem regionis *Ad Arcum* repetat ex fornicatis quibuſdam aedificiis, hodiedum ibi ſtantibus: quae antiquitatem, quantam regioni majores noſtri tribuerunt, tueri ſe potuiſſe negant. Haec autem aedificia recentem architecturam arguunt, illa vero denominatio a vetuſtate commendatur. Enimvero in chartis anni 1390. mentio fit *Sedilis ad Arcum*, ut ex Fabii Jordani MStis lib. I. cap. 32. didici; qui ubi eod. cap. 14. *Plateas & vicos Neap.* exſequitur, haec de regione ſcripſit: *Poſtrema Arcus* (platea) *& S. Mariae Majoris, & S. Petri a Majella ab adjacentibus templis appellata*: quae Jordani verba ad verum regionis ſitum definiendum apprime valent. Sed interim, ni Petronius regionis *Ad Arcum veterem* dictae nomen prodidiſſet, difficile fuiſſet, cauſam inveſtigare; cum videam, de eo inter Scriptores noſtrates non conveniſſe. Summontius a *quatuor Arcubus* in vicinia S. Mariae Majoris, nunc ſolo aequatis, ſed quibus olim ingens turris impoſita fuerit, arceſſit: Tutinus vero, cum nulla vetuſti Arcus ſpecies in ea regione ſibi offerretur, nec pridem ſtetiſſe innoteſceret, cauſam denominationis in *Archontes*, ſupremum in Graeca urbe Neapoli magiſtratum, rejicit; qui in ea regione jus dicendo fecerint, ut regio ipſa *ad Arcum* diceretur: in qua quidem etymologia Noſter ludibrium debet; ſed hoc ipſo tamen vir cetera diligentiſſimus regioni maximam antiquitatem aſſignans, vero propius acceſſit.

lentiſſime eruitur. Quidam nomine Encolpius apud Petronium, ſtatim a coena Trimalchionis, (cap. 81.) *locum ſecretum & proximum LITTORI conduxit:* mox re, quam moliebatur, infecta (cap. 82.) *ad diverſorium tendit*; atque inde (cap. 83.) *in PINACOTHECAM pervenit, vario genere tabularum* (Xeuxidos, Apellis, Protogenis) *mirabilem*. Ibi Eumolpum offendit, importunum ſane poëtam; qui captâ ex tabula, ubi Trojae haloſis depicta erat, occaſione verſificandi, longum carmen ſubito calore mentis effuſum recitavit; ſed ſtatim poenas moleſtae ſuae poëticae facultatis luit; quandoquidem *ex his* (cap. 90.) *qui in PORTICIBVS ſpatiabantur, lapides in Eumolpum recitantem miſerunt*. Tria autem ex hiſce Petronii locis colligenda ſunt. 1. Encolpii diverſorium *littori* maris proximum fuiſſe; 2. in ea regione *Pinacothecam*, 3. & quidem in *Porticibus* patuiſſe. Jam ſi diverſorium Petronii cum eo conducto, quod Philoſtratus Neapoli deſcribit in Exordio Imaginum, contuleris, unum idemque fuiſſe, plane juraveris. Inquit enim Iconographus: Κατέλυον (12) &c. *In conducto autem eram extra moenia in ſuburbio AD MARE vergente, in quo PORTICVS quaedam ad Favonium ventum exaedificata erat tribus puto aut quatuor contignationibus .... maxime PICTVRIS ſplendebat, ſuſpenſis in ea tabulis, quas ut mihi videtur, non ſine maximo labore quiſpiam collegerat*. Viden ut utrumque diverſorium tum Encolpii Petroniani, tum Philoſtrati prorſus unum idemque fuerit? utrumque *ad mare* vergebat; utrobique *porticus*, & ingens *picturarum* copia. Nec illud officit, quod picturae, quas ſane paucas cauſae ſuae inſervituras, deſcribit Petronius, hodie in Imaginibus Philoſtrati deſiderantur. Plures difficultatis hujus reſponſiones ſunt in promptu. Ac primum quis perſuaſerit ſibi, Philoſtratum omnes omnino percurriſſe tabulas? vero ſimilius eſt, eas dumtaxat enarrandas ſuſcepiſſe, in quibus haerentes adoleſcentuli, quos in praeſentia informabat, eruditionem ſuam praeſtolabantur. Praeterea Suidas refert Philoſtratum quatuor Imaginum libros confeciſſe; at nunc duobus ſuperſtitibus, duos alteros deſideramus. Denique, quod palmarium eſſe reor, non eadem fuit utriuſque Scriptoris aetas; Philoſtratus enim, ut paullo poſt oſtendam, longo intervallo Petronii aetatem anteceſſit: itaque ſequiore aetate Pinacotheca noſtra novo additamento locupletior, quam pridem, facta, novas tabulas Petronio objecerit. Cete-

(12) Philoſtratus Neapoli in diverſorio ſive conducto, aeque ac Encolpius, degebat: Κατέλυον enim inquit, *diverſabar*. A verbo καταλύειν eſt κατάλυσις h. e. *diverſorium*; de qua voce dixi pag. 24. & nonnulla alia forte dicentur in Addendis.

Ceterum in pandendis veterum fundorum limitibus, ſatis eſt, ſi fundos ipſos unde unde aperire detur; nihil porro ad rem facere ſemper eſt habitum, ſi ſecus atque olim, inſtructi ſint. Ecquid ergo de tabularum diverſitate ſolliciti ſumus, cum jam de utriuſque diverſorii, deque pinacothecae, ac porticuum, parilitate conſtitit? Quamobrem, cum Philoſtratus porticum ſuam tabulis ornatam Neapoli prodiderit; ibidem quoque Petronianam pinacothecam porticibus itidem contentam, & ad eamdem caeli plagam, atque illa Iconographi, poſitam, non temere puto, metabimur.

Hactenus fortaſſe ceteris, mihi tamen ipſe nondum plane ſatisfeci. Nam quoties vel conſulto, vel ſic ferente caſu, paria nomina locis longe diſſitis ex aequo ſunt impoſita? Equidem magis certa firmioraque eſſe duco, quae ex ingenio, & idiotiſmis loci, de quo quaeritur, argumenta captantur; quae eo magis tuta ſunt, quo minus locorum ingenia variis rerum temporumque vicibus obnoxia ſunt. Enimvero quae Caeſar de Gallorum, Hiſpanorumque, quae Tacitus de Germanorum moribus tanto ante prodidit, adhuc pleraque, traduce veluti genio, ſuperſunt. Sed ut de Neapoli propius dicam; quae dicta factaque leguntur apud Petronium, ea ſic accipias velim, ut Neapolitanus homo nec explicatius dicere potuerit, nec facere libentius. Horatius Epod. V. Neapolim Canidiae veneficiorum in teſtem vocans, ſimul innuit, hujuſmodi mulierculas in urbe noſtra plurimum abundaſſe. Quid autem Petronius? Ipſe quoque veluti ex compoſito colludens cum Horatio, *Strigas puerum mortuum involaſſe* cap. 63. refert; ut mittam jam quae paullo ante cap. 62. de homine in lupum converſo prodiderat. Jamvero apud veteres Comicos occurrunt quidem illiberalia dicta, & convitiorum plauſtra; ſed Petroniana ſic ad imae plebis noſtrae guſtum compoſita ſunt, ut mirum ni ſcurra Neapolitanus ſcribenti Petronio adfuerit. Sane qui Petronianam licentiam cum vulgi noſtri licentia contulerit, vera me dicere, comperiet. Sed & idiotiſmos non paucos in Petronio deprehendes, Italiae reliquae pene incompertos, at Neapoli frequentiſſimos. Safinius, de quo paullo ante, cap. 44. fuiſſe dicitur *piper non homo*. Et hodiedum pariter qui ſagacitate, alacritate & acumine valet, totus eſſe *piper* (*è tutto pepe*) laudatur: contra qui craſſa Minerva eſt, nec aſſurgit umquam nec incaleſcit, is vulgo eſſe *tartufo* (voce ex *terrae tuber* corrupta) inſimulatur; nec ſecus apud Petronium cap. 58. Giton a colliberto Trimalchionis *terrae tuber* traducitur. Praeterea eſt ubi Arbiter dialecto prorſus Neapolitana decurrat. *Videt* (inquit cap. 63.)

manuciolum de ſtramentis factum. Perreptet aliquis, quantum poteſt, Latium ſurſum deorſum; certe nullibi vocabulum illud *manuciolum* pro manipulo expiſcabitur. At ſi Neapolim divertet, ſtatim intelliget, ibi adhuc Petronianum *manuciolum*, leviter in *manucolo* deflexum, perennare.

Atque haec id genus ſunt ſane quamplurima, quae longius nunc perſequi non allaboro. Vel ſic tamen haec pauca, quemadmodum ſpirant Neapolitanae plebis & linguam & genium, ſic aperte produnt, auctorem Satyricôn vel Neapolitanum fuiſſe, vel certe Neapoli innutritum, rem aetate ſua Neapoli geſtam tradere memoriae voluiſſe. Sane de Petronio incerta ſunt omnia, ſcopus Satyrae, aetas, nomen, patria. Adhuc enim digladiantur eruditi viri, *Cajum* ne auctor Imperatorem, an potius *Neronem* Satyrico ſtilo perſtrinxerit. De aetate infra quaeram. Quid quod & de nomine ipſo Scriptoris ambigitur? Alii praenomen *Titi*, alii *Caji* geſſiſſe volunt. Sunt qui *Arbitrum* cognominant, eumque prorſus plerique omnes fuiſſe contendunt, quem Cumis agentem Nero Imp. ad voluntariam mortem adegit; de quo Tacitus Annal. XVI. Sed hic Proconſul Bithyniae & mox Conſul, prodente eodem Tacito, *Cajus Petronius Turpilianus* vocabatur. Alii, negantibus aliis, *Maſſilienſem* affirmant. In tanto opinionum diſſidio mirifice placet quod in mentem Burmanno venit, *Petronii Arbitri* nomen confictum, reputanti. Conjecit autem vir eruditiſſimus in Praefat. Editionis Petronii Amſtelaedamenſis, ſolere libros nonnumquam in fronte gerere nomina eorum, non qui libros ipſos conſcripſerint, ſed qui in ea arte quae conſcribitur, excelluerunt; quemadmodum ſunt *Apicius* de re culinaria, & *Cato* libellus diſtichorum, quos nec Apicius, nec Cato ullus ſuos umquam agnoverunt: Eodem pacto videri, ſalaciſſimum Satyricôn opus inſigniri nomine Petronii Arbitri, non quia is revera auctor fuerit, ſed ut eſſet rerum, quae ibi pertractantur, veluti index & argumentum. Quamvis autem huic conjecturae non plurimum tribuendum Burmannus ipſe cenſuerit; ego tamen nihil & ingenioſius excogitari, & tutius in tanta rerum Petronianarum ignoratione proferri poſſe, reputaverim. Nam ut quam ipſe vocat conjecturam, ego vero graviſſimam judico ſententiam, aliquanto latius exponam; ecquid Ciceronem impulit, ut orationes quas in Antonium ornarat, *Philippicas* inſcriberet, niſi quod, ut ipſis pueris notum, ad Φιλιππικῶν λόγων, quos Demoſthenes contra Philippum habuerat, imitationem concinnatae fuerant? Jam Petronium Coſ. ut Tacitus Annal. XVI. retulit, apud omnes *ignavia*, *luxuſque*

que eruditus ad famam protulerat. Ejus *dicta factaque quanto ſolutiora, tanto gratius accipiebantur*. Ab impudentiſſimo Nerone *elegantiae Arbiter aſſumptus* fuerat. *Levia carmina ac faciles verſus* effuderat. Sed mox variante fortuna, ad mortem voluntariam a Nerone compulſus, *flagitia* hujus *principis ſub nominibus exoletorum, feminarumque perſcribit atque obſignata miſit Neroni*. Hoc autem ſatis ſuperque eſſe poterat, ut libellus ejuſdem prope argumenti, ingeniique (in quo eruditio, elegantia, molliumque verſuum affluentia cum impudentiſſimis flagitiis certabat) pro more imponendi nomina quae rebus convenirent, *Petronius Arbiter* inſcriberetur; quo ſolo titulo propoſito jam lector veluti in anteceſſum monebatur, libellum ſic ornatum, ut ex Petronii officina prodiiſſe, atque adeo ipſius Arbitri manu elaboratus, videretur. Rem acu me, ſed ducente, fateor, manum doctiſſimo Burmanno, tetigiſſe non magis oſtendet rerum omnium, quae ad noſtrum Satyricôn auctorem pertinent, diſcrepantia; quam quod Petronii Neroniani aetas, Petronii Satyrici, ut luculentius paullo poſt oſtendam, aetatem longo intervallo ſuperavit.

Interim Petronio, elegantiae Neronianae arbitro, qui ceteroqui unus ante omnes jure ſuo flagitioſiſſimum libellum vindicare ſibi potuiſſet, excluſo; nunc alium cui opus addicam, habeo neminem. Itaque noſtro homini Satyrico κοσμοπολίτῃ (*mundi incolae*), qui impoſita ſibi aliena perſona latêre voluit (necdum enim pudorem omnem exuerat) huic, inquam, ſi patria aſſignanda foret; equidem non dubitarem ciere Neapolim. Profecto *Urbem Graecam*, quam ſale Satyrico perfricuit, Neapolim fuiſſe, abunde oſtendimus. Jamvero cum ejus linguae idiotiſmi non pauci, ut modo dicebam, ſpirent Neapolitanae plebis ingenium; ecquid ultra morabimur, hominem renuntiare Neapolitanum? His adde quod Satyricus noſter ſcatet ubique graeciſmis, tametſi Latine ſcribat elegantiſſime. Quam quidem elegantiam ſtudio, exercitatione, bonorum librorum imitatione ſibi comparaſſe videtur; & tamen, quia Neapoli, ubi adhuc populus ex parte graeciſſabat, verſaretur; vix praecavere potuit, quin interdum a vulgari ſermone, veluti torrente quodam, uti fit, abriperetur.

SECTIO II.

Petronii de Colonia Neapoli teſtimonia.

Neapolim evaſiſſe Coloniam Baſilicam, ſed non ante Hadriani Imp. aetatem. Baſilicam *idem eſſe ac* Auguſtam, *oſtenditur. Neapolitani magiſtratus ex formula Latini oppidi. Strabo explicatur. Epocha Coloniae Neap. cum aetate Petronii concurrit.*

SI cui fortaſſe videar pluribus quam opus erat, in re praeſertim de qua forte nemo dubitaviſſet, inſudaſſe; ſciat id eo a me conſilio factum, quo mihi minus laboris in ſequentibus exhauriendi ſuperfuiſſet. Prope quidem indubium erat, coenam Trimalchionis inſtructam in urbe Graeca Neapoli fuiſſe; in quo certe qui contra obſtitiſſet, habuiſſem fortaſſe neminem. Sed verendum mihi fuerat, ne iidem ipſi, quos mihi ſuffragatores augurabar, auditis porro, quae ex aſſerto urbi Neapoli Graeciſmo Petroniano, conſectaria deduxiſſem, priorem ſententiam repudiantes, mihi rurſus faceſſerent negotium. Conſectaria quae dico ſunt hujuſmodi: 1. Neapolim evaſiſſe Coloniam Auguſtam. 2. Petronium non aetate Neronis, ut vulgo ſtatuitur, ſed utique ſub Antoninis floruiſſe. 3. Philoſtratum Iconographum ex Antoninorum temporibus, quibus nunc ſiſtitur, ad Neroniana rejiciendum: quae non ſunt vulgaris omnino ſaporis, atque adeo faſtidita non paucis. Quamobrem ſedulo mihi diligenterque adlaborandum fuit, ut Graecam urbem Petronianam in una Neapoli quaerendam, etiam atque etiam inculcarem, ratus facillimi fore negotii, illa alia, huic primum jacto fundamento, immolere atque inaedificare: ac primum ordiar a Colonia Neapoli.

Multus eſt apud veteres recenteſque Scriptores noſtrates de Neapolitana Colonia ſermo, & multa pariter opinionum diſſidia. Mitto vetera, propiora aetati noſtrae perſequar. Noſtris temporibus ingens Mazochius erudite more ſuo hoc argumentum pertractavit, editâ Diatriba de Colonia Neapolitana, quam ad calcem Diſſertationis de Cathedrali Neap. ſemper unica reperire eſt. Succeſſit mox Cl. Scriptor Thecae Calam. qui arbitratus acerrimam Neapolitanis fieri injuriam, ſi quis eos Graeciſmo depoſito ad Romana inſtituta ullo umquam tempore confugiſſe dixerit; totus in id incubuit, ut Mazochiana argumenta convelleret; ſed feliciter an ſecus, ex mox dicendis patebit. Fundus autem Mazochianae ſententiae innitebatur in vetuſtis littera-

tis

tis marmoribus; quorum pleraque vel aetatum charaсteribus, vel certo loci colonici indicio deſtituta, facile criminationibus adverſarii patuerunt; ac praeſertim ille lapis a Pyrrho Ligorio (13) editus (cujus indicio Mazochius Coloniae Neapol. epocham ſub Flaviis Principibus conſignaverat) adeo informis eſt, ut aegre ab ipſo eſuriente Saturno voretur. Eamdem Epocham Mazochianam & ipſe olim (14) ſecutus ſum ad ſpeciem: ſed quae mea eâ de re ſententia foret, alio diſtuli aperire. Huc igitur fidem ſoluturus accedo, & quidem libentiſſime. Nam praeclare mecum eſſe actum arbitror, qui Coloniae Neapol. argumenta non e vetuſtis lapidibus, quorum ratio non omnino (15) ne-

(13) Exſtat apud Muratorium p. MCXII. 6. marmor e Ligorio depromptum, in haec verba concinnatum: *L. Baebio L. F. Galer. Cominio . . . Proc. Fiſci Judaici . . . Proc. vehiculorum per Italiam ab Imp. Caeſare Nerva Auguſto.* Quae epigraphe ſi genuina foret, litem de Colonia Neap. de ejuſque datae tempore plane dirimeret. Idem enim hic *Baebius* in alio noſtrate lapide apud Grut. p. CCCLXXIII. 2. adnuntiatur *Patronus Coloniae* Neapolitanae. Ex utroque autem lapide ſimul collato Mazochius eruebat cit. Diſſert. pag. 239. Epocham Coloniae ſub Domitiano eſſe conſignandam: id quod facile perſuaſiſſet, ſi vera Ligorius prodidiſſet. At vero cui ignota hominis ſubleſta fides? In rem vero praeſentem quis ſibi perſuaſerit, Imp. Nervam, qui ſibi honori duxit inſcribere nummis, *Vehiculatione Italiae remiſſa*, & *Fiſci Judaici calumnia ſublata;* hunc porro, inquam, Auguſtum hiſce ipſis vectigalibus exigendis impoſuiſſe Procuratorem Baebium? Hoc enim idem ferme eſſet, ac pugnantia frontibus adverſis ſecum componere .. Scriptor Th. Cal. probe perſpexit hujus a Ligorio confiсti marmoris ἀντιλογίας (*contradiсtiones*); ſed dum Mazochii, quaſi in verba Ligorii jurantis, facilitatem criminatur, non recte facit. Profecto enim Mazochius vir ſagaciſſimus, impoſturam Ligorianae epigraphae olfecit, indeque conceptis hiſce verbis praefatus eſt, *SI VERA LOQVITVR praeſtantiſſimum marmor Ligorianum.* Sane qui adeo parce, ſibique cavens loquitur, oſtendit ſe non plane iis, quae dicuntur, acquieſcere.

(14) Supra pag. 31. ex pluribus *Flaviis*, qui in lapidibus Neapolitanis comparent, conjecturam capiebam, Neapolim ſub Auguſtis *Flaviae gentis* evaſiſſe coloniam. Vide ibi dicta. Verum quia illi Flavii non una omnes aetate, ſed per intervalla temporum, exſtiterunt; ac praeterea quia paene omnes in arte gymnica floruerunt; admodum veriſimile videtur, unum ex alio prognatum, ſpiritus athleticos tradidiſſe nepotibus. Itaque qui Flavii in unum collecti, illam mihi conjecturam excitarunt; nunc diſpertiti ac in ſua quiſque aetate collocati, nihil aliud ſignificare mihi videntur, niſi quod ea gens alium ex alio generando, plures in Gymnaſio Neapolitano ſuffecerit palaeſtritas.

(15) De Colonia Neap. frequens in vett. lap. mentio. Grut. p. CX. 8. ex Panvinio: *Genio Coloniae Neap.* & pag.

negligenda, ſed e Petronio eliciturus, habeam Mazochii adverſarium mecum conſentientem: conſentit enim, Arbitrum de urbe (16) Neapoli locutum. Itaque in alteram partem ſe componat oportet, ut vel quae olim pro urbe Neapoli Petroniana diſſeruit, palinodiam cantans retractet; vel in Neapolitana Colonia tandem aliquando conquieſcat.

Ergo Petronius quemdam nomine Ganymedem ſic infeſta urbi Graecae (quam eſſe Neapolim Sect. I. oſtendimus) tempora incuſantem inducit cap. 44. *Hei, hei, quotidie pejus: HAEC COLONIA retroverſus creſcit, tamquam coda vituli. Sed quare non? Habemus Aedilem trium caunearum, qui ſibi mavult aſſem, quam vitam noſtram.* Trimalchio ille ipſe, apud quem coena inſtructa fingitur, de ſe verba faciens cap. 76. *Mathematicus* (inquit) *venerat forte IN COLONIAM NOSTRAM Graeculus Serapion nomine, conſiliator Deorum.* Antea cap. 57. hanc eamdem urbem *Coloniam Baſilicam* vocarat: ſed hunc locum paullo latius mox extricabimus. Interim nihil his locis explicatius, & ad aſſerendum urbi Neapoli jus coloniae opportunius afferri poteſt. Sed & quamvis Arbiter urbem noſtram non diſerte Coloniam appellaſſet; attamen nomina Magiſtratuum, qui ſunt plane Colonici, & a ceteris Colonis adoptati, Neapolim jam Latinum oppidum factam prodidiſſent. Aetate Strabonis, cum Neapolitani jus Municipii Rom. jampridem acquiſiverant, ſic reſpubl. temperata erat, ut Magiſtratus partim Graecanici, partim Latini forent; quod quam in partem accipiendum ſit, infra (17) dicam. At vero tempore Petronii ma-

& pag. CCCLXXIII. 2. *Senatus Populuſque Neapolitanus L. Baebio L. Fil. Gal. Cominio Patrono Coloniae.* Reineſ. Claſ. VI. 10. ex Capacio: *M. Aurelio Pelagio Patrono Coloniae Neapol. Pientiſſimo.* Auctoritatem hiſce lapidibus Scriptor Th. Calam. p. 432. ſeqq. derogavit, eoſque νοθείας (*falſitatis*) inſimulavit. Nimirum noſter homo eruditiſſimus pro more, quaecumque praeceptae opinioni ſuae incommoda ſunt, falſa ac ſuppoſita traducit. Sic enim ſolens facit.

(16) Quid Cl. Scriptor Th. Cal. de urbe Graeca Petroniana judicaverit, juvat ex ipſo audire. Sic enim p. 709. praefatur: *Scio poſſe in dubium vocari, an ipſa re Trimalchionis coena Neapoli celebrata ſit, praeſertim, cum nullus urbis expreſſe meminerit Petronius in iis, quas habemus Satyrici longiores partes. Verum ipſe bene multa ſelegi, quibus omnis ambiguitas, quin Trimalchio in hac urbe degerit, diſpellatur.* Tum porro indicia urbis Neapolis e Petronio deprompta partite recenſet: ac poſtremo hoc epiphonema ſuccinuit pag. 711. *Interea tot locupletibus argumentis ex Petronio ipſo collectis, Neapoli concelebratam Trimalchioneam coenam, NEMO VNVS poſthac inficiaturus eſt.* Haec poſtrema me plane beant.

(17) Strabo dum in eo eſt, ut Neapolim

magiſtratus ſunt omnes ex formula Latina . *Aedilem* jam vidimus, ubi Ganymedes queritur cap. 44. Neapolim habere *Aedilem trium caunearum:* ſed & *Praetorem* & *Sevirum* ſuo *lictore* ſubornatum habes cap. 55. *Inter haec triclinii valvas* lictor *percuſſit* , *amictuſque veſte alba*, *cum ingenti frequentia comiſſator intravit*. *Ego majeſtate conterritus*,

polim olim Graecam fuiſſe ſuadeat, ſic inquit V. p. 246. Μηνύει δὲ τῶν Δημάρχων ὀνόματα, τὰ μὲν πρῶτα Ἑλληνικὰ ὄντα, τὰ δ᾽ ὕϛερα τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀναμὶξ τὰ Καμπανικά. *Argumento ſunt nomina magiſtratuum principio Graeca*, *poſterioribus temporibus Graecis permixta Campanica* . Quae verba Geographi haud ita ſunt intelligenda, quaſi Graeci pariter Latinique homines reipub. praefuerint, & illi quidem Graece, hi vero Latine acta conficerent; ſed hoc unum ſignificare videntur, magiſtratus Neapolitanorum partim Graecos fuiſſe ex veteris Graeciſmi reliquiis, partim ex latina reip. forma adſcitos . Prioris generis ſunt Δήμαρχος Reineſ. V. 9. Ἀγωνοθέτης, Γυμνασίαρχης Grut. CLXXIII. 8. Γραμματεὺς Capac. Hiſt. Neap. p. 900. Alterius generis ſunt Ἀρχοντικοὶ (*Duumviralicii*) Ἀγορανομικοὶ (*Aedilicii*) Reineſ. V. 9. Ἄρξαντες οἱ Πενταετηρικοὶ (*Quinquennalicii*) Capac. loc. cit. Τιμητικοὶ (*Cenſorii* aut potius *Quaeſtoricii*) Laſen. p. 28. Qui poſtremi, quamvis nihilo ſecius atque illi, Graeca ſpecie in publicum prodeunt, ſunt tamen ex formula latina deſumpti. Videſis album Decurionum Canuſii apud Fabret. Cap. IX. Inſcrip. p. 598. ubi ex ordine recenſentur *Quinquennalicii* , *Duumviralicii* , *Aedilicii* , *Quaeſtoricii* &c. At iidem ipſi in lapidibus noſtratibus Graece efferuntur, quia Graece ſcriptio decurrebat . Equidem nullus dubito, quin tunc temporis Neapoli uterque ſermo & Graecus & Latinus uſurparetur, at vero Latinus magis in familiari conſuetudine obtinuerit . Nam ſive Latina oppida undique Neapoli finitima, quibuſcum mutua commercia agitari neceſſe erat, attenderis, ſive Romanos turmatim in urbem noſtram confluentes, ſive denique leges ipſas, in quas Civitatis Rom. adipiſcendae cauſa Neapolitani fundi facti fuerant, reputaveris, omnino me vera dicere affirmes. Contra vero vox, ut ita dicam, reipublicae, quia ſtatus civitatis nondum plane immutatus erat, Graece ſonabat. Hinc in actis publicis, lapidibus, ac numiſmatis ad tuendam patriae linguae dignitatem ſermo Graecus exarabatur: aut ſi alicubi Graecis Latina permiſceri libuit, ut in bilinguibus lapidibus apud Grut. loc. cit. & p. CCCCXXVIII. 11. cernere eſt, Graeca primas occupabant; indeque nomina magiſtratuum, quae Strabo vocat *Campanica*, etiam ipſa in hujuſmodi publicis monumentis, ut paullo ante vidimus, incudi Graecanicae reddi placuit. Haec olim Geographi tempeſtate. At ubi Neapolis a jure municipii ad jus coloniae accita fuit, magiſtratuum Graecorum nomina cum reipſa evanuerant. Nam Neapolitanis in univerſa Romanorum inſtituta traductis, adhaec occluſâ palaeſtra, abolitiſque certaminibus ac phratriis (quae huc uſque ex vetere Graeciſmo ſupererant) Agonotheta, Gymnaſiarcha, Demarchus, Phretriarchus creari deſierunt.

ritus, Praetorem *putabam veniſſe. Itaque tentavi aſſurgere .... Riſit hanc trepidationem Agamemnon, & contine te, inquit, homo ſtultiſſime. Habinnas Sevir eſt, idemque lapidarius, qui videtur monumenta optime facere.* Trimalchio in elogio poſtibus triclinii fixo inſcribitur *Sevir Auguſtalis* cap. 30. Adhaec collibertus Trimalchionis cap. 57. ſe *Sevirum gratis factum* gloriatur. Ac praeterea, ne quid ad juſtam Latini oppidi imaginem deſideraretur; ne lictor quidem *Securi* armatus pro more Romano deeſt cap. 97. *Publicus vero ſervus, inſertans commiſſuris* ſecures, *clauſtrorum firmitatem laxavit.*

Atque haec diſertiſſima Petronii loca teſtatum abunde faciunt, urbem noſtram aliquando fuiſſe coloniam: ſed & quando coloniae jura a Neapolitanis quaeſita fuerint, idem Petronius pari perſpicuitate ſignificavit. Collibertus (de quo antea) Trimalchionis, nomine Hermeros, cum Aſcylto rixatus, inquit cap. 57. *Annis quadraginta ſervivi, nemo tamen ſcit, utrum ſervus eſſem an liber; & puer capillatus IN HANC COLONIAM veni; adhuc BASILICA non erat facta.* q. d. Cum in hanc urbem veni, nondum *Colonia Baſilica* facta fuerat. Sed quid ſibi vult *Colonia Baſilica?* Silent hîc Petronii interpretes, qui lectorem nuſquam non enecant prolixitate; nec praeterea in quemquam adhuc incidi, qui de *Colonia Baſilica* meminerit. Sed quî memorare potuiſſent, ſi *Baſilicae* notio a Graeciſſante Petronii dialecto ſubſtantiam capit? Graeci nimirum, ut mihi perſuadeo, Coloniam, quam Latini *Auguſtam*, ipſi aequipollente vocabulo dixere *Baſilicam.* Enimvero jam Graeci aſſueverant Auguſtos & Auguſtas ſalutare Βασιλεῖς & Βασιλίδας ſeu Βασιλίσσας. Julia *Auguſta* Severi conjux, Βασιλὶς a Philoſtrato Vita Apoll. I. 3. dicitur. Apud Spanhemium de Praeſt. & Uſ. Numiſm. Diſſert. XII. p. 398. ſeq. nummus Caphyatarum Arcadum exhibet ΑΝΤΩΝΙΝΟΝ ΒΑΣΙλέα, *Antoninum* (Caracallam) *Auguſtum.* Ibidem in nummo Nicaeenſium, Κομμόδου βασιλεύοντος ὁ Κόσμος εὐτυχεῖ, *Commodo Auguſto Orbis felix.* Et alia non pauca id genus ſuccurrunt exempla temporibus, quae Antoninorum aetati ſuccrevere; nam ante id temporis ſunt oppido rara, in nummis praeſertim, ubi Antoninus Caracalla primus fuit, ut obſervat Spanhemius loc. cit. p. 400. qui adnuntietur Βασιλεύς. Ad ſimilitudinem porro *Auguſtorum*, qui a Graecis vocabantur *Baſileis*, puto factum, ut Coloniae *Auguſtae* titulo inſignitae, dicerentur quoque a Graeciſſante populo *Baſilicae. Adhuc* (inquit Petronius) *Colonia Baſilica non erat facta;* hoc eſt, nondum ad jus & ad cognomentum *Coloniae Auguſtae* pervenerat. Ut autem urbs aliqua *Auguſtae* titulum gere-

gerere poſſet, ſigillatim impetranda erat Senatus auctoritas, ut inſigni loco Dionis oſtendam Sectione V. ubi etiam ex titulo *Auguſtae* argumentum capiam, Neapolim ante Dionis aetatem evaſiſſe coloniam.

Sed ut hîc aliquid de Epocha coloniae noſtrae attingam, ſedulo animadvertenda ſunt iſthaec Petronii verba: *Puer* (Hermeros) *capillatus in hanc Coloniam veni: adhuc Baſilica non erat facta*. Ex quibus verbis duas aetatum periodos intelligimus, unam, qua primum Hermeros in hanc urbem, nondum coloniam, venerat; alteram, qua, ſuperſtite Hermerote, Colonia Auguſta evaſit. Prior municipalem urbis noſtrae conditionem complectitur; ſecunda ad jus recens datae coloniae pertinet. Vixit igitur Hermeros, atque adeo is, qui ſub Hermerotis ceterarumque Satyrae perſonarum nomine latens, ſua tempora exagitat, Petronius, exeunte Neapoli Graeciſmo, & ineunte Latina Colonia, ferme medius in utriuſque ſtatus confinio. Hinc ſane patet, quamobrem Arbiter, quam cap. 44. 57. 76. diſerte *Coloniam* vocavit, porro cap. 81. *Graecam urbem* ſalutet: Scilicet quia ejus aetas utrique urbis ſtatui interfuit, tum cum *Municipium* Graeci oris exſtiterat, ac mox cum ejurato penitus Graeciſmo, *Colonia* fuit. Profecto non obſcura fugati nuper a Latinis Graeciſmi indicia deprehendes apud Petronium cap. 59. *Ipſe Trimalchio in pulvino conſedit, & cum Homeriſtae GRAECIS VERSIBVS colloquerentur, ut inſolenter ſolent, ille canora voce LATINE legebat librum*. Ex iis autem verbis *ut inſolenter ſolent*, intelligimus, Latinam linguam adeo late ea tempeſtate obtinuiſſe, ut qui adhuc Graece loquebantur, faſtidium vulgo crearent. Jamvero ad oſtendendum ampliorem prae Graeca Latinae linguae uſum, appoſite Trimalchio dixit, ex tribus bibliothecis, quas poſſidebat, duas eſſe latinas, cap. 48. *Et ne me putes ſtudia faſtiditum, tres bibliothecas habeo, unam Graecam, alteras Latinas*. Itaque Petroniana iſthaec argumenta conficiunt, tum Satyrici aetatem incidiſſe, cum tandem aliquando civitas noſtra, depoſito pallio Graeco, togam Romanorum induerit. Quae cum ita ſint; Epocha Coloniae Neapolitanis datae, ſic cum aetate Petronii conſerta eſt, ut de una diſſeri nequeat, quin altera ſimul in eamdem incidat commentationem.

Sed antequam ad Petronii aetatem propius accedam, παρασκευῆς (*praeparationis*) loco id de Coloniae Neap. epocha affirmari tuto poſſe reor, Neapolim Hadriano Imp. nondum ad Coloniae jus ac nomenclationem perveniſſe. Adhuc enim reſpubl. a magiſtratibus Graeca nomina gerentibus adminiſtrabatur; tum ſacra etiam, & certamina ludicra, erant ad inſtitutum Graecorum compoſita. Spartianus de

 Hadria-

Hadriano pag. 13. *Per Latina oppida dictator & aedilis & duumvir fuit. Apud Neapolim Demarchus .... & Athenis Archon fuit*. Hinc manifeſto proditur, Neapolim opponi Latinis oppidis: illic ut in Graeco populo *Demarchus* praeerat, magiſtratus plane Graecanicus, aeque ac *Archon* Athenis: hîc pro more Latinorum *dictator*, *aedilis*, & *duumvir*. Sacra etiam eo tempore Graeca fuiſſe, facile ex hoc altero Spartiani loco poteſt oſtendi: *Antinoum ſuum ... muliebriter* (Hadrianus) *flevit ... Graeci quidem volente Hadriano eum conſecraverunt*. Graeculos quidem, quorum ſemper fuit major ad adulationem impudentia, flectere Imperator potuit, ut catamito ſuo divinos honores decernerent, Romanos vero non item. Sane Graecae fuerunt civitates, quas Antinoi cultui mancipatas prodidit Caſaubonus ad hunc Spartiani locum, & Fabrettus Inſcript. pag. 461. At inter hoſce Graeculos, Antonoi aedituos, adſcribe quoque Neapolitanos. Proſtat enim inſcriptio apud Fabrettum Cap. VI. Inſcript. XVI. pag. 456. poſita *P. Safinati ... Fretriaco Neapoli Antinoiton*. Phratriae, ut alibi dictum, σύστημα (*corpus*) quoddam urbis Graecae Neapolis erat; ſed ſacrum an politicum, nondum conſtat. Alibi id argumentum perſequar. Interim vel ſi dederim, nonniſi politicum fuiſſe; nullum tamen uſquam collegium coaluit, quod non ſacra peculiaria perageret. Ex Phratria igitur Ἀντινοειτῶν noſce cultum Heroi Antinoo a Neapolitanis impenſum. Jamvero de ludis ad genium Graecorum Neapoli inſtructis, gymnicis ſcilicet, nihil eſt quod dubites. Vide dicta §. I. pag. 140. ſeq. ubi gymnicas exercitationes Neapolitanorum ſub Hadriano Imp. editas percurri uſque ad Commodum Imp. quo demum imperante ſiluiſſe palaeſtra Neapolitana videtur. Itaque cum de Epocha Coloniae Neap. quaeritur, ultra Antonini Pii (qui Hadriano ſucceſſit) tempora indago protendenda non eſt. Fruſtra enim oculorum jactus in ulteriora jacerentur, cum a primis uſque temporibus ad Hadrianum uſque, Magiſtratus, Sacra, Ludoſque ad Graecae reip. normam obtinuiſſe Neapoli jam vidimus.

At vero cum audis Neapolim ſub Hadriano Graecam fuiſſe, cave credas, eam in puro putoque Graeciſmo vixiſſe. Quas enim attigi Graecanicas conſuetudines, eae veluti paucae ſunt ex priſtini Graeciſmi naufragio tabulae. Quantam autem ſuae priſtinae reip. jacturam urbs noſtra fecerit, vel illud oſtenderit, quod Strabo V. pag. 246. idipſum oſtenſurus, ex veſtigiis quae adhuc ibi ſupererant, indicia Graeciſmi captat, ſimulque teſtatur Neapolitanos, quamvis jam Romani eſſent civitate, magiſtratibus ſuis Graeca nomina impoſuiſſe partim

tim

tim Graecanica, partim Campanica h. e. Latina: quemadmodum ipſa civitas partim patriis, partim Romanis, in quas Neapolitani civitatem Rom. conſecuturi, facti fuerant fundi, legibus utebatur. Hinc Graeciſmus paullatim periclitari coepit. In publicis enim monumentis Graece exaratis interpretatio Latina addi conſuevit, ut in celeberrimo Titiano lapide vidimus pag. 109. Nomina magiſtratuum quamquam Graeci forent peculii, ſic tamen erant inflexa, ut ea ex Latina republ. arceſſita (18) appareant. Decreta Curiae Graeca quidem decurrunt; attamen ex formula Senatus Romani concinnata (19) ſunt. Annorum characteres nominibus Conſulum (20) diſtinguuntur; menſium partes per Idus & Kalendas (21) explicantur. Quae ſane omnia fluctuantem Graeciſmi conditionem arguunt. Nihil igitur Neapolitanis adhuc reſtabat, niſi ut ejurato penitus Graeciſmo, ad plenam Civitatem Rom. per coloniae jus proclamarent. Et revera Neapolim conſecutam tandem fuiſſe jus ac cognomentum Coloniae, luculentiſſima Petronii loca paullo ante recitata teſtantur. Illud unum in hac inquiſitione arduum eſt inveſtigare, ecquo preſſius tempore haec tropica acciderint: de quo duo habeo comperta: Neapolim nec ante Antoninum (nam Hadriano Imp. adhuc in aliquo Graeciſmo durabat) nec poſt Petronii obitum evaſiſſe Coloniam. Profecto, ut paullo ante oſtendi, vivente adhuc Petronio Neapolis Colonia Baſilica facta fuerat. Quamobrem ſi dabitur artioribus Petronii aetatem circumſcribere limitibus, iiſdem quoque epocham Coloniae Neap. comprehendemus.

(18) E. G. Ἀγορανόμος, Ἄρχων, non ignota ſunt Graecis nomina magiſtratuum; at inde derivata Ἀγορανομικὸς, Ἀρχοντικὸς nullam apud Graecos vetuſtos claſſem virorum honoratorum conſtituebant: quandoquidem qui geſſiſſet magiſtratum, non vero actu gereret, Ἀγορανομήσας, Ἄρξας dicebatur. At illa quae dixi, Ἀγορανομικὸς, Ἀρχοντικὸς a Graecis nuperis efficta ſunt, ut propius exprimerent Latinorum *Aedilicium*, *Quaeſtoricium*, *Duumviralicium*. Vide adnot. praeced.

(19) Exſtat apud Gruterum pag. CCCCXXVIII. 11. lapis, ubi decretum Curiae Neapolitanae, quo locus ſepulturae conceditur, Graece quidem perſcribitur; ſed tum nomina Decurionum Latina ſunt, tum formulae ipſae ſunt ex conſuetudine Romani Senatus. Sed quod maxime mirandum eſt, ſumma decreti infra Latine ſubjicitur, definitque in hanc formulam, ſatis obviam in latinorum oppidorum titulis, *Locus Datus Decreto Decurionum*.

(20) Nomina Conſulum videſis in Graeca inſcript. T. Flavii Zoſimi pag. 150.

(21) Vide modo laudatam inſcript. & Grut. p. 428. 11.

SECTIO III.

Indicio Coloniae Neapolitanae, item e Palaeſtrae Neap. ſilentio, Appulei cum Petronio ſimili ſcribendi fingendique licentiâ, inſana erga Mathematicos obſervantiâ, frigeſcente ſtudio Ethniciſmi, & non obſcurâ in Chriſtianos maledicentiâ, Petronius a Neronianis ad Antoninorum tempora reducitur.

UTinam de aetate Petronii conſtaret! tunc ſane, ut paullo ante vidimus, eamdem ferme aetatem Coloniae Neap. decerni oporteret. At enim diſſona doctorum virorum, qui de Petronii ſaeculo quaeſivere, ſtudia in duas partes video diſpertita: prima eaque numeroſior contendit, Petronium imperante Nerone floruiſſe; ſecunda, praeeuntibus agmen Henrico & Hadriano Valeſiis fratribus, eumdem temporibus Antoninorum aſſignat. Sed neutri rem, quam quiſque tuebatur, neceſſariis confecere rationibus: primi praeſertim qui ſtili Petroniani elegantia deliniti, auctorem ad Neroniana tempora rejiciunt. Praeterea iidem ipſi objectant, illas Satyrici de corrupta Eloquentia (22), neglecta Pictura (23), inquinatiſque moribus, naenias nonniſi Neroniana tempeſtate potuiſſe inſtitui. Atqui ex eo quod Petronius Eloquentiae perniciem in Declamatores *nuper ex Aſia* profectos contulit; veriſimile eſt, Arbitrum haec ſcripſiſſe, poſtquam Apollonius ex Aſia accitus ab Antonino, magnâque Sophiſtarum catervâ ſtipatus, ad parem eloquendi licentiam Latinos exemplo ſuo excitavit. Ad Picturam vero demortuam quod attinet: etſi non negaverim, Picturam aevo Neronis plurimum amiſiſſe priſtini decoris; ſed non eo uſque tunc proſtratam ac fugatam conceſſerim, *ut ne MINIMVM quidem ſui VESTIGIVM reliquerit*, ut ſane Eumolpus apud Arbitrum cap. 83. aetatem ſuam incuſans, queritur. Nam quantum ex operibus, quae Trajano atque Hadriano Impp. excitata Romae ſunt, conjicere licet, optimam Graphices, quae praecipua Picturae dos eſt, rationem Ne-

(22) Petron. cap 2. *Nuper ventoſa iſthaec & enormis loquacitas Athenas ex Aſia commigravit, animoſque juvenum ad magna ſurgentes, veluti peſtilenti quodam ſidere afflavit, ſimulque corrupta eloquentiae regula ſtetit, & obmutuit*. Ex particula *Nuper* pateſit, haud ita pridem ab aetate Petronii, Eloquentiam, ſuffecta Aſiatica loquacitate, peſſum iviſſe.

(23) Ibid. *Pictura quoque non alium exitum fecit, poſtquam Aegyptiorum audacia tam magnae artis compendiariam invenit*. Quaenam fuerit ars illa compendiaria rectae Graphices rationi contraria, diſſerui pag. 124.

Nerone Imp. nondum omnino concidiſſe. Denique de corruptis Petronianis moribus quid dicam taceamve? Hoc unum rogo, num aetate Neroni ſecuta, aut homines temperantiores fuerint, aut mulieres libentius in caſto Cereris advigilarint?

Jamvero dicere pergunt, inficetum ſaeculum Antoninorum, in quod oppoſitae partis patroni aetatem Petronii conferunt, impatiens tantae elegantiae, quanta in Petronio ſuſpicitur, fuiſſe. Sed quid contra Valeſiis faciemus, qui novitate ac ruſticitate vocabulorum pertaeſi, clamitant, obſtupuiſſe ſenſum iis, qui Arbitrum argenteo ſaeculo Neronis conſignant? Profecto enim id argumentum eſt hujuſmodi, ut in utramque partem commode diſputari poſſet; nec porro quae utrimque deducuntur, plane rem ac ſine exceptione conficerent (24). Nonne interdum in medio Tibure ſunt Ulubrae, & contra in mediis Ulubris Tiburtinus aër reciprocari datur? Et quî minus ille (ut hîc aliquid pro Valeſiana ſententia dicam) qui cum optimis latinitatis auctoribus uſus eſt familiariſſime, potuit in media barbarie ad illos, quos accurate aſſidueque imitabatur, propius accedere?

(24) Auctor florido dicendi genere uſus, ſcatet ubique gratiis, ut merito *Siren Latina* eſſe praedicetur: in Epigrammatiis vero, quibus veluti quadam florum ſparſione ſuum opus identidem illuſtrat, imitatus ferme eſt Catullianum leporem: vel ſic tamen ſi verum amamus, aegre a ſe quis impetrare poteſt, ut Petronium proxime ab aureo Auguſteo Saeculo vixiſſe, citra ullam haeſitationem affirmet, eumque vel Taciti grandiloquentiae, vel Suetonii nativae facilitati anteponat. Ad verborum delectum quod ſpectat, mirari ſubit, ecquid humanitus acciderit Arbitro, ut ipſe quamvis priſtinam elegantiam ſedulo aemulatur, vocabula tamen priſco latio inaudita, veluti nec opinans effutiat? cujuſmodi illa ſunt, ut faediora quaedam omittam, cap. 72. *abſentari*, cap. 32. *abſentivus*, cap. 61. *aboculare*, cap. 31. *biſaccium*, cap. 57. *dignitoſus*, cap. 61. *gaudimonium*, cap. 63. *manuciolum*, cap. 59. *ſcordalia*, cap. 63. *triſtimonia*: quae omnia ſunt prorſus indigna ſaeculo Neronis argenteo; nec ea Petronius aliunde niſi a coenoſo ſui temporis torrente hauſta collegit. Hîc autem Cl. V. Burmannus ut Arbitri antiquitati patrocinetur, neminem ferme Scriptorem exſtitiſſe ait, qui non peculiarem ſibi ſcribendi ſtilum paraverit; interque eos accenſet Livium, cui Patavinitatem Pollio objecit; & Ciceronem, cujus ſingularia verba perſecutus fuit Statilius Maximus. At nemo hactenus prodidit, in quo ſcilicet *Patavinitas* Liviana, aut *ſingularia* Tulli conſiſtant; & ſi quis nunc ea ſe prodere poſſe conſideret; profecto illa etiam, non ſecus ac reliqua, plane aureo ſaeculo digna, ac vitreo Blanduſiae fonte ſplendidiora, currere judicaremus. Contra fit in Petronio, quem elegantiae quidem maxima ex parte commendant, ſed non raro immixta barbaries infuſcat.

dere ? Incerta itaque ac dubia ſunt ea argumenta, quae ab ingenio ſtili petita, aliis praeterea indiciis deſtituuntur. Atqui dum ſatagimus certioribus aetatem Petronii definire limitibus, eccur non potius in res, quae ab eo deſcribuntur, quam in verba, conjecerimus oculos ? Sane quaeſtio profligata foret, ſi erui e Petronio darentur hiſtorici aliquot characteres, qui ſic uni ſaeculo conveniant, ut alteri nequeant aptari. Cujuſmodi in primis eſt, quod ex mentione Coloniae Neapolis elicitur. Equidem qui compertum habeam, Neapolim adhuc ſub Hadriano perſeveraſſe in Graecae inſtitutionis rep. vel hoc uno argumento fractus, Valeſiorum ſic accedo ſententiae, ut adverſarios a veritate aberraſſe judicem. Patrocinabor itaque Valeſiorum cauſae, ſed aliam a Valeſiis ingrediens viam, Petronium non citius nec ſerius Antoninorum temporibus, in quae Epocham Coloniae Neap. Sect. II. conjeci, floruiſſe oſtendam.

Enimvero, ut inde uſque incipiam; quam longiſſime abſum ab eorum opinione, qui Arbitrum noſtrum opinantur eſſe illum ipſum Petronium cognomine Turpilianum, Cumis anno Chriſti *66.* violento fato functum, perſuaſus vel maxime ventoſiſſima Eumolpi, Latini poëtae, jactatione: *Et ego* (inquit cap. 83.) *poëta ſum, & ut ſpero non humillimi ſpiritus, ſi modo CORONIS aliquid credendum eſt, quas etiam ad imperitos deferre gratia ſolet*. Hìc procul dubio ad eas coronas, quae e certamine poëtico reportabantur, digitus intenditur. Sed ecquis hic Agon fuerit? Non certe Neapolitanus, ubi Neronis aevo poëtas Graecos commiſſos veroſimillimum eſt: Nec Neronianus quidem; qui etſi primus omnium more Graeco poëtas latinos anno Ch. *60.* compoſuerit; non tot coronas tamen Eumolpo, ibi certanti, ſuppeditare ſatis fuit. *Coronae* enim, quas Petronius numero multitudinis extulit, oſtendunt, Eumolpum pluries in eo certamine contendiſſe: at Neronianus agon vix iterum ante Petronii Turpiliani obitum fuit inſtauratus. Ut mittam jam, quod primam coronam poëtici certaminis ipſi Neroni judices detulerint (25). Unde igitur Eumolpi *coronas* deducemus? Omnino ex Agone Capitolino, qui anno Chr. *86.* inſtitutus a Domitiano, ultra Antoninorum tempora perennavit. Sane Agon Capitolinus poëticis quam maxime certaminibus commendabatur. Jam pag. *49.* vidimus in lapide Hiſtonienſi, L. Valerium Pudentem

(25) Suetonius Nerone 12. *Magiſtros toti certamini praepoſuit conſulares ſorte, ſede praetorum: deinde in orcheſtram ſenatumque deſcendit, & orationis quidem carminiſque Latini coronam, de qua honeſtiſſimus quiſque contenderat, ipſorum conſenſu conceſſam, ſibi recepit.*

dentem *claritate ingenii coronatum* in eo agone *inter poëtas latinos omnibus ſententiis judicum*. Eodem non ſemel prodiit Statius noſter, etſi non ſemper felici ſucceſſu. Ibidem quoque certaſſe Eumolpum, videtur. Quamobrem Eumolpi coronae poëticae, vel ſi cetera deeſſent, Satyrici aetatem longe a Neronis aetate reducunt.

Sed poſt Hadriani, qui ad annum Chr. 138. imperavit, aetatem, floruiſſe Petronium ſuadent, quae plurima apud eumdem deprehenduntur, latinae reip. Neapolitanae veſtigia. At urbs noſtra Hadriani aevo adhuc ex formula Graecanica gerebatur. Nam ut cetera ſileam, hic ipſe Imperator, teſte Spartiano, *Demarchum* Neapoli egit, & Neapolitani in ipſius Auguſti gratiam, *Phratriam Antinoiton* ex ejus deliciis *Antinoo* inſtituerunt: quae utraque Graeciſmum eo tempore Neapoli non plane deperditum oſtendunt. Contra in Petronio Neapolitana reſp. nonniſi a latinis magiſtratibus geſta deprehenditur. Ibi Praetor, Aedilis, Sevir Auguſtalis ſaepe in conſpectum ſe dant; nec lictor cum ſecure deſideratur. Vide dicta Sect. II. pag. 199.

Jamvero ex Petroniano de ludis gymnicis ſilentio facile eruitur, Satyricôn opus non prodiiſſe ante Commodum Imp. A pag. 140. ad p. 146. oſtenſis veluti tabulis ac teſtibus propugnavi, Neapolitanos ab Auguſto ad Commodum uſque indulſiſſe athleticis ſpectaculis. Nec iis ſecus factum oportuit, quamdiu in Graeciſmo durarunt; quandoquidem nihil Graecanico ingenio proclivius, quam inſanire gymnaſiis, fuit. Quid autem Petronius? Omnino ſilet de palaeſtris; nec tantillum quidem gymnici pulveris, vel ſi auro redimere velles, ex ejus opere corraſeris. At ſi Arbiter ad ea tempora rejiciatur, quibus etiamnum palaeſtra Neapoli frequentabatur; ecquis ſibi perſuaſerit, ſic eum a gymnico negotio abhorruiſſe, ut vel vocabulis ipſis, quoquomodo ad gymnaſticam pertinentibus, abſtinuerit? Sed quiſquis ſcriptioni manus admovet, aegre praecavere ſibi poteſt, quin interdum ullam e ſtudiis populi aetate ſua frequentatis, formulam dicendi, uti fit, inde deducat. Ut ecce apud Petronium plures exſtant locutiones, quae vel ex amphitheatro depromuntur, vel quae munerarios ludos Neapoli editos (26) oſtendunt; eſt ubi de Circenſibus mentio (27) fiat; ut hinc appareat, tunc ſcripſiſſe Petronium, cum palaeſtra abolita, loco gymni-

(26) Petron. cap. 9. *Non taces, gladiator obſcoenae, quem de ruina arena dimiſit*: cap. 34. *Subinde intraverunt duo Aethiopes capillati cum puſillis utribus, quales eſſe ſolent, qui arenam in amphitheatro ſpargunt.*

(27) Petron. cap. 70. *ſubinde* (coepit) *dominum ſuum ſponſione provocare: Si praſinus proximis Circenſibus primam palmam.*

mnicorum ſuffecti ſunt ludi Circenſes atque (28) munerarii. At vero palaeſtra adhuc ſub Commodo Imp. Neapoli vigebat.

Sed quando ad M. Aurelium Antoninum Commodum (qui imperium iniit anno Ch. 180.) ſermonem deduxi; me jam ad media ferme Antoninorum tempora delatum eſſe ſentio, hoc eſt, ad eam temporum intercapedinem, qua Valeſii fratres Petronium floruiſſe contendebant. Antoninorum enim aetas ducto initio ab Antonino Pio (qui ſuſcepit imperium anno Chr. 138.) per centum ferme annos vagatur, deſinitque in M. Aurelium Antoninum Helagabalum, qui deceſſit anno Chr. 222. Praeter haec autem indicia, quae modo ex latina reip. Neap. conditione, & e palaeſtrae Neap. ſilentio inveſtigavi; ſunt alia praeterea argumenta, quae eamdem Antoninorum aetatem Petronio conciliant; cujuſmodi illa ſunt, quae e ſtili Petroniani floriditate, rerum inventione, inſana erga Mathematicos obſervantia, ethnicorum Numinum neglectu, & non obſcura in res Chriſtianas maledicentia deducam.

Enimvero ſi Scriptorem e Latio quaerimus, quicum Arbiter proximitate ſtili, rerumque inventione comparari queat, praeſto aderit Appulejus Medaurenſis, praeterea nemo. Profecto, ut nunc argumento, quod apud omnes in confeſſo ſit, utar; ſaepiſſime animadverti in Petronii elegantiſſima editione Burmanniana, ſicubi vocabula minus uſitata paribus exemplis illuſtranda veniunt, a nemine frequentius, quam ab Appulejo teſtimonia produci: ut mittam jam quod utrobique par fingendi licentia, & par utrobique ſit dicendi floriditas; quamvis uterque a felicioris aevi munditie diſtent immaniter: hoc amplius prae Appulejo culpandus Petronius, quod hic vocabulis ab imae plebis faece arceſſitis quam ſaepiſſime abutitur, voceſque antehac inauditas primus ſine exemplo (29) procudit: vel ſic tamen ipſe elegantiſſime ſcripſit; ſed hujuſmodi elegantiam non beneficio aetatis, ſed opera ſtudioque ſuo conſecutus eſt: quocirca quicquid apud eum inſuave, aut illiberaliter dictum offenderis, tribue ſui ſaeculi contagio. Ipſe vero a natura ſortitus ingenium hilare ac feſtivum, lepidas fabellas ſic intextuit expoliitque, ut ex eodem, unde Appulejus, ludo prodiiſſe videatur. Appulejus autem Antoninorum temporibos floruit: igitur ex aevo Medaurenſis philoſophi diſce Satyrici aetatem metiri.

Prae-

(28) In vett. chartis Neap. memoratur, *amphitheatrum in Regione thermenſi*. De ludo gladiatorio loquitur Petronius toto cap. 45. Opinor ſtadium abolitae palaeſtrae, patuiſſe ludis munerariis. Vide quae pauca de Amphiteatro Neapol. dixi pag. 120.

(29) Vide ſupra adnot. 24.

Praeterea nulla majorem fidem Mathematicis, quam aetas Antoninorum adhibuit: Quod impoſtorum genus etſi nullo tempore defuit, ea tamen tempeſtate maxime viguiſſe, illud oſtendere poteſt, quod conſuetudo ciendi dies Planetarum Lunae, Martis, Mercurii &c. nominibus, tum primum (30) in uſu civili invaluit: antea quidem id apud ſolos mathematicos obtinebat. Sed ne a propoſito excurram, de Severo refert Spartianus: *Tunc in quadam urbe Africana quum ſollicitus Mathematicum conſuluiſſet, poſitaque hora ingentia vidiſſet Aſtrologus, dixit &c.* Petronius autem ad vulgarem ſui aevi morem ſe ſe componens, ſic Trimalchionem inducit loquentem cap. 76. *Mathematicus . . . venerat forte in Coloniam noſtram, Graeculus Serapion nomine, Conſiliator Deorum. Hic mihi dixit etiam ea quae oblitus eram, ab acia & acu mi omnia expoſuit: inteſtina mea noverat . . . Et cur vobis non dixerim, etiam nunc reſtare vitae annos triginta, & menſes quatuor, & dies duos.* Non temere mihi videtur, Petronius mathematico ſuo nomen *Serapionis* impoſuiſſe. Nam quemadmodum in Comoedia vel audito actoris nomine e. g. Davi, Getae, Gnatonis &c. ſtatim intelligebatur, ecquis in ſcenam induceretur, aſtutus an ſimplex, avarus an contra: ſic mihi perſuadeo in Satyra quoque delectum quemdam nominum fuiſſe habitum, eaque praeſertim adoptata, quae in rem praeſentem excelluerint. At in mathematicis artibus ſeu in divinandi facultate, nullus alius eo tempore magis inclaruit, quam *Serapion* quidam Aegyptius, de quo Dio lib. LXXVIII. 4. *Igitur veritus Macrinus* (cui factum fuerat vaticinium de imperio Rom. ineundo) *ne hanc ob cauſam ab illo* (Caracalla) *occideretur; & quod Serapion qui-*

D d

(30) Nomenclatio dierum a planetarum nominibus adſcita, jampridem apud Aſtronomos vigebat; ſed in uſu civili nulla ejus ratio habebatur. Puteanus ex marmore apud Grut. p. 136. 1. argumentum capiebat, non diu poſt Plinii aetatem hujuſmodi nomenclationes publice adoptatas fuiſſe. Utut de conjectura Puteani ſtatuatur; procul dubio ex Dione apparet, ſub Antoninis denique omnes ubique homines Aſtronomicae ſupputationi aſſueviſſe. Sic enim ea de re Caſſius diſſerit XXXVII. 18. *Quod autem dies ad ſeptem ſidera illa, quae planetas appellarunt, referuntur; id ab Aegyptiis inſtitutum, apud omnes homines, haud ita pridem ut conjicio, dimanavit. Nam priſcis Graecis, quantum mihi conſtat, notus is mos neutiquam fuit: at quandoquidem is nunc uſquequaque, cum apud omnes reliquos homines, tum praeſertim apud Romanos, jam patrius obtinet, &c.* Ex hac autem Aſtronomica dierum compellatione, Antoninorum temporibus cum orbe univerſo communicata patet, homines ſi uſquam alias, ea certe tempeſtate ingens artibus aſtronomicis ſtatuiſſe pretium & auctoritatem.

quidam Aegyptius paucis ante diebus coram dixerat Antonino, ipſum brevi moriturum eſſe, & Macrinum ei ſucceſſurum, procraſtinandum non putavit. Enimvero paullo poſt Macrinus, interfecto Caracalla, ſalutatus fuit Imperator. Secutus eventus quantam maximam Serapioni fidem conciliavit, ejuſque nomen, uti fit, portentoſi hujus vaticinii causâ inclaruerit oportet. Hinc opinor Petronius ex conſuetudine Satyrae, quae nomina deligit artibus familiaria, prodidit, Mathematicum a Trimalchione conſultum, geſſiſſe nomen *Serapionis*, ut ex ipſo nomine fides vaticinio facto, quaſi eſſet ab illo celeberrimo Serapione editum, adhiberetur. Jam ſi ea conjectura arriſerit, inde confiet, Petronium poſtremis Antoninorum temporibus interfuiſſe; etſi rem haud multis abhinc annis geſtam ſuſceperit narrandam.

Nec alio quam Antoninorum tempore collabeſcentem Ethniciſmum tuto conſignaveris; cum Chriſti religio adeo late patuit, ut jam ipſi Chriſtiani in legionibus Romanis turmatim militarent. Ac ſane mihi videtur, Petronianas de religionis ethnicae frigeſcente ſtudio querelas, ab Evangelico praeconio eſſe arceſſendas. Antea, ut monet Arbiter, ſi quando tellus areſceret, mulieres nudis pedibus ibant in clivum ſupplicaturae Jovem pluvium, nunc vero, *Nemo* (inquit cap. 44.) *Coelum Coelum putat . . . . nemo Jovem pili facit . . . quia nos religioſi non ſumus, agri jacent.* Sed unde tanta in illorum hominum mentes illapſa eſt negligentia Deorum, niſi ab Evangelica praedicatione? Quo enim magis ab Apoſtolicis praeconibus Chriſti fides diffundebatur, eo minus numinum fatuitas ſeſe probabat. Huc etiam pertinere mihi perſuadeo, quod Eumolpus apud Petronium cap. 141. de bonis ſuis teſtatus, ſub hac conditione jubet legatarios legata conſecutum ire, *Si corpus meum in partes conciderint, & adſtante populo comederint.* Quis non videt hoc ad irridendam Chriſtianam religionem expreſſum fuiſſe ex illo Joannis, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis &c.?* Simul oblique taxat Satyricus ἀνθρωποφαγίαν (*humanarum carnium eſum*) quam Ethnici objectabant Chriſtianis, apud Juſtinum Dial. cum Tryph. Hinc etiam calumniae de *Coenis Thyeſteis* Chriſtianorum apud Athenagoram Leg. num. 3. Sane ſollemne fuit Ethnicis res Chriſtianas vel ignoratione, vel invidia, vel riſus quoque excutiendi causâ, prodigialiter interpolare ac depravare. Huetius Demonſtr. Evang. Prop. IX. cap. 147. pluribus oſtendit, Philoſtratum data opera Vitam Apollonii Thyanenſis, quo Evangeliis, Apoſtoliciſque ſcriptoribus fidem detraheret, edidiſſe. Quae Lucianus fingit de vulture e rogo Peregrini evolante, haud levis conjectura eſt, ea irriſionis cauſa fuiſ-

fuiſſe deſumpta ex Actis Hieromartyris Chriſti Polycarpi, in quibus narratur, e vulture Sancti ſenis rogo impoſiti, columbam evolaſſe. Cum iis etiam Arbiter colluſiſſe videtur, & quod erat in Chriſtiana religione ſanctiſſimum, ſacrilega impietate in rem ludricam ſub Eumolpi perſona traduxiſſe. Sed quod in praeſentia juvat animadvertere illud eſt, Ethnicos tum maxime in Sacroſanctam Eccleſiam acuiſſe ſtilum, cum ea non ſolum ſanguine, ſed ſcripto etiam teſtata augeſcebat in dies. At Chriſtiani homines ſero admodum, nec niſi ſub Antoninis (31) denique, communem Eccleſiae cauſam apologiis a ſe graviter conſcriptis patrocinandam ſuſceperunt. Eadem quoque aetas Luciani fuit ac Philoſtrati: mirum ni Petronius eadem etiam tempeſtate Chriſtiana myſteria Satyrico dente tentarit arrodere.

S E C T I O IV.

De eo quod Petronius mentionem de Sepulcro Sibyllae Cumanae faciens, hoc ipſo recentior imperio Antoninorum arguitur. De vocali Sibyllae conditorio nonnulla.

JAm vero ſi quis Petronium, eo conſilio luſtret, ut inde ea, quae ad ejus prodendam aetatem valent, aucupetur; plura ſat ſcio, ſuis oculis deprehenderit ab Arbitro tradita, quae ignorata quidem a vetuſtioribus Antoniniano aevo Scriptoribus, apud recentiores vero maximopere jactantur. Mihi autem omnia perſequi, jucundum non fuit. Temperare tamen mihi non potui, quin in medium producerem hoc alterum minime obſcurum de Petronii aetate indicium, quod Cl. Burmannus, nuſquam non pro majore Petroniani aevi antiquitate digladiatus, mihi inſperato ſuppeditavit. Ergo ubi Trimalchio, ſive potius Petronius inquit cap. XLVIII. *Nam Sibyllam quidem Cumis ego ipſe oculis meis vidi in ampulla pendere; & cum illi pueri dicerent, Sibylla τί θέλεις* (quid vis)? *reſpondebat illa*, Ἀποθανεῖν θέλω (mori volo): ſic Belga doctiſſimus adnotavit: *Ridicule Trimalchio hoc ſe vidiſſe ait, cujus nemo veterum meminit*. Hic autem etſi poſſem in ejus cenſuram curioſius (32) inquirere; tamen libenter amplector,

 quae

(31) Vide Ruinarti Acta Sinc. Mart. p. 52.

(32) Nam videtur Ariſtoteles de Sibyllae ſepulcro locutus, cum in *de Admir. auſcult.* inquit: Ἐν τῇ περὶ τὴν Ἰταλίαν δείκνυται τις, ὡς ἔοικε, *θάλαμος κατάγειος Σιβύλλης τῆς χρησμολόγου*, *Cumis in Italia ferunt oſtendi tha-*

quae ipſe ſine ulla haeſitatione pronuntiavit, *Neminem* ſcilicet *veterum* de Cumano Sibyllae conditorio *meminiſſe*. At viciſſim ab eo concedi mihi flagito, nihil vulgatius aevo Antoninorum fuiſſe, quam Cumis oſſa fatidicae requieſcere. Quid enim? quia S. Juſtinus martyr, ac Pauſanias, ad Antoninorum uterque aetatem (33) pertinens, diſerte eo de loculo copioſeque teſtati ſunt. Igitur Juſtinus in graviſſima ad Graecos exhortatione (quam fugiente oculo percurriſſe, fraudi Scheffero (34) fuit) haec paullo poſt verba inferne recitata ediſſerit: *Quin ipſi quoque quum in ea urbe* (Cumis) *eſſemus; indicibus, qui hoſpites ad ea loca quae viſenda ſunt, ducere ſolent, oſtendentibus* (*qui nobis loca etiam, in quibus illa* (Sibylla) *eſt vaticinata, commonſtrarunt*)

thalamum ſubterraneum Sibyllae fatidicae. Thalamus ſubterraneus forte is fuerit, quem Naevius in ſuo Epitaphio dixit *Orcivum theſaurum*, ducta translatione a *theſauro*, quae vox apud Graecos tum alia ſignat, tum carcerem obſcuriſſimum, ſub terra defoſſum, ideoque dictum a Plutarcho in Philopoemene, *οἴκημα κατάγειον*, *cameram ſubterraneam*, in quam, ut ibi Chaeronenſis biographus, fiebat deſcenſus per oſtium ſuperne perforatum, quod rurſus praegrandi lapide obſtruebatur. Attamen quia loca praerupta, inacceſſa, ac latebroſa vulgo a Numinibus inſideri opinio erat; facile patior, ut Ariſtotelis *thalamus ſubterraneus* potius antrum, quam ſepulcrum deſignet; magis id adeo quod Virgilius ſtationem Cumanae vatis, de qua loquor, *antrum immane* in VI. Aen. 10. vocarat; Et *Erythraei* quoque (teſte Pauſania in Phoc. cap. 12.) *Corycum montem*, *&* *in eo* (*σπήλαιον*) *antrum* oſtendebant, in quo nata Herophile Sibylla ferebatur.

(33) Juſtinus quidem martyrium feciſſe traditur anno Ch. 167. Pauſanias vero aut aequalis aut ſuppar Juſtino fuit: certe is anno Ch. 174. ſcribendis Eliacis prioribus vacabat. Vide Fabric. Bibl. Gr. lib. IV. cap. XV. pag. 468.

(34) Qui poſt recitatum ex Juſtini Cohortatione locum hunc [„ Hanc „ Sibyllam Babylone ortam ad Campaniae oras, neſcio quomodo perveniſſe ferunt, ubi reſponſa dedit „ in urbe, cui Cumarum nomen eſt, „ ſexto a Baiis lapide. Vidimus ſane „ ea in urbe cum eſſemus, locum „ quemdam, ubi baſilicam ingentem „ uno fabrefactam ſaxo conſpeximus. „ In media baſilica nobis oſtenderunt „ tria ſolia, ex eodem exciſa lapide, „ quibus aqua repletis laviſſe ibi „ eam, & ſtola ſumpta in penitiſſimam ſe baſilicae aedem, eodem „ exſtructam ſaxo, abdere, atque in „ media ea aede ſuper ſublimiore „ gradu & throno conſidere ſolitam, „ & ſortes ad eum modum promulgaſſe dixerunt „] haec notaſſe recenſetur in Burmanniana Petronii editione: *Hic plane nulla mentio ampullae*. At fruſtra vir doctus ex eo loco praeſidium Petronio quaerit. Si vero mox ſecuta Juſtini verba luſtraſſet oculis, omnino advertiſſet, id vaſis genus a Petronio *ampullam* dici, quod Hieromartyr eamdem rem deſcribens, *φακὸν* appellarat.

runt) *vidimus* (φακόν τινα ἐκ χαλκοῦ κατεσκευασμένον) *loculum quemdam ex ære elaboratum, ubi reliquias ejus ſervari dicebant*. Cum Juſtino concinit Pauſanias in Phocicis XII. *Ejus tamen* (Sibyllae) *praedictionem omnino nullam Cumani oſtendere habuerunt; oſtendunt tamen* (λίθου ὑδρίαν . . . οὐ μεγάλην) *urnulam lapideam . . . in ea Sibyllae condita eſſe oſſa dictitantes*. De ſepulcro quidem Pauſanias cum Juſtino convenit, at vero de loculi materia, ac fortaſſe etiam forma, ab eo diverſus abit. At non dubitandum, quin Pauſanias pro ære lapidem, & pro lenticula urnulam, vacillante memoriâ ſuppoſuerit: quandoquidem Petroniana ejuſdem loculi deſcriptio propius ad Juſtini, quam ad Pauſaniae, verba accedit: *Vidi* (inquit Arbiter) *in ampulla pendere*. Nempe *ampulla* hujuſmodi erat, ut cum in fundo, quia rotundum erat (ideoque φακὸς a Juſtino vocatur, quia *lentis* ſpeciem referebat) ſtare non poſſet, catenulis *ſuſpendi* oporteret. Ex quo Petronii cum Juſtino conſenſu patet, tum vocem *Ampullae* (35) vexari in Satyrico non licere; tum Trimalchionem, ſe Cumis Sibyllae ſepulcrum ſuis oculis vidiſſe teſtantem, id quidem narraſſe, quod nemo aetate ſua ignorabat.

Aetate inquam ſua: nam vereor, ne commentum de Sibyllae Cumanae tumulo novitium fuerit, & haud ita pridem ab aevo Juſtini excogitatum. Narratio enim hujuſmodi eſt, quam citius apud recentiores Antoniniano tempore ſcriptores, quam apud ſaeculum prius, teſtatam inveneris. Sane in Actis Bononienſibus S. Januarii (qui anno Ch. 305. martyrium fecit) ſic legitur ex recenſione Mazochii, qui primus haec acta vulgavit, iterumque copioſius (36) interpretatus eſt: *Et quia in ipſis locis, ideſt Cumis, frequens erat paganorum nobilium virorum* (occurſus propter) *magnam vatem, cujus tumulus uſque in hodier-*

(35) Reineſius plus aequo liber, ut aſſolet, *ampullam* mutabat in *Embolum* h. e. tignum, unde ſimulacrum Sibyllae pependiſſe conjiciebat: quo nomine vapulat a Scheffero nec una quidem de cauſa; ſed hoc amplius explodi dignus, quod Petronius conditorium fatidicae cinerum vocans *ampullam*, fidum ſe interpretem egiſſe Juſtini, qui vocem φακὸν adhibuerat, oſtendit.

(36) Haec Acta Bononiae in quadam Bibliotheca deliteſcentia primus vulgavit Mazochius ad calcem primi tomi Kalendarii Marm. Neapol. Utinam & in conſpectum ſe daret textus Graecus originalis, unde ea acta expreſſa fuiſſe, Cl. Editor etiam atque etiam contendit. Nam cum nonnulli de pretio Actorum humiliter ſentirent, atque alii de prima origine Graecanica dubitarent; ipſe recuſis Actis in ſingulari libello, cui titulus *Vindiciae Actorum Bononienſium S. Januarii martyris*, utrorumque criminationes graviter eruditeque diluit exagitavitque.

diernum diem illius (Sibyllae) *eſſe manifeſtatur ; ideo &c.* Praeterea Iſidorus Orig. VIII. 8. Sibyllas enumerans, *Dicta autem Cumana* (inquit) *a civitate Cumis , quae eſt in Campania , cujus ſepulcrum in Sicilia* (37) *adhuc manet* . Atque haec ſatis ſuperque fidem fecerint, vulgarem hujuſmodi opinionem ab Juſtini aetate traditam, ad Iſidorum, qui VII. Ch. ſaeculo floruit, perennaſſe. At vero ſi teſtimonia his vetuſtiora flagitaveris, fruſtra te operam, vel Cl. Burmanno judice, luſiſſe ſenties. Enimvero, ut aetatem, quae proxime Juſtino praeceſſit, hîc breviter percurram; Strabo, quamquam res Cumanas diligentiſſime ſit exſecutus, de Cumano tamen Sibyllae tumulo ne verbum quidem ullum fecit: & tamen is ipſe Geographus, cum in deſcriptione Neapolis, Cumanorum Coloniae, verſaretur, paſſus non eſt, indictum a ſe Sirenis tumulum, qui ibi oſtendi ferebatur, praeteriri. Atqui ſi fatidicae, in cujus carminibus opinio erat contineri fortunam imperii Romani, oſſa Cumis quieviſſent; prope inexpiabile facinus Strabo admiſiſſet, ſi rem ſingulari memoria dignam tradere poſteritati neglexiſſet. Quid quod nec Plinius, cui ſollemne eſt in omnibus τερχτολογίχν (*admirandorum narrationem*) ſectari, nec Tacitus, nec Suetonius, vel cum de Cumis, deque Sibyllinis oraculis etiam atque etiam injeciſſet mentionem in ſuis hiſtoricis commentariis, Cumani requietorii meminit?

Jam vero qui veterum primi Chriſti ſaeculi reticentiam cum plurimo ſecutae aetatis ea de re ſermone contulerit; vix dubitare quiverit, quin hujuſmodi fabella ineunte altero Chr. ſaeculo ſpargi in vulgus occoeperit. Sane, ſi uſquam alias, ſecundo quidem certe ſaeculo magna fuit, atque altius excitata hominum opinio de Sibyllis; ac non minus Chriſtiani homines, praepoſtera religione ducti, quam Ethni-

(37) Apud Scriptores medii aevi pleraque pars Italiae, quâ nunc Regnum Neapolitanum coaluit, ſub *Siciliae* nomine veniebat. Scholiaſtes Theocriti ad Idyl. IV. a Crotone Aeaci filio Crotonem, urbem in ſinu Tarentino nobiliſſimam, conditam ἐν Σικελίᾳ refert. Stephanus Ethnicogr. Prochyten inſulam (πρὸ τῆς Σικελίας) *ex adverſo Siciliae* ſtatuit. Procul dubio *Campaniam* intelligi voluit. Nam Scholiaſtes Pindari pro Campania Siciliam dixit ad Pyth. Od. I. Κύμη· νῆσος παρακειμένη τῇ Σικελίᾳ, *Cumae. Inſula adjacens Siciliae*, h. e. Campaniae. Hos auctores ſecutus Iſidorus, Cumas Campaniae locavit in Sicilia. Eaque urbs cum ab aliis Italiae, ab aliis pro more vulgi *Siciliae*, quae in hac parte erat ſynonymum Italiae vocabulum, adſcriberetur, fraudi fuit Stephano Byzantino vel ejus Epitomatori, ut in V. Κῦμη, unam Cymen in Italia, alteram in Sicilia ſiſteret.

Ethnici, tot id genus tantaque oracula cauponabantur, ut nihil ſupra. Quamquam autem non conſtet, ecquando preſſius in lucem prodierint octo illa, quae hodie ſuperant, Sibyllinorum volumina; nam eorum impudentiam, qui architectum Sibyllinorum ac fabrum fuiſſe S. Juſtinum volunt, concoquere non poſſum: dubitari tamen nequit, quin aliqua ſaltem hujuſmodi Sibyllinorum pars, in qua (38) imperium Hadriani, Antonini, M. Aurelii, & L. Veri non obſcure adumbratur, eo ipſo tempore, quo in vivis agebat Martyr, edi oportuerit. Ubi vero ea fraus impune abiit; continuo nihil pronius fuit, quam ut Sibyllae ejus, cujus oracula jam ubique gentium perſonabant, cineres etiam Cumis, ad ſuperſtitioſi ſcilicet vulgi ſolatium, adhuc ſupereſſe inculcaretur, dareturque intelligi, deliteſcere illos in ampulla aenea, quae ſuſpenſa in thalamo, ubi Sibyllam incoluiſſe fama fuerat, adhuc forte fortuna pendebat. Atque huic meae conjecturae inde robur accedit, quod Juſtinus martyr, qui primus omnium tumuli Cumani meminiſſe arguitur, ac praeterea Pauſanias Juſtini ſuffragator, propius uterque abſunt ab ea aetate, qua illa Sibyllina oracula conſarcinata fuerunt. Porro rem eamdem Trimalchio apud Petronium refricuit: ecquis ergo dubitaverit, incertam Petronii aetatem ex rei enarratae affinitate certam facere, Satyricumque vel utriuſque parem, vel, quod veriſimilius puto, ſupparem ſtatuere? Nam hoc alterum puto me facile perſuaſurum, Petronium paullo juniorem Juſtino exſtitiſſe, eo argumento, quod fabella Cumani loculi aliquanto copioſior apud Arbitrum apponatur: *Et cum* (inquit) *illi* (Sibyllae) *pueri dicerent*, Σιβύλλα τί θέλεις? *reſpondebat illa* Ἀποθανεῖν θέλω. Naenia procul dubio puerorum iſthaec fuit, ejuſdemque naeniae ni fallor, Echo (39) aſſonante, repetitio; vel ſic tamen quia hujuſmodi

(38) Auctor Sibyllinorum lib. V. a Julio Caeſare non dico vaticinium, ſed hiſtoriam exorſus, ad Hadrianum uſque, Antoninum, M. Aurelium, ac L. Verum explicate traditam deduxit, hoc eſt, ad annum Ch. 138. quo Adrianus ea conditione Antoninum adoptavit, ut ipſe viciſſim Aurelium & Verum ſibi adſciſceret filios. Sed nec poſt annum Ch. 169. impoſtorem ceciniſſe inde arguitur, quod cum tres adoptatos orbi dominaturos praedixiſſet, tertio h. e. L. Vero, ut qui omnium junior erat, in longum tempus ſpopondit imperium.

. . . ὁ δὲ τρίτος ὀψὲ κρατήσει ἁπάντων.

At hominem ars vaticinandi fefellit. Verus enim anno Ch. 169. repentina morte correptus, ſibi imperium, nebuloni fidem amputavit.

(39) Sane qui puerorum interrogationem cum Sibyllae reſponſo contulerit, facile hanc alteram ex Echo genitam adverterit. In poſtrema quidem verba, quae Echo magis explicate

di reſponſio a Sibylla ipſa vulgo reddi credebatur, ut Trimalchio teſtatur; aegre Juſtinus id prodigium, ad majorem Sibyllinis oraculis conciliandam fidem opportuniſſimum, praetermiſiſſet, ſi quidem aetas ſua tale portentum jactaſſet. At poſt Hieromartyris aetatem, quum ſtudia

te reddit, attendi neceſſe eſt. Priora non moror; quippe quae per fornicum volumina, undarum more diffuſa, & vocibus ex adverſo ſuccedentibus repulſa, retardantur, ac veluti praefocata, fractum quid atque inconditum reboant; nec aliud, niſi quod praejudicata opinio reddi ſibi videtur, admovent auribus. Puerorum autem naenia in vocem θέλεις, Sibyllae vero reſponſio in θέλω deſinit: quas una ſi comparaveris, profecto unam ab altera potuiſſe gigni, non diffiteberis. Nec porro quemquam illud quantulumcumque diſcrimen offendat. Nam cui ignoratur Echo eſſe πλατύστομος (*patulo ore loquens*)? praeſertim in repercutiendo poſtrema vocabula, quae liberrime ac ſine alio conflictu ſpatiata, remittuntur ab Echo latius atque apertius: imo ſi quid in ea voce acuti vel ſibilantis eſt, diſtractis per ſoni diſperſionem elementis, molliter, retuſe, rotundeque perſentiſcitur; quocirca mirandum non eſt, ſi dicenti θέλεις, Echo ſuccinuerit θέλω. At non una ubique locorum exſiſtit acceptae redditaeque vocis ratio; ſed pro multiplici reflexu Echo variis imaginibus ludit. Eſt enim ubi vehementior, ac numeroſior, & contra ubi exiliter ac metuenti ſimilis dictata repetat. Ad Baſilicam vero, ubi pependiſſe ampullam autumo, Cumanam quod attinet; hoc unum praeſtare poſſum, locum hujuſmodi fuiſſe, ut ferme non alius uſpiam fuerit reddendae voci comparatior. Nam ſive ſuſpenſos fornices ex uno fabrefactos lapide, ſive ſubjectos lacus ex eodem monte exciſos contempleris, quemadmodum certe ea baſilica a Juſtino deſcribitur; haud aegre fateberis, pulſo ab ejaculata voce concamerato Sibyllae gurguſtio, totum pariter montem ingemuiſſe. His adde ſuſpenſam æream ampullam, Sibyllae, ut fama erat, hoſpitam, quae ad remittendam vocem non minimum valuit. Ac ſane Vitruvius, majori theatrorum concentui conſulturus, praecipuit lib. V. cap. 5. ut imitatione Graecorum confornicentur inter ſedes theatri cellae, in quibus *Vaſa ærea* vel ſaltem *fictilia dolia* diſponantur. *Ita* (inquit) . . . *vox ab ſcena, uti ab centro, profuſa ſe circumagens, tactuque feriens ſingulorum vaſorum cava, excitaverit auctam claritatem, & concentu convenientem ſibi conſonantiam*. De vaſis ex ære in Dodonaeo templo vocalibus mitto dicere. Quî minus ergo ampulla in antro Cumano ærea, ut erat vas ventrioſum, ad canoram puerorum naeniam immurmurare potuerit? Quamobrem nihil plane ex iis, quae excitandae conſonantiae conducunt, in Baſilica Sibyllae defuiſſe, & quidem nullo tempore, videtur. Attamen illi, de qua loquimur, repetitioni tunc primum mentem adjecere homines, cum vulgo perſuaſum fuit, ibi cineres Sibyllae requieſcere; prodigiique loco habitum illud eſt, quod ſponte ſua Echo ſequax, & per interrogationis obambulans veſtigia, patulis puerorum auribus inſonabat.

ſtudia populorum erga Sibyllam magis magiſque incaluiſſent; facile poſtea fuit, fabulae de cineribus fatidicae hanc alteram ſuperſtruere, Vatem in illo loculo compoſitam, adhuc interroganti reſpondere. Ad hanc alteram Epocham ſpectare videtur Arbiter, ſi quidem illam naeniam ab eo recitatam, recentioris prae Juſtino aetatis indicia redolere, non diffitebimur. At vero quia perquam difficile eſt ad vivum res hujuſmodi reſecare; tamen illud extra dubitationis aleam ponendum eſſe cenſeo, Petronium non exſtitiſſe Juſtino vetuſtiorem; quandoquidem nemo veterum, ut Cl. Burmanni verbis utar, ante Juſtinum Cumanae Sibyllae, Cumis ſepultae, meminit.

S E C T I O V.

De aetate Petronii, deque Epocha Coloniae Neap. ſimul: utramque non eſſe recentiora temporibus Antoninorum. Cognomentum Auguſtae *a Senatu conceſſum Civitatibus. Vectigal* decimae *manumiſſionis pro* viceſima. *Inſcriptiones duae Neapol. illuſtrantur.*

JAm Petronii opus in omnes verſaſſe partes mihi videor; nihilque ibi deprehenditur, quod non ad Antoninorum tempora conducit. Et ſane omnes viae, calles, ſemitae, veſtigia, eo ferunt atque concurrunt. Sed quid adhuc pluribus opus? Aetas Coloniae Neap. in quam Petronii aetatem incidere paullo ante demonſtravi, ſola, vel ſi cetera, quae hîc perſecutus ſum indicia, deeſſent, Petronium a Neronianis ad Antoninorum tempora retraheret. Quamobrem quae argumenta ſeorſim ſumpta loco conjecturarum haberi potuiſſent, jam accedente certiſſimo Epochae Coloniae Neap. indicio, ſuam tuentur auctoritatem. Hujus autem argumenti ſummam veluti in artum concluſam, ſic habe: Petronius ſic de Neapoli loquitur, quae jus Coloniae ac nomenclationem nacta ſuo tempore fuerit; vide pag. 196. Atqui Neapolis nondum ſub Hadriano, h. e. ante Antoninorum atque adeo Ant. Commodi tempora, Graeciſmo depoſito ad plenam civitatem Rom. pervenerat: id quod ex eo facile conficitur, quod ſub Hadriano plura Neapoli ex forma Graecae reip. gerebantur, cujuſmodi erant Sacra, Ludi, Magiſtratus; vide dicta pag. 201. ſeq. Praeterea ſub M. Aurelio, Antonini Pii filio, ſuperabant ex eodem inſtituto gymnica ſtudia, phratriaeque, uti colligitur ex egregia illa epigraphe, quam protuli pag. 150. Denique palaeſtra adhuc frequentabatur ſub initia Commodi Imp. uti liquet ex iis, quae pag. 145. ſeq. dixi: ſic ut appa-

 reat,

reat, Graeciſmum Neapolitanum etiamnum Commodo imperium ineunte, duxiſſe ſpiritum. Quamobrem Petronius poſt Antonini Commodi aetatem ſcripſerit oportet. Jamvero quantum luminis ex epocha Coloniae Neapolis aetati Petronii inveſtigandae acceſſit, tantumdem viciſſim Petronius Coloniae noſtrae commodabit. Nam etſi explorate tenemus, Neapolim ante Commodum non evaſiſſe Coloniam; adhuc tamen in obſcuro latebat, ſub quo denique Imperatore ad eam dignitatem evaſerit. Inutile enim praeſidium collocabatur in vetuſtis inſcriptionibus, quae, ut ſunt certis temporum characteribus deſtituta, nihil ſane poterant in rem praeſentem conficere. At vero Petronii aetas, quae ad citeriora Antoninis tempora, uti mox ſuadebo, rejicienda non eſt, viciſſim oſtendit, Neapolim nec ſerius Antoninorum tempeſtate ad jus Coloniae fuiſſe evocatam.

Ergo Petronius citra Antoninorum tempora deducendus non eſt, non magis ex eo capite, quod ſecuta aetas multo quam antea inficetior, elegantiae Petronianae impatiens fuit; quam quod recentiorem aetatem palam dedignatur, inquiens cap. 57. *Puer capillatus in hanc coloniam veni: adhuc Baſilica non erat facta*. Pag. 200. non inepte, opinor, *Baſilicam* interpretatus ſum *Auguſtam*. At vero Neapolis non ſuo ſibi jure, ſi Petronium recte capio, Coloniae *Auguſtae* nomen impoſuit, ſed utique ab alio facta renuntiataque fuit Auguſta; *Adhuc* (inquit) *baſilica non erat* (Senatus conſulto, vel reſcripto Principis) *facta*. Vetus enim conſuetudo fuit, ut civitates titulum *Auguſtae* a Senatu impetrarent; at poſtremis Antoninorum temporibus urbes non expectatâ venia Senatus, ſibi, quoſcumque vellent, honorum titulos arrogabant: de quo Dio Caſſius LIV. 23. *Paphiis terraemotu afflictis pecunias largitus eſt* (Auguſtus), *ac permiſit ut urbem* (Αὐγοῦσταν κατὰ δόγμα) *Auguſtam ex Senatus conſulto nominarent. Quod non ideo a me refertur, quaſi non aliis quoque urbibus multis & prius & poſtea, in ſimili infortunio auxilium tulerint* . . . . (ἀλλ' ὅτι καὶ τὰς ἐπωνυμίας ταῖς πόλεσιν ἡ γερουσία ἐν μέρει τιμῆς, καὶ οὐχ ὥσπερ ΝΥΝ, αὐτοὶ ἑαυτοῖς ἕκαστοι καταλόγους ὀνομάτων, ὡς ἂν θελήσωσιν, ὡς πλήθει ποιοῦνται) *Sed quod cognomina etiam urbibus honoris cauſa Senatus impoſuit; aliter ac NVNC fit, quum ſinguli ſibi nominum catalogum, quem quiſque voluerit, plerumque conficiunt*. Τὸ NVNC pertinet ad aetatem Dionis, qui ſub Severo Conſul fuit, atque iterum ſub Alexandro Helagabali, Antoninorum poſtremi, ſucceſſore, Conſulatum geſſit anno Ch. 229. Itaque verba Caſſii duas epochas diſtinguunt; unam qua permittente Senatu, alteram qua eodem inconſulto, titulus *Au-*

guſtae

guſtae atque id genus alii, gerebantur a civitatibus. Prior aetatem Caſſii anteceſſit; poſterior Dionem ipſum contingit. Ad utram autem harum epocharum titulus *Baſilicae* ſeu *Auguſtae* quaeſitus Neapoli pertinuit? Procul dubio ad priorem: *Adhuc baſilica non erat facta*; tum cum ſcilicet ut fieret, Senatus antea exorandus erat. Atqui ſi id ad poſteriorem epocham pertinuiſſet; quid adhuc expectaſſent Neapolitani, aut quid impedimento fuiſſet, quin continuo ſuam urbem *Auguſtam* renuntiarent, cum honorificus hic titulus ad cujuſque libidinem proſtaret? Cum igitur Neapolis a Petronio dicatur antea non fuiſſe, poſtea facta fuiſſe *baſilica*; jam in proclivi erit colligere, Neapolitanos non temere, ſed exorato Principe vel Senatu, ſibi Coloniae Auguſtae nomenclationem impoſuiſſe. At ea hominum modeſtia, eaque erga Senatum obſervantia ante Dionem obtinebat; a qua deſcitum fuit ſub poſtrema, quibus Dio floruit, Antoninorum tempora, ac facile poſt celeberrimam Antonini Caracallae conſtitutionem, qua, communicata cum orbe Rom. civitate, variae urbium ſortes ferme aequatae videntur. Quamobrem ſi Petronii verba de urbe Neapoli (*adhuc Baſilica non erat facta*) ſimul una cum iis componantur, quae Dio de civitatum ſui temporis arrogantia queritur; patebit, Neapolim fuiſſe factam Coloniam Auguſtam, ante ſcribentis Dionis aetatem, atque adeo ante Caracallae *de civitate communicanda* conſtitutionem.

Ac profecto, quae Petronius cap. 58. de vectigali manumiſſionis innuit, omnino ad Caracallae anteriora tempora reſpiciunt. Ibi collibertus Trimalchionis ſic Gitoni, miniſterium ſervile ad ſpeciem obeunti, exprobrat: *O Saturnalia! Rogo, Menſis December eſt; quando viceſimam numeraſti?* Alluditur ad Romanorum legem, qua ſervi manumiſſi *viceſimam* pendere aerario tenebantur. Id autem vectigal olim *viceſima* definiebatur; at poſtea ſancitum primo fuit a Caracalla, ut loco *viceſimae* gravius *decimae* onus ſolveretur. Dio LXXVII. 9. *Praeter vectigalia, quae ab ipſo* (Caracalla) *primum reperta ſunt, tum* (τοῦ τῆς δεκάτης ἀντὶ τῆς εἰκοστῆς ὑπέρ τε τῶν ἀπελευθερουμένων) *vectigal decimae, quam pro viceſima conſtituit, tam eorum, qui manumitterentur, quam hereditatum &c.* Etſi autem idem Dio paullo poſt moneat, rurſum *viceſimam* reductam a Macrino fuiſſe; tamen ex iis quae modo ex indicio Coloniae Baſilicae eruebam, ſatius eſt ut viceſima manumiſſionis Gitonianae ad anteriora Caracallae tempora, quam ad poſteriora Macrini referatur; ut ut Petronius ad Macrini imperium fata produxerit ſua, uti pag. 210. conjiciebam.

Quandoquidem autem viſum eſt, conſignare Epocham Coloniae

Auguſtae Neapolis nec ante Commodi initia, nec poſt Caracallae conſtitutionem; conſequens eſt, ut ſtatuamus eam vel ſub extremis Commodi temporibus, vel ſub Septimio Severo, qui medius inter Commodum (nam breviſſimum Pertinacis imperium non moror) & Caracallam imperavit, ab anno Chr. 193. ad 211. Ac ſane litterati lapides non obſcura Coloniae Neapolitanis ſub hiſce Principibus datae argumenta ſuppeditant. Olim exſtabat Neapoli marmor a Sirmondo viſum, & a Grutero pag. 1085. 7. ac Laſena in Gymn. Neap. p. 146. editum, ubi *M. Aurelius Commodus* renuntiatur *II. VIR QVINQVENnalis*. Fruſtra ſe torquet Cl. Scriptor Th. Calam. p. 453. quo ſuſpicionem Latinae reipublicae, quam certe *Duumviri Quiquennalis* mentio excitat, amoliatur a Neapoli; ſed ejus objectiones tanti non ſunt, ut iis exagitandis hîc immorer. Ceterum quemadmodum, cum Neapolis ad formam Graecae reip. gerebatur, Titus Imp. paſſus eſt ibi creari *Gymnaſiarcha*, atque Hadrianus ibidem *Demarchus* eſſe voluit; ſic in eadem urbe ad civitatem Rom. evocata, Commodus Imp. munus *Duumviri Quinquennalis* gerere affectavit: in quo videtur aemulatus συγκατάβασιν (*indulgentiam*) Hadriani, qui (teſte Spartiano) *per Latina oppida Dictator, Aedilis, Duumvir, Quinquennalis fuit*. Legitur praeterea titulus alius ad Severi tempora pertinens, apud Laſenam Ibid. p. 150. ſed miſerandum in modum mutilatus, vel ſic tamen, apprime docet, ecqua tunc fuerit reip. Neapolitanae ſpecies. Eum titulum ſic emendatum lege: *SEPTIMIO GETAE CAESARI Imp. Caeſ. L. Septimii. Severi. Pii. Pertinacis. Auguſti. Arabici. Adiabenici. Parthici. Max. Tribunitiae Poteſtatis VII. Imp. XI. Coſſ. II. FILIO & Imp. Caeſ. M. Aurelii Antonini Aug. Trib. Pot. FRATRI Domino indulgentiſſimo Ordo P. Q. Neapolit. D. D.* Quas voces litteris majoribus expreſſi, eæ, ut in perduelles fieri ſolebat, eraſae e marmore fuerunt, in gratiam Antonini Caracallae, qui Getam oppreſſerat. Laſena vero ſic titulum edidit, quaſi nihil ibi deſideraretur. Sed haec obiter. Nam nunc ſedulo notata velim verba illa: *Domino indulgentiſſimo Ordo Populuſque Neapolitanus*. Quae formula plane arguit, Neapolitanos non amplius ſui juris fuiſſe, ſed ſe ſe ad ingenium Colonorum fingentes, ſuſtinuiſſe filium Imperatoris, quaſi ejus eſſent jure mancipi, ſalutare *Dominum indulgentiſſimum*. Cave tamen credas, ſolos Neapolitanos adeo humiliter de ſe ſenſiſſe: ea enim tunc erat vox, iſque ſenſus ceterorum Colonorum, qui ſic Majeſtati Romanorum demiſſe ac prope vernaliter adulari ſolebant. Hinc collige, quantum priſtinae dignitatis jacturam Neapolitani exeunte altero Chri-

ſti

ſti ſaeculo fecerint, quave juris formula ea tempeſtate uterentur. Plura dicere abſtineo; nam mihi propoſitum fuerat, inconſultis omnino veteribus inſcriptionibus, ex uno Petronio argumenta Coloniae Neapolitanae elicere: id quod affatim me praeſtitiſſe auguror.

SECTIO VI.

Indicio Palaeſtrae Neap. abolitae aetas Philoſtrati Iconographi a temporibus Antoninorum ad Neroniana rejicitur.

SEd jam inſtituti mei ratio poſtulat, ut ad Neap. Gymnaſii, unde jamdudum diſceſſi, pandenda fata ſermonem reducam. Dixi pag. 146. videri ſub Commodo Imp. palaeſtram Neapoli conticuiſſe, duabus praeſertim de cauſis. Prima illa eſt, quod cum Neapolitani eo tempore ad inſtituta Romanorum per Coloniae jus confugiſſent, proximum fuit, ut quae pauca ex vetere Graecanica inſtitutione adhuc ſupererant, inductà jam nova veluti facie rebus publicis, omnino deponerent. Alterum abolitae palaeſtrae indicium petitur e ſilentio veterum lapidum atque ſcriptorum. Profecto ſi retro pedem referas, ac tempora Commodo anteriora luſtres, luculenta quaquaverſus gymnaſii Neap. teſtimonia tibi incurrent in oculos: tanta id genus copia teſtium abundamus. At ſecuta aetate nemo (quod equidem ſciam) exſtitit, qui gymnica certamina ſuo tempore obita Neapoli ſignificet. Nam quod Laſena noſter adhuc ſub Diocletiano ſuperaſſe hîc Gymnaſium hariolatur, ſupra pag. 147. exſufflavi. Nihilo deterius quis ex Auguſtino (40) contenderet, diutius opinione mea ſtetiſſe palaeſtram: eo enim Hipponenſis Epiſcopi loco gymnaſium, in quo non athletae certabant, ſed ubi Philoſophi garriebant, unice deſignatur. Quamquam ne quid eorum, quae meis rationibus adverſari videntur, ſilentio premam; opponi mihi poterit Philoſtrati ejus, qui Imagines deſcripſit, & quem plerique uſque ad Philippi imperium fata produxiſſe volunt, auctoritas. Hic autem dum occaſionem ſcribendi imagines ſibi oblatam narrat, ſimul diſerte ſignificavit, ſe praeſente commiſſum Neapoli

(40) Auguſtinus contra Academicos diſputans lib. III. 16. Gymnaſii Neap. meminit hiſce verbis: *Perſuadebis nimirum tamquam in Cumano gymnaſio, atque adeo Neapolitano peccaſſe*. Aetate Auguſtini jam ubique gentium palaeſtricae exercitationes omnino deſierant. Ergo hîc *Gymnaſium* non athletica palaeſtra eſt, ſed *Schola*, *ubi vir bonus diſcitur*; quemadmodum Seneca exhedras Gymnaſii Neapolitani vocarat. Vide dicta pag. 100.

poli fuiſſe agonem. Ἀφορμαὶ δὲ ἐμοὶ τουτωνὶ τῶν λόγων αἵδε ἐγένοντο· ἦν μὲν ὁ παρὰ Νεοπολίταις ἀγών .... Βουλομένῳ δέ μοι τὰς μελέτας, μὴ ἐν τῷ φανερῷ ποιεῖσθαι, παρεῖχεν ὄχλον τὰ μειράκια, φοιτῶντα ἐπὶ τὴν οἰκίαν τοῦ ξένου &c. *Scriptionis hujuſmodi hae mihi incidere cauſae. Celebrabatur apud Neapolitanos agon .... Mihi autem meditationes haud in propatulo facere volenti, adoleſcentes hoſpitis domum frequentantes, moleſtiam creabant. Divertebam itaque extra moenia in ſuburbio ad mare vergente.*

Atqui hujus difficultatis impreſſionem levi lateris, uti dici ſolet, declinatione, facile poſſem effugere, ſi contenderim, Agonem, de quo hîc Philoſtratus, non athleticum fuiſſe, ſed utique declamatorium. Profecto ea fuit ſententia Mazochii, hunc ipſum Philoſtrati locum erudite more ſuo enucleantis in diſſert. de Cathedr. Neap. pag. 102. qui ut Toloſae, ſic Neapoli quoque, declamatoria certamina eo tempore agitata arbitratur (41). Verum quominus huic opinioni acquieſcam, facit veterum de Neapolitano agone declamatorio ſilentium, ac praeterea emphatica Philoſtrati locutio, ὁ παρὰ Νεοπολ. ἀγών· perinde ac ſi diceret, *ille celeberrimus apud Neapolitanos agon*. Ea enim eſt articuli demonſtrativi vis & poteſtas. Ille ſcilicet agon, quem Strabo cum praeſtantiſſimis Graeciae certaminibus contendiſſe affirmat; hic autem gymnicis, non declamatoriis meditationibus commendabatur. Fuerit igitur gymnicus ille agon a Philoſtrato memoratus: ſed tamen quidvis a me impetrari patiar, quam ut concedam, certamina obita Neapoli fuiſſe uſque ad Philippum Imp. ſub quo Philoſtratum Iconographum floruiſſe volunt; uſque adeo ut ſi quid in alterutram partem audendum ſit, magis Iconographum loco ſuo movere, inque tempora anteriora rejicere praeſtaret, quam gymnaſia ad Philippi imperium continuata producere. Jampridem enim, ut in praecedentibus oſtendi, palaeſtra Neap. ſub primis Antoninis ſtetit & obmutuit. Ante ea tem-

(41) Sane qui ſedulo verba Sophiſtae perpenderit, facile arguerit, Philoſtratum voluiſſe quidem ingenii, facultatiſque ſuae ſpecimen edere, ſed tamen confertas hominum turbas averſatum, nonniſi pueros procul a gymnaſii ſtrepitu admiſiſſe auditores: quo ſimul innuitur, ceteros Sophiſtas ad dicendum audaciores promptioreſve, coram populo ſuas ἐπιδείξεις q. d. *oſtentationes* (ſic enim Graeci vocabant hujuſmodi declamationes, eo quod non ſine quadam oſtentatione recitabantur. vide Reineſ. II. 24.) in Gymnaſii exhedris edidiſſe. Hinc deduci poſſet, in illo agone, qua tempeſtate Philoſtratus de Imaginibus diſſeruit, Rhetoras, non athletas fuiſſe commiſſos. Attamen ſatis incerta fides eſt de Sophiſtis eo agone certantibus: nec niſi conjectura foret, intuto fulta tibicine.

tempora vixerit Philoſtratus oportuit, quandoquidem Neapolitano agoni interfuiſſe commemorat. Atque inde mihi orta videtur errandi occaſio, quod cum plures (42) vario tempore exſtitiſſent Philoſtrati, iique Sophiſtae omnes; facile fuit, unum pro altero accipere, operaque uni detracta, alteri inter cognomines illuſtriori, uti fert conſuetudo, ſupponere.

Supra ceteros autem Philoſtratos eminuiſſe videtur ſecundus, qui primum Athenis artem oratoriam, deinde Romae docuit ſub Severo Imp. uſque ad Philippum. Is tum Heroica aliaque nonnulla deſcripſit, tum vitam Apollonii Thyanei octo libris complexus eſt, qua poſtrema ſcriptione cum ob rerum varietatem, tum ob admirandarum narrationum lenocinium, ac veluti quamdam faſcinationem, non minus biographus ipſe, quam ab eo laudatus impoſtor, inclaruit. Huic ipſi Suidas attribuit Imaginum libros, in quorum exordio illa incidit agonis Neapolitani mentio. Hîc autem ſi primus omnium edicerem, Iconum libros non ſecundo Philoſtrato, de quo modo diſſerui, ſed utique primo, qui ſub Nerone floruit, aſſignandos eſſe; fortaſſe apud nonnullos invidia flagrarem, eo ex capite, quod cauſae meae velificans, ne palaeſtram ſcilicet adhuc ſub Philippo Imp. Neapoli patuiſſe darem, praefracte obſtinateque maluerim, auctorem Imaginum e loco ſuo turbatum, in remotiora tempora rejicere. Sed recte eſt, quod ante centum quinquaginta amplius annos Joannes Meurſius (qualis quantuſque vir!) hanc a me calumniam ſit amolitus. Qui quidem homo egregius, alio prorſus atque ego ſpectans, libros Imaginum e manu prioris Philoſtrati prodiiſſe contendit. Legatur ejus diſſertatio addita Epiſtolis Philoſtrati edit. Lugdun. Batav. an. 1616. quam Olearius in ſuo Philoſtrato recudit Lipſiæ ann. 1709. & ex parte recitavit Kuſterus ad Suidam. Haec igitur inter cetera habet: *Ut rem recte teneamus, Philoſtrati Lemnii tres fuerunt. Unus ſub Nerone, quique vitam ad Trajanum etiam produxiſſe videtur. Alter, hujus ex filia nepos; qui ſub Antonino Philoſopho natus, ad Philippum uſque vixit. Tertius, ejus ex Nerviano fratre majore, ut arbitror, nepos & gener. Prioris ſcripta:* Iconum libri II. *qui falſo a Suida ſecundo tribuuntur. Al-*

(42) Tres Philoſtrati a Suida recenſentur. Primus ſub Nerone floruit; alter ad Philippi imperium vitam produxit. Tertius ſecundi nepos ex fratre fuit. Omnes profeſſione Sophiſtae, domo Lemnii, ſcriptis operibus, quae partite enumerat Suidas, inclaruerunt. Primo loco tamen a Lexicographo producitur Secundus; forte quod ceteros cognomines fama ſuperavit.

Alterius, Vita Apollonii, Heroica, Epiſtolae, & Iconum (43) *liber unicus; quem male tertio tribuit Suidas*. *Tertii*, Vitae Sophiſtarum; *quas male ſecundo adſcribit Suidas*. Philoſtratus igitur is, qui in libris Imaginum agonis Neap. meminit, primus fuit ex recenſione Meurſii, non ſecundus. Primus autem ſub Nerone vixit, hoc eſt ea tempeſtate, qua gymnica exercitia tum alibi, tum Neapoli praeſertim frequentabantur. Ergo longior illa gymnaſii Neap. diuturnitas, quam ei aetas Philoſtrati Secundi qui ad Philippum uſque vixit, conciliare videbatur, nonniſi praepoſterae vulgi opinioni, qua pennae uni detractae adjungebantur alteri, innitebatur.

Nunc ſi quis a me quaerat, ecquae incidêre cauſae, ut libros imaginum auctori non ſuo ſuppoſuerint, ajo rem facile illi fore compertam, qui animo reputaverit, indiſcretam nominum ſimilitudinem hujuſmodi offucias non raro feciſſe. Plerumque enim in hiſtoria Graeca Romanaque accidiſſe comperimus, ut hiſtorici, decepti nominum parilitate, non ſuo quamque rem auctori detulerint. Abſtineo exemplis, ὅσα κόνις. quominus mirandum ſit, ſi quae a ſeniore Philoſtrato elucubrata fuerint, ea juniori Philoſtrato Suidas, inauſpicatus hoc in judicio praetor, addixerit. Praeterea hoc etiam uſuveniſſe ſaepe animadverti, ut major quis atque illuſtrior inter cognomines, tametſi non vetuſtior, ampliori, quam ceteri, rerum geſtarum copia diteſcat. Itaque non ſolum quae dubia ſunt, & incerti dominii, ſed & alia non pauca alieni peculii, praejudicia vulgi huic Majori deferunt. Nec ſecus res ceſſit Philoſtrato ſecundo; cui quandoquidem is, ut ante innui, politiori Attica locutione, narrationumque praeſtigiis ſupra ceteros cognomines (44) excelluit, facile fuit & libros imaginum manu Philoſtrati primi elaboratos imputare; ſed quos Meurſius auctori ſuo legitimo, veluti in recuperatorio judicio, mira ſagacitate vindicavit.

Hîc autem intercedit Fabricius, ſententiam Meurſii non liquere pronuntians lib. IV. cap. XXIV. pag. 48. *Has* (inquit) *imagines Meurſius*

(43) Deſcribendis imaginibus Philoſtrati duo incubuere, ſic ut unus habuerit domeſticum alterius exemplum ad imitandum. Hoc unus ab altero diſtat, quod primus voluminibus duobus, etſi quatuor Suidas memoret; junior libro ſingulari picturas exſequitur. Vide exordium Philoſtrati, qui ex recenſione Meurſii ſecundus eſt, ubi ultro ſe veſtigiis Philoſtrati avi materni inſtitiſſe praefatur.

(44) Excellentia ſecundi Philoſtrati ductus, opinor, Suidas, primo loco res ab eo geſtas enarravit; tum poſtea de primo Philoſtrato, ac deinceps de tertio diſſeruit. Non temere igitur nec inconſulte Grammaticus ordine temporis neglecto, Secundum praemiſerit, utique praeſtantiae majoris praerogativam ſecutus.

ſius antiquiori cuidam tribuit Philoſtrato, ſed nullum video argumentum firmum quo demonſtret falſam eſſe ſententiam Suidae, qui vitam Apollonii, & Imaginum libros ad unum eumdemque auctorem refert, licet fateor eum alioqui ubi de Philoſtratis agit, non eſſe per omnia valde accuratum. Equidem non is ego ſum, qui libripendis partes in me recipiens, aeſtimare valeam, Meurſius an Fabricius plus in ſuadendo ponderis habeat: tamen ſi rationes utriuſque comparandae ſunt, nullus, opinor, dubitaverit, quin prae Fabriciana ſit graviſſima Meurſii ſententia. Nam quis ſibi perſuaſerit, Iconographum Philoſtratum, teſtem gymnaſii Neap. oculatum tum vixiſſe, cum nullum ſupererat palaeſtrae veſtigium? At vero ſi auctor Imaginum idem ac Scriptor Vitae Apollonii fuerit, prono alveo flueret, adhuc ſub Philippo ſtetiſſe Neapoli gymnaſium: quod quidem quam longiſſime abeſſe a vero, plura ſuadënt. 1. Jus Coloniae quaeſitae a Neapolitanis; quo jure reliqua ſuperantis adhuc Graeciſmi veſtigia plane deleta fuiſſe veroſimillimum eſt. 2. Altum de Gymnaſio Neap. a primis Antoninis ac porro ſecutis temporibus ſilentium. 3. Denique mentio apud Petronium ludorum munerariorum ac Circenſium, qui ex conſuetudine Romana adſciti, ſucceſſiſſe gymnicis Graecorum videntur. Petronius autem, ut ante oſtendi, ſub poſtremis Antoninis floruit: quo fit, ut Petronio vetuſtior Philoſtratus Iconographus judicandus ſit.

Fuerint igitur infirma Meurſii, ut videntur Fabricio, argumenta: ſed hujus alterius argumenti, quod e mentione Agonis Neap. petebam, vis atque robur quo pacto declinari valeat, ignoro. Enimvero ſi verum, quod veriſſimum eſſe judico, ſub Commodo Imp. (45) poſtremam incidere palaeſtrae Neap. commemorationem; praeterea ſi negari non poteſt (46), Petronium ſaepe de gladiatoriis, ac Circenſibus, nuſquam de athleticis locutum; ecquid ultra tricabimur, Philoſtratum illum, qui imagines deſcribens Agonis mentionem injecit, Petronio vetuſtiorem renuntiare? Philoſtratus igitur ſecundus defugit auctoritatem duorum Imaginum librorum, nec niſi librum ſingularem Imaginum ſuum agnoſcit. Hic autem liber ſingularis, cum editus ab auctore fuerit ad imitationem μητροπάτορος, *avi materni*, ſui, qui in idem argumentum jampridem inſudaverat, pone ſequitur, ut binos Imaginum libros Philoſtrato primo, qui ſub Nerone floruit, vindicemus: quae ipſa fuerat Meurſii, confuſam Philoſtratorum ſeriem recenſentis, ſententia.

 Jam

(45) Vide dicta pag. 146. (46) Vide dicta pag. 207.

Jam vel me tacente quivis intelliget, quanti momenti fuerit, Epocham palaeſtrae Neapoli deſitae definire: ſimul enim una eademque opera, bigam illuſtrium Scriptorum in ſua aetate, veluti in ſuo lumine, datum eſt collocare. Controverſum quidem erat, num Petronius ſub Nerone an potius floruerit ſub Antoninis. Hoc alterum a Valeſiis fratribus propugnatum, ceteris minus probabatur. Praeterea Philoſtratus Scriptor Imaginum ſub Nerone an ſub poſtremis Antoninis vixerit, ſub judice lis erat. Meurſius enim primum, negantibus aliis, tuebatur. At vero dirimendae utriuſque controverſiae cauſâ, figendus quidam terminus erat, unde in utrumque Scriptorem veluti proſpectus eſſet, atque unde intueri liceret, ecquis eorum citra, ecquis ultra tenderet. Is terminus fuit Epocha Coloniae Neap. quae ſub primis Antoninis ſiluit: quo indice rem me confeciſſe arbitror. Sane Philoſtratus Iconographus, quia Agonis Neap. meminit, ante Antoninos vixerit oportet; Petronius vero, quia non meminit, ad citeriora tempora deſitae palaeſtrae deducendus erat. Quamobrem ſi nihil aliud e Gymnaſii Neap. commentatione profeciſſe videar, niſi quod incertam Petronii & Philoſtrati aetatem reddiderim aliquanto certiorem, uberrimum longi laboris fructum me tuliſſe gauderem.

CA-

CAPVT VI.

De Gymnaſio Puteolano.

POſt expoſitas Gymnaſii Neapolitani, quod unum reſtabat expediendum ex iis, quae in athletica noſtra inſcriptione memorantur, viciſſitudines; potuiſſem equidem commeatu a lectoribus impetrato, conſulere requieti meae, ac veluti domuitionem cogitare. Profecto quicquid erat in laudata epigraphe vel enucleandum vel illuſtrandum, totum id a me ſi minus ornate ac pro dignitate, pro virili quidem certe, copioſeque ediſſertum fuit. In texendo praeſertim catalogo Gymnaſiorum, unde T. Flavius Archibius, cui titulus ille marmoreus poſitus a Synodo athletarum fuerat, victor diſceſſerat; mihi certe non defui, inſtituta diligenter eorum omnium numeratione, enarratiſque ſingulis in loco ſuo palaeſtris, & qualicumque commentario expolitis. At vero quoniam, cum ſupplendo marmori pag. 15. vacabam, *Puteolos* in vacua ſede versùs 21. ſiſtendos eſſe judicavi; nunc neceſſarium eſſe duxi, rationem hujus mei conſilii aliquanto latius exponere. His adde, quod Puteolorum cum Neapoli vicinia, innuere quodammodo, atque allicere videbatur, ut luſtrato Gymnaſio Neapolitano, protinus in Puteolanum oculos conjicerem. Id quod & veteres ſecuti fuiſſe videntur, qui ſicubi recenſendis athleticis gymnaſiis incumberent, Neapolitanos agonas ſeorſum a Puteolanis ire (1) noluerunt.

Itaque ſive locum Puteolis a me in diſſecto marmore redditum, ſive proximitatem Gymnaſiorum Neapolitani ac Puteolani, ſive denique Veterum, de utraque ſimul palaeſtra differentium, conſuetudinem, reputaveris; non abs re me feciſſe judices, ſi abſoluto in Gymnaſium Neapolitanum commentario, aliquantulum operae in Puteolanum impenderim. Agam igitur de Puteolana Palaeſtra, ſed non eo uſque ſollicitus, ut initium ac finem ejus palaeſtrae eruere allaborem; id quod ut in Gymnaſio Neap. praeſtarem, me non perfunctorie jactavi. Satis nunc mihi ſuperque fuerit, ſi quo tempore ſcalpta Epigraphe Neap. fuit, tunc agonas gymnicos Puteolis agitatos oſtenderim, & quo nomine ſint ii ludi cenſendi, divinarim.

De conditu Puteolorum, de variaque hujus oppidi diverſo tempore fortuna, memini me ſaepe in praecedentibus egiſſe; ac praeſertim pag. 184. oſtendi, Dicaearchiam (id erat vetuſtum loci nomen) ſub Hannibalicis temporibus evaſiſſe coloniam Romanam, Puteoloſque

(1) Vide Grut. p. CCCXIV. Reineſ. Cl. V. 20.

tranſnominatam; antea ſiquidem non oppidum, ſed navale, ac veluti appendix Cumarum, in proximo jacentium, exſtiterat. Sed ex quo viſum eſt, ſub illa temporum jactatione praeſidium militare huic navali imponere ad orae maritimae ſecuritatem, huc Romani tranſcripſere coloniam. Hinc locus ad civitatis evectus dignitatem, novam nactus eſt amplitudinem, novamque nominis impoſitionem; ſi modo novum nomen dicendum eſt, quod nonniſi vetuſtae nomenclationis facta recens interpretatio fuit. Sane inde uſque ab initio, ſi quo colonia decernebatur, deductores antiquum loci nomen non penitus abolebant, ſed vel ad ſuae linguae genium emolliebant, vel ſic interpretabantur, ut recens nomenclatio idem in ſua lingua, quod in vetuſta, ſignificaret. Itaque cum Romani *Dicaearchiam* veniſſent habitatum, eaque Graeca vox univerſe *Judiciale forum* ſive *Dicaſterium* (2) notaret; nihil proclivius fuit Romanis, aſſuetis patrium dicaſterium ſeu Tribunal Praetoris vocare *Puteal*, quam ut Dicaearchiam vertendo tranſnominarent *Puteolos*. Vera igitur veterum Grammaticorum etymologia fuit, deducentium *Puteolos* a voce *puteus*: modo *putei* notionem non a grammaticali ſignificatione, qua aquarum receptaculum vel ſcaturiginem ſignat, ſed ab uſu & conſuetudine Romanorum repetas; qui locum, ubi Praetor jus dicebat, nuncupabant *Puteal*, a *puteo* ſcilicet, quem juxta Praetor collocarat Tribunal. Sane Graeci ſcriptores *Puteal* Libonis non alio, quam φρέατος (*putei*) vocabulo donarunt. A *puteo* igitur forenſi ſi *Puteolos* arceſſas, nihil aliud hanc vocem, niſi *Dicaearchiae* interpretamentum eſſe, fateberis. Sed omnino vide pag. 184. adnot. *6*.

Jam vero pag. *169*. adnot. 8. impeditiſſimam de Puteolanae reip ſtatu controverſiam facili, ni fallor, negotio extricavi. Nam cum Puteoli jam inde ab initio Colonia exſtiterint, & praedicarentur; difficile erat aſſequi conjectura, eccur a Nerone tandem jus & cognomentum coloniae impetraſſe Tacito dicantur. At vero quaeſtio facile componi poterat, ſi fuiſſet animadverſum, Puteolos in aliam ſubinde atque aliam reip. formam conceſſiſſe; ad ſimilitudinem aliarum civitatum, quæ praeſentem ſtatum exoſae, ex jure coloniae municipiive ad libertatem, & con-

(2) Δικαιάρχια, Heſychio eſt ἀρχὴ δικαία, *juſtum imperium*; & Suidae ἡ δικαίως ἀρχούσῃ, *juſte imperans*. His adde Feſtum, cui urbs *Dicaearchia* dicta videtur, quod *juſtiſſime regeretur*. Sed ſi vim nominis ſpectes, *Juridici curiam* ſive *Praetorium*, eo vocabulo ſignari animadvertes. Quo mihi reſpexiſſe videtur Statius cum II. Sylv. 11. v. *96*. Puteolos appellat *Dicarchi moenia*. Δικάρχος vel Δικαίαρχος, ut nominis fert etymologia, ipſe eſt *Praetor* Romanorum, ut Δικαιαρχεία *Praetorium*, ſive *Tribunal*.

contra, prout libitum fuit, commeabant. Itaque, ut hîc complexim dicam, quae latius extuli cit. pag. 169. Puteoli ab Hannibalicis ad Syllana tempora, & a Neronis Imp. aetate ac deinceps, in jure Coloniae conquievere: illo vero medio tempore, quod a Syllana tempeſtate ad Neronis imperium excurrit, libertatem ſuarum legum Civitatis Rom. privilegiis praetulerunt: id quod egregio Ciceronis loco cum Plutarchi collato, me confeciſſe auguror. Porro Puteolana civitas a recuperata ſub Nerone coloniae dignitate uſque ad Caracallae conſtitutionem, qua variae provinciarum ſortes aequatae fuerunt, nihil admodum immutavit; niſi quod ſub Flaviis Principibus *Flaviae* cognomen adoptavit in hunc modum: *Colonia Flavia Auguſta Puteoli* (3), ſive ob accepta beneficia, ſive quod veriſimilius puto, ſollicitante ſtudio, ceteroquin haud inuſitato (4), adulationis: nam non diu poſtea, depoſito *Flaviae* cognomento, *Colonia Auguſta Puteoli* dicta reperitur (5).

His ita conſtitutis, patet inſcriptionem Neapolitanam athleticam, quam ſub Hadriano ſcalptam contendi pag. 44. in media recuperatae a Puteolanis coloniae tempora incidiſſe. Sed quae certamina gymnica tunc temporis agitata Puteolis dicemus, ut iis locus in epigraphe noſtra eſſe potuerit? non certe Εὐσέβεια (*Pialia*) de quibus frequens mentio in lapp. vett. & Scriptoribus: haec enim conſtituta primum ab Antonino (6) in honorem Hadriani patris ſui, illam noſtri marmoris antiquitatem ferre nequeunt. Satius eſt, ut agonem *Buthyſiae* Puteolis editum ea tempeſtate fuiſſe ſuſpicer. Lapis Grut. pag. 1105. memorat *τὸν ἀγῶνα τὸν ἐν Ποτιόλοις Βουθυσίας*, *agonem Buthyſiae Puteolis*. Etſi lapis hic Gruterianus noſtra inſcriptione recentior ſit; tamen verba Graeca, ut ſunt concepta, ſignificant, agonem Buthyſiae non tum primum Puteolis editum, ſed jampridem inſtitutum, ibi de mo-

(3) Proditur hic titulus Puteolorum in pluribus plumbeis tubis, in Muſeum Herculanenſe illatis, & in inſcriptione Gruteri p. CLXI. 5.

(4) Vide locum Stephani, quem emendatum protuli pag 20. ubi traditur Alexandriam varia ſubinde adſciviſſe cognomina Auguſtorum, prout temporum opportunitas ſuadebat.

(5) In Graeca inſcrip. Gruteri pag. MCV. Puteoli ΚΟΛΩΝΙΑ ΣΕΒΑΣΘΗ pro ΣΕΒΑΣΤΗ, *Colonia Auguſta*, dicuntur. Scalptum hoc marmor fuit Gallo & Flacco Corneliano Coſſ. qui anno Chr. 174. Conſules proceſſerunt.

(6) Conſule Scaligerum de Emend. Temp. V. pag. 477. ubi ex Artemidoro docet, Εὐσέβεια Puteolis inſtituiſſe Antoninum Pium, qui idcirco in vetuſta epigraphe Melphae reperta, ſed quae Puteolis ſcalpta fuerit oportet, ſalutatur *Conſtitutor ſacri certaminis Iſelaſtici*.

more inſtaurari conſueviſſe. Βουθυσία, *bovicidium* ſeu bovis immolationem notat, & apud rei Rom. Scriptores extenditur ad publicas ſupplicationes, quae raro ſine ſanguine victimarum majorum peragebantur. Sed Βουθυσία interdum feſti peculiaris nomen eſt, ut in illo Suetonii Nerone 12. *Gymnico, quod in ſeptis edebat, inter BVTHYSIAE apparatum, barbam primam poſuit, conditamque in auream pyxidem & pretioſiſſimis margaritis adornatam, Jovi Capitolino conſecravit.* Utinam ſtrenuiſſimi Tranquilli commentatores, ecquod feſti genus Buthyſia fuerit, dicere occupaſſent; mihi certe nunc de agonali Buthyſia Puteolorum ſatagenti, feciſſent otium. Interim hoc affirmari tuto poſſe reor, Romanos, & Romanorum exemplo Puteolanos, e Graecia ut nomen, ſic ritum Buthyſiae, cum plurimis aliis inſtitutis arripuiſſe. Sed jam mihi praeſagit animus, fore ut in longum hujuſmodi quaeſtio praeter opinionem meam extrahatur: quamobrem contractis, uti dici ſolet, velis, hîc eſto Commentarii, quem in inſcriptionem athleticam Neapolitanam ornabam, finis. Nam ſi quid adhuc ad illuſtrationem Agonis *Buthyſiae* fuerat reliqui, ſeorſum ac veluti per otium, in ſubjecta Diſſertatione diſcutiam.

DE BVTHYSIAE

AGONE PVTEOLANO

DISSERTATIO.

QUi Campaniae nummos, barbati bovis imaginem praeferentes, inſpexit, ac rurſus mentem in Βουθυσίας (*Bovicidii*) agonem Puteolis in Campania celebratum, advertit; is facile conjecerit, nexum, atque, ut ita dicam, neceſſitudinem quandam, inter illam monetalem notam, & hunc Puteolanum agonem interceſſiſſe. Profecto enim Cumana numiſmata frequenter exhibent bovem, ad notandam ſcilicet terrae, laboris patientiſſimae, fertilitatem. A Cumis primordia ſumpſit Dicaearchia, quae poſtea Puteoli dicta: hinc pronum foret colligere, Puteolanos, qui in agro Cumano ſuccreverant, boves quotannis immolare conſueviſſe, ut eo *Bovicidio* ſe gratos erga Numinum indulgentiam probarent, ſimulque oſtenderent, ſe id illis ſacrificare, per quod vel maxime ubertas in agro Campano exuberabat. Inde factum publico ſacrificio *Buthyſiae* nomen: quod feſtum uti celebritate quanta maxima frequentaretur, ea occaſione indictum Puteolis

lis *Buthyſiae Certamen*, fortaſſe a Campaniae populis inſtaurandum; ſic ut qui privatim populi bovum aratorum laboribus diteſcerent, ii in commune quotannis Puteolos, condictam agitando feſto ſedem, adirent, ac praeeſſent agoni. Sic Olympicum certamen, quod Piſae in Elide edebatur, univerſi Elidis populi procurabant, ac ſinguli ſuum *Helladonicam*, qui praeeſſet ludo, ablegabant. In commune etiam Latii populi *Feriis Latinis* viſcerationem Jovi Latiali in Monte Albano inſtaurabant. Hos auctores aemulati videntur & Campaniae populi, qui ad tuendam Campani nominis ſocietatem Puteolos *Bovicidii* cauſa convenerint, iique fortaſſe, qui bovem illum barbatum, veluti teſſeram Campanae neceſſitudinis, exprimebant in nummis.

Verum hujuſmodi conjecturae tum alia non pauca (1), tum illud in primis adverſatur; quod non ſoli Campaniae populi, ſed & alii plures in Graecia tranſmarina, Siciliaque, ac praeterea in Italia nonnulli extra Campaniam cenſiti, eam monetalem notam adoptarunt: quos omnes Buthyſiae operam dediſſe, ut eſt divinatu difficile, ſic affirmare inconſultum omnino foret; magis id adeo, quod ſi typus ille bovis ad ſignificandam terrae, bovum laboribus exercitae, fertilitatem pertinuit; hoc ipſo monemur, populos illos, agrorum culturae ſtudioſiſſimos, facile a bovum, unde tot commoda in ſe redundabant, fundendo ſanguine abſtinuiſſe. Sed quando ſemel injecta mentio eſt bovis barbati, in nummis Campaniae ſaepenumero ſignati; libuit mihi

(1) Ac primum etſi Socii Campani nominis (Campanos voco, qui antiquitus ſive Oſci, ſive Tyrrheni appellabantur) unum veluti corpus in commune conſtituiſſe videntur: Strabo enim in duodecim populos Tyrrheniam Campaniae diviſam docens lib. V. pag. 242. innuit, Oſcos ſic habitaſſe ſeorſum, ut facile in unum foedus, re poſcente, convenirent: Attamen ii populi, ſi quo ſimul coiſſe reipublicae cauſa oportuit, potius Capuam (Campaniae celeberrimam metropolim, & quam idem Strabo Ibid. & p. 248. ita dictam hariolatur, quaſi *Caput* gentis Oſcae) quam Puteolos, Romanorum coloniam frequentaſſent. Praeterea ſoli ferme ex Campaniae populis Puteolani oſtendere non habent nummos patrios, in quibus bos barbatus appareat; nam qui nummi ſic ſignati apud eos jactantur, ſunt incertiſſimae fidei, ut pag. 187. adnot. 6. conqueſtus ſum. Atqui prope miraculo fuerit, ceteris Campaniae populis ad ſignandam *Bovicidii* communionem, exprimentibus in nummis bovem; Puteolanos ſolos, in quorum urbe feſtum ipſum agitabatur, Oſcae ſocietatis ſymbolum, ſi re vera ſymbolum fuiſſet, neglexiſſe. Denique *Buthyſiae* procuratio, quamvis Puteolis agon ederetur, nec ipſis quidem Puteolanis, uti loco ſuo oſtendam, adeo non univerſis Campaniae populis, demandata fuerat.

mihi ante omnia excutere, quo potiſſimum veteres ſpectarint, ut adeo frequenter bovem ſic prodigialiter depictum, in numiſmatis exhiberent; ut hoc primo labore perfunctus, tum denique ad aperiendam Buthyſiae notionem accedam. Itaque more dialecticorum in hac prima diſſertationis parte, *Quid* Buthyſia *non ſit* oſtendam; tum in altera, *Quid* veroſimiliter *ſit*, propius inquiram.

P A R S   P R I O R

In qua oſtenditur, Semibovem virum *barbatum in nummis Campaniae obvium*, *nihil commune habere cum* Buthyſia *Puteolanorum*.

§. I.

Semibovem *virum barbatum non eſſe* Minotaurum, *neque* Neptunum, *neque* Hebonem, *neque* Fluviorum Genium; *ſed commendatâ Pighii & Carrerae ſententiâ*, *ſuadetur*, *Symbolum agriculturae atque ubertatis ſub eo biformi monſtro latêre*. *Plutarchi locus explicatur*.

DE monſtro biformi, qui in nummis Graeciae Italicae ac Siculae ſaepiſſime comparet, variae circumferuntur opiniones, adeo diſſonae, ut quid potiſſimum ſequare, quidve repudies, in incomperto ſit. Enimvero ut minutiora quaedam omittam, alii Minotaurum, infamem Paſiphaës filium; alii Neptunum; alii Hebonem, peculiare Neapolitanorum numen, eſſe malunt. Sunt qui contendunt, eam effigiem quibuſcumque fluviis, nuſquam non cornigeris numinibus, poſſe commode aptari, ſic ut in hujuſmodi nummis non aliud niſi fluvii genius regionis repraeſentetur. Poſt tot tantaque opinionum diſſidia, libuit & mihi rem ad trutinam revocare, & expendere accuratius, utra ſententiarum ponderoſior alteram elevaret. Quamquam, verum ut fatear, quae omnia hoc de argumento ſunt hactenus excogitata, numquam ſe mihi probarunt ſatis; nunc vero (poſtquam numiſmata id genus pleraque inſpicere, contrectare, ſimulque conferre mihi licuit) adeo intuta ac moleſta illa acciderunt, ut ad novam conjecturam proponendam, me excitatum eſſe ſenſerim. Mea igitur ſiſtam in medio, ubi aliena locum ſibi tueri non poſſe, ſingula ſtringendo, ſuaſerim.

A Mi-

A Minotauro, qui diutius quam ceteri, primas tenuit, ordiar. In quo monſtro alii Cretenſem, alii Athenienſem (2) urbium Italicarum ac Sicularum originem agnoſcunt; quaſi ſi primi coloniarum conditores eo conſilio portentoſa nota nummos ſignarint, uti poſteri de majorum incunabulis primis monerentur. Atque hi quidem privatim de Cretica an Attica proſapia ſecum digladiantur, in eo vero in commune conveniunt, non eſſe de Minotauro dubitandum; adeoque ea opinio mentes hominum occupavit, ut Spanhemius *de Praeſt. Numiſm.* tom. I. p. 284. judicarit, veram Minotauri ſpeciem non aliunde, niſi ex nummis Italicis Siculiſque, eſſe addiſcendam. Nam cum veteres Scriptores Paſiphaës filium taurino capite & reliquis partibus humanis, contra ac cuditur in nummis, deſcripſerint, illos erraſſe vir prae-

 ſtan-

(2) Vir ampliſſimus Marius Guarnaccius in ſuo ſpiſſo volumine, inſcripto: *Origini Italiche* Edit. Lucae 1767. Tom. I. pag. 354. ſeqq. ex hoc Herodoti, ſive quis alius eſt auctor, Vitae Homeri loco, prope ab initio: *Cymaei tum in Hermei ſinus receſſu aedificabant. Civitati autem quae condebatur, nomen impoſuit Smyrnam Theſeus, ab uxoris nomine, cujus memoriam relinquere volebat:* (ὁ δὲ Θησεὺς ἦν τῶν τὴν Κύμην κτισάντων ἐν τοῖς πρώτοις Θεσσαλῶν, ἀπὸ Εὐμήλου τοῦ Ἀδμήτου): *Hic autem Theſeus ex primariis Theſſalorum fuit, qui Cymen condiderant, ab Eumelo Admeti filio oriundus:* ac praeterea ex nummo, ut ait, Neapolitano, in quo veſtigia nominum *Eumeli* ac *Theſei* ſibi videre viſus eſt; colligit, Theſeum vel Neapolim condidiſſe, vel certe Neapoli cultum fuiſſe; quandoquidem ipſe Eumelus (a quo genus traxiſſe Theſeum, Minotauri interfectorem, fabulatur) inter patrios Neapolitanorum Deos recenſeatur a Statio: indeque liberrime pronuntiat pag. 357. nonniſi Minotaurum in nummis Neap. in honorem Theſei fuiſſe ſignatum. Equidem nummum, quem laudat, non moror; quem utpote corroſum, & fugientibus litteris, non dico exaratum, ſed inquinatum, ne ſulphuratis quidem quis permutare ſe poſſe ſperaret. At vero quod ad Herodotum ſpectat, Vir praeclariſſimus (quod bona ſua pace dixerim) toto aberrat caelo. Theſeus enim Minotauri debellator, alius eſt a Theſeo Eumeli nepote, Cymeſque conditore: ille Troezenius, hic Theſſalus domo fuit: ille ad mythica tempora, hic ad aetatem Aeolicae migrationis, quae Trojano bello fuit multo recentior, pertinet. Adhaec quo tempore Smyrna a Theſeo Theſſalo condebatur, editum fuiſſe in lucem Homerum narrat ibidem Herodotus: hoc ſaltem monere Clariſſimum hominem potuit, uti Theſeum ferme aequalem Homero, ab illo vetuſtiſſimo Theſeo, Athenarum conditore, diſtingueret. Ni hic eſt, neſcio an quem alium ἀναχρονισμὸν eſſe dicemus: anachroniſmo autem aſſidet ἀνιστορησία. Interim quis ferat Guarnaccium ſic extremâ p. 357. increpantem: *Si ſpera che i ſaggi e odierni Napolitani .... vorranno apprendere la loro origine DALL'ISTORIA, e dai Fatti, e non più dalle fallaci Etimologie?*

ſtantiſſimus liberrime pronuntiavit. Sed recte eſt, quod pictura Herculanenſis (3) in qua Minotaurus, ad normam utique deſcriptionemque veterum depictus, alius ab eo eſt, qui viſitur in nummis, fidem crepundiis Creticis Atticiſve, auctoritatem criminanti Spanhemio detraxit.

Mazochius vero in Neptunum oculos conjecit, in Tabb. Heracl. pag. 27. & 512. Sane Neptunus ab Heſychio Ταῦρος dictus proditur, & in nummis Poſidoniatarum, qui a Neptuno nomen habuere, non raro *Taurus* apparet. His adde quod Neptuni *cornua* optime geographicum Italiae typum exhibent. Piſo apud Varronem II. de R.R. Italiam a *vitulis* arceſſit: extremamque Italiae partem in duo promontoria diviſam, Plinius III. 10. *Italiae frontem* appellat, Mela vero II. 4. aequaſſe bucero capiti videtur; *Frons ejus* (inquiens) *in duo quidem ſe cornua . . . ſcindit*. Hinc indicium capit homo noſter quavis praedicatione major, Italiotas hanc pecoris imaginem in nummis ſuis delineaſſe, eo quod ea regionis figuram apprime referret. Sed huic ingenioſiſſimae conjecturae illud obſtat, quod non Italiotae ſoli, ſed & Siciliotae non pauci, ut Entellini, Agyrinaei, Geloi, Himeraei id inſigne monetale adoptarunt; qui, ſi quidem de exprimendo typo regionis ſolliciti fuiſſent, potius ſpeciem triquetram, quae Siciliae eſt, quam bicornem, ſignaſſent in nummis.

Jam in conſpectum ſe dat ordine ſuo Hebon, quem nonnulli Scriptores noſtri, Circea fortaſſe virga percuſſum, ex bipede ſublimi erectoque, in quadrupedem incurvicervicum transformarunt. Audi ſodes metamorphoſim. *Item Liberi patris* (ſunt verba Macrobii Saturn. l. 18.) *ſimulacra partim puerili aetate, partim juvenili fingunt; praeterea barbata ſpecie, ſenili quoque, uti Graeci ejus, quem Baſſarea, item quem Briſea appellant; & ut in Campania Neapolitani celebrant Hebona cognominantes*. Qua in deſcriptione Bacchi, nemo non humanam ſpeciem agnoviſſet; & tamen J. Caeſar Capacius *Hiſt. Neap.* lib. I. 14. Matthaeus Aegyptius in *De Sen. Conſulto Bacchan.* p. 30. Cl. Scriptor *Thec. Calam.* p. 673. quique eum Italice pene ad verbum reddidit, ornatiſſimus *Coloniarum Phoeniciarum in Regnum Neap.* deductor pag. 226. ſeqq. cum de imponendo nomine illi monſtro monetali ſatagerent, nec aliunde quod aliud promerent, habuiſſent; commenti ſunt, Liberum patrem barbata ſpecie, quemadmodum a Macrobio deſcribitur, uni-

(3) In Tab. V. Tomi I. Pictur. Herculan. pingitur ſtans Theſeus, cui manus pueri puellaeque a praeſenti morte vindicati, exoſculantur: juxta jacet Minotaurus extinctus; ſed hic homo eſt, qui in caput bubulum deſinit, non contra: nec ſecus Minotaurus pingitur in Athenienſium nummis.

univerſim ſub eo monſtro latere in nummis Acarnaniae, Siciliae, & Campaniae, ſic tamen, ut in nummis aliis Graecanicis *Baſſareus* vel *Briſeus*, in nummis vero Campaniae *Hebon* cognominandus ſit. Inde plura de Hebone diſſerunt, eumque Neapoli, quod ceteroqui ignotum nemini eſſe poterat, impenſe cultum oſtendunt. Equidem ut eorum ſtudio in hac parte velificem; non diffiteor, Hebonem in honore maximo habitum, nec Neapoli ſolum, ſed & (4) Calatiae quoque, addo etiam in univerſa Campania; ſed hoc unum negarim, Hebonem in taurum, humano vultu ſuperſtite, transformatum uſquam conſpici aut ſignificari. Nam ſi de Macrobii verbis, quae ſola pro adſtruendo tauriformi Hebone jactantur a noſtris, agitur; nimis intuta res eſt; ille enim Liberum patrem, nunc *puerili aetate*, nunc *barbata ac ſenili ſpecie* deſcribens, nonniſi naturalem vel pueri, vel barbati ſenis imaginem excitat animo, ac veluti ſiſtit ob oculos. Unde ergo tam repente cornua ei in fronte pullularint? Et cornua quidem Liberi patris facilius ferri poſſent; quandoquidem haec cum aliis diis communia ille haberet. Sed quis adeo contumelioſe de Baccho ſenſit, ut & humanum ejus ſtatum prodigialiter incurvaret, & praegrandes aures ad buceri pecoris ſimilitudinem appingeret? Porro ubinam, quaeſo, Hebon ſic transformatus aut deſcribitur, aut pingitur? non alibi certe, niſi in noſtrorum praeſtigiatorum acetabulis; & hi quidem Hebone, ut rentur, a ſe in nummis Campaniae demonſtrato, tanta jubilatione geſtiunt, ut non vehementius olim Aegyptii ſacerdotes invento Api exultaverint.

Petrus Burmannus, dum nummum Oeniadarum in Acarnania, in quo nummo eadem tauriformis ſenis imago viſitur, illuſtrat, ſtrictim digreditur in nummos alios ſimiliter percuſſos, & ingenioſiſſime conjicit, eo ſymbolo ſignari fluvios cujuſque regionis. *Acheloi igitur fluvii caput* (inquit in *Commentario ad Nummos Siculos* edito cum *Siculis Phil. Dorvillii* pag. 389.) *hîc potius cum Dorvillio agnoſcamus, ad Oeniadarum ſitum, ut patet ſignificandum: & admiſſa ſemel ac notata*

 hac

(4) Teſtatur id vetus inſcriptio, quae hodiedum Calatiae proſtat, editaque fuit a Nicolao de Simone in *De Statutis Municipalibus Civitatis Calatiae* pag. 18.

ΗΒΩΝΙ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩ ΘΕΩ
ΤΑΓΜΑ ΚΑΙ ΛΑΟΣ ΚΑΛΑΤΙΝΟΣ

i. e. *Heboni praeſentiſſimo deo Ordo Populuſque Calatinus*. Ab amico, municipe Calatino, didici, in marmore ſcalptum: ΗΒΩΝΗ. Errore ne quadratarii, an conſulte, quia olim & ΗΒΩΝ & ΗΒΩΝΗΣ efferretur? Sane pag. 150. ſimile quid in inſcriptione Neap. deprehendimus, ubi ΕΤΑΝΘΗΙ pro ΕΤΑΝΘΕΙ.

hàc obſervatione eam nobis uſuvenire experiemur in aliis etiam nummis, quos Minotauri capite inſignitos vulgo jactant, in quibus non dubito cornuta ejuſmodi capita potius referenda eſſe ad Fluvios urbibus illis, ad quas numi ſpectant, vicinos. In Burmanni ſententiam conceſſit ampliſſimus aeque ac doctiſſimus Gabriel Caſtellus Princeps Turremuzzae in *Inſcriptionum Sicularum prolegomenis* pag. XXVII. eamque latius uberiuſque explicavit, ac porro propugnare adniſus eſt, urbes omnes, quarum nummi hujuſmodi contrectantur aut ſecus flumina, aut non procul inde, ſtetiſſe. Sed aegre adducor ut credam, hanc interpretationem omnibus peraeque nummis poſſe commode aptari. Nam ut de Siciliae nummis diſſimulem; de nummis Graeciae Italicae hoc affirmare poſſum, eorum pleroſque ad illas pertinere urbes, quae a fluviorum alveis longo intervallo diſtant: quamvis earumdem urbium loca paſſim humecta eſſe madidaque, aut unde unde irrigua, non diffiteor.

Sed ne lectorem longa expectatione ſuſpenſum diutius detineam; prae ceteris mihi mirifice placet ſententia Steph. Vinandi Pighii in Annal. Magiſtr. Rom. tom. I. pag. 422. & Petri Carrerae in Diſquiſit. Numm. Catan. & Panorm. p. 63. qui bovem illum humana facie praeditum, loco ſymboli ſignaſſe veteres in nummis exiſtimant, ut eo labor agricolarum atque induſtria, agri culturae patientiſſimi, & ubertas eximia adumbrarentur. Sane fuit olim hoc in more poſitum, ut appingerentur in nummis animalia, plantae fruticeſve, queis regio abundaret, vel quae urbis magiſtratuſve nomen utcumque exprimerent, vel denique ad loci ingenium alluderent. De qua ſymbolica ſcalpendi ratione copioſe quamplurimi diſſeruere: quae hîc appoſite delibarem, niſi meus eſſe mallem. Attamen ne rem tacitus omnino praeteriſſe videar, egregium Plutarchi locum proferam, ad rei quam tractamus, faciendam fidem appoſite comparatum: Ἐν δὲ τῷ Κορινθίῳ οἴκῳ &c. *Cum enim* (inquit in de Pythiae Oraculis p. 399.) *in Corinthiorum domo ſpectaremus æream palmam . . . torno inſculptae ad radicem* [βάτραχοι (5) καὶ ὕδροι] *ranae & hydri Diogeniano admirationem injecerunt*

(5) Mirifice Plutarchus hoc loco ſe ſe excruciat, uti ſcopum collineet, quo fortaſſe artifex ſculpendo *ranas* atque *hydros* in palma, ſpectarit; ac tandem eo labitur, ut ranas veluti vernae tempeſtatis ſymbolum, interpretetur. Nimis a propoſito, ut puto, alienum. Equidem fruſtra ſim, ſi quae vir maximus vel ignoravit, vel non probe perſpexit, homuncio coner emendare. Attamen tamquam unus e multitudine, veluti in concione, ubi loquendi palam datur cuique facultas, ſtrictim dicam quae ſentio, nihil

runt . . . Non enim palma, ut aliae arbores, paluſtris eſt, aut aquae amans planta : neque Corinthiis cum ranis quidquam rei eſt, [ὥστε σύμβολον ἢ παράσημον εἶναι τῆς πόλεως] *ut pro nota aut ſigno ejus urbis haberi debeant : quomodo Selinuntii quondam aureum* [Σέλινον] *apium, & Tenedii* [πέλεκυν] *ſecurim, a cancris* (6), *qui apud eos naſcuntur ad locum, cui Aſterium nomen &c.* Ex quibus Plutarchi verbis intelligere eſt, urbes populoſque non ſecus ac naves (7) & privatas familias, ſua habuiſſe σύμβολα καὶ παράσημα, *notas ac ſymbola*, ſed quae genio loci reſponderent; indeque Chaeronenſis Philoſophus

nihil ultra ſollicitus. Ajo igitur fabrum, ſive potius fabros (duos enim fuiſſe conjicio) æreae palmae, id facere occupaſſe, quod alio tempore aemulati fuere *Batrachus* & *Saurus*, ſtatuarii non ignobiles; de quibus Plinius lib. XXXVI. extremo cap. 5. *Sunt certe etiamnum in columnarum ſpiris inſcalpta nominum eorum* (Sauri & Batrachi) *argumenta, LACERTA, atque RANA.* Utrique enim cum nominum ſuorum inſcriptio in operibus, quae elaboraverant, negata fuiſſet: callide ſuppoſuerunt nominibus argumenta nominum, *Ranam* ſcilicet & *Lacertam*, quae Graece reddita, Βάτραχον & Σαῦρον, h. e. artifices ipſos *Batrachum* & *Saurum*, ſonabant. Quas columnarum ſpiras memorat Plinius, fortaſſe illae ipſae ſunt, quae hodiedum viſuntur Romae in Aede S. Mariae trans Tiberim. Capitulum unum hujuſmodi, in cujus ſpiris affabre ſcalptae viſuntur *ranae* ac *lacertae*, inciſum æreae formae ſum nuper ingenti gaudio contemplatus apud Cl. V. Marchionem Galianum, virum amiciſſimum, ac politiore litteratura cultiſſimum. Id autem artificium architectatos prius fuiſſe conjicio, artifices illos, qui flandae ex ære palmae, de qua Plutarchus, inſudarunt: qui, ſive quia ſua inſcribere nomina vetarentur, ſive quia hieroglyphicam ſcalpendi rationem ſequi voluiſſent (ut oſtendere paribus vetuſtis exemplis, ſi id agerem, poſſem); vice nominum expreſſerunt in palma Βατράχους καὶ Ὕδρους (*ranas atque hydros*): intempeſtive quidem ſi rem ipſam in loco non ſuo ſcalptam aeſtimaveris; at vero non parum opportune, ſi explores, ac veluti pervadas conſilium eorum, qui nomina ſua prodere per haec vicaria ſymbola maluerunt; ita ut perſpectis typis ranae atque hydri, facile conjiceretur, unum *Batrachi*, alterum *Hydri* nomen geſſiſſe.

(6) De hoc ſymbolo *Bipennis* loquitur praeterea Stephanus in V. Τένεδος· etſi aliunde repetat originem, ac Plutarchus fecit. Etenim ille arceſſit cum Ariſtotele cauſam a ſevera Tenediorum lege, qua adulteria *ſecuri* plecterentur; quam ſanctionem primus ſubierit filius ejus, qui legem tulit: in cujus rei memoriam atque exemplum narrat Ethnicographus, Tenedios *bipennis* notam in moneta obſervaſſe.

(7) De navium παρασήμοις res eſt exploratiſſima: at vero de ſymbolis familiarum legi digna ſunt, quae Mazochius in Tabb. Heracl. pag. 148. ſeqq. erudite copioſeque diſſeruit: unde quid ad ſpecimen hîc opportune delibarem, niſi confiderem, lectorem ex ipſo fonte potantem, multo doctiorem fore diſceſſurum.

phus abjudicat a Corinthiorum inſignibus ranas, quae utpote aquarum hoſpitae, portendunt agrum uliginoſum, cujuſmodi non erat Corinthiacus. Profecto enim Cumani ſaepe ranas exhibuerunt in nummis, ad notandam ſcilicet aquarum in vicinia ſtagnantium copiam. Ergo urbium ſymbola erant hujuſmodi, quae vel Deorum religiones, vel hominum artes induſtriamque animalium arborumve, copiam, ſoli benignitatem, ſpeciemque fructuum, qui ibi exuberabant, ſignificarent: ut Metapontini nummi frequentiſſime prae ſe ferunt ariſtas, queis ager frumenti feraciſſimus oſtendebatur. Jamvero ad ſignificandam agri bonitatem ac veluti docilitatem, omnigenamque culturam, nullum aptius excogitari ſymbolum potuit, quam bos, cujus labores, humanorum laborum vicarii, plus in colendo agro, quam mille aratorum manus, emolumenti conferunt. Hinc apud pleraſque gentes boves ſummo in honore, adeoque neceſſarii ſunt habiti, ut Athenis ſi quis bovem mactaſſet, haud impunius abiret, quam ſi hominem agricolam interfeciſſet (8). Quamobrem in hanc Pighii, & Carrerae ſententiam concedo: ubicumque bos quoquo modo fictus in nummis apparet, ibi univerſim terram aratri patientem, irriguam, feraciſſimamque ſignificari.

§. II.

Biformem tauri ſpeciem fuiſſe ex Acheloi metamorphoſi, a Sophocle deſcripta, expreſſam. Hujus Tragici locus explicatur. Acheloi *vocem non ſolum Aetoliae fluvium ſignificare, ſed eſſe commune* aquarum *vocabulum, ac typum* abundantiae.

SEd quaeſtionem nondum reſecuimus ad vivum. Nam quid veteribus in mentem venerit, ſic bucerum quadrupedem effingere, ut in faciem virilem barbatamque concederet? Profecto enim Pighium non moror, qui conjecit eo typo humanum conſilium, ſine quo inutilis

(8) Varro de R. R. II. 5. de bove: *Hic ſocius hominum in ruſtico opere, & Cereris miniſter. Ab hoc antiqui manus ita abſtineri voluerunt, ut capite ſanxerint, ſi quis occidiſſet. Qua in re teſtis eſt Attica, teſtis Peloponneſus.* Columella lib. VI. in prooem. *Bovis tanta fuit apud antiquos veneratio, ut tam capitale eſſet bovem necaſſe, quam civem.* In eamdem ſententiam loquitur Plinius VIII. 45. Val. Maximus, Stobaeus, Aelianus, alii. Quae tanta veterum adeoque exquiſita de animalibus providentia, nunc forte riſu excipietur; at ſi recte judicare velimus; illa, vel cum animalium incolumitati proſpicit, mirifice priſcorum hominum commendat humanitatem.

tilis foret agri bonitas, adumbrari. Nimis acute philoſophatur vir praeſtantiſſimus. At vero philoſophia priſcarum gentium, ad vulgi captum accommodata, citius fabulis, quam ratiocinationibus crevit; eique nonniſi ea, quae ſub ſenſus cadebant, vel communi opinione ſuſtinebantur, cujuſmodi mythica theologia erat, materiam ſuppeditabant. Inter autem fabuloſas narrationes illud olim ore vulgi quam maxime jactabatur, Acheloum Aetoliae regem ob Dejanirae nuptias cum Hercule contendiſſe, cumque eo in ſingulari certamine congreſſum, varias induiſſe formas, in primiſque tauri ſpeciem vultu virili illuſtratam: ſed mox avulſo illi ab Hercule ſiniſtro cornu, regem prae dolore fatigatum potentiori victoriam, rivali ſponſam ultro ceſſiſſe; Herculem vero Aetolis cornu detruncatum dono dediſſe. Id autem eſt illud portentoſum Amaltheae cornu, cujus poſſeſſori ea facultas conceſſa ferebatur, ut quicquid eſculenti vel poculenti in mentem ei incidiſſet exoptare, praeſto, abundeque ac ſine labore adnaſceretur. Ea nimirum fabula, opinor, obverſata fuit animo eorum populorum, qui biforme monſtrum in moneta ſignarunt, ut in ejus virili facie Acheloum facile agnoſceres, ſimulque colligeres, ex eorum agro, non ſecus ac ex Acheloi cornu, quoſcumque terrae fructus ſive potûs ſive cibi, uberrime facillimeque provenire. Verum ut quae complexim dixi, partite enarrando ſuadeam, equidem conabor oſtendere 1. Biformem tauri ſpeciem ad Acheloi metamorphoſin, a Sophocle deſcriptam, fuiſſe compoſitam. 2. Acheloi vocem non ſolum Acarnaniae Aetoliaeque fluvium ſignificare, ſed eſſe commune aquarum vocabulum, ac typum abundantiae.

I. Ac primum quidem mirari ſubit, neminem adhuc advertiſſe, Acheloum ſic immutatum a Sophocle deſcribi, quemadmodum ſemibos ille vir barbatus in nummis Graeciae Italicae, ac Siciliae viſitur. Hanc autem metamorphoſεως ſpeciem facile quiſque per ſe in poëta deprehendiſſet, niſi latinae interpretationes Tragici, praepoſtere factae, fucum oculo raptim legenti feciſſent. Ergo in Trachiniis prope ab initio, ſic de vice ſua querens inducitur Dejanira:

Μνηστὴρ γὰρ ἦν μοι ποταμὸς, Αχελῷον λέγω,
Ὅς μ' ἐν τρισὶ μορφαῖσιν ἐξῄτει πατρὸς
Φοιτῶν ἐναργὴς ταῦρος, ἄλλοτ' αἰόλος
Δράκων ἑλικτὸς, ἄλλοτ' ἀνδρείῳ τύπῳ
Βούκρανος . . . . .

quae latine vertuntur in Strabonis, qui verſus hoſce poëtae recitarat, editione Amſtael. lib. X. pag. 458. in hunc modum:

Nam

Nam nuptias Achelous ambivit meas
Fluvius, tribus me formis a patre flagitans,
Aliquando taurus evidens, aliâs draco
Maculis voluminibuſque varius exſtitit,
Formâ viri quandoque taurinum caput
Habentis ille viſus . . .

Nec ſecus vertit Natalis Comes Mythol. VII. 2. & quicumque alius ad poëtam latine reddendum acceſſit: quorum interpretum incurioſa diligentia fecit, ut Achelous ſpeciem Minotauri, cui peculiare fuit, in humanis artubus gerere taurinum caput, aemulatus fuiſſe videretur; ſed contra poëtae ſententiam, qui Acheloum potius *taurum* ἀνδρόπρωρον (*cum virili facie*), quam *virum* βούπρωρον (*cum taurina facie*) deſcripſit. Achelous primum ſe in ταῦρον ἐναργῆ transformavit. Ἐναργής hîc opponitur φανταστῷ (*imaginario*) (9); eoque adjuncto ſignificatur, illum, non errore phantaſiae oculorumque, ſed *reapſe taurum* evaſiſſe: cui ſcilicet artus omnes membraque, ad veri tauri ſimilitudinem, praeciſa fuerint. Deinde is idem ἀνδρείῳ τύπῳ βούκρανος apparuit, h.e. *bucerus cum virili facie*. Empedocles apud Ariſtotelem Phyſic. II. 8. & Plutarchum adverſ. Colot. p. 1123. dixiſſet βουγενῆ ἀνδρόπρωρον, *tauri-genus virilem faciem prae ſe ferens*. Caſaubonus, quem recta graecae vis interpretatio latere non potuit, tamen ut erat de taurino Acheloi capite occupatus, poëtae locum ſic emendabat ἀνδρείῳ κύτει βούπρωρος, *qui in virili trunco caput taurinum gerebat*. At emendationem Caſauboni ea, quae apud poëtam proxime ſequuntur, verba omnino reſpuunt: Ἐκ δὲ δασκίου γενειάδος Κρουνοὶ διεῤῥαίνοντο κρηναίου ποτοῦ, *e denſa vero barba rivuli aquae potabilis defluebant*. Sed ex mento tauri, ſi quidem Achelous in taurum exiſſet, palearia, non barbam, pependiſſe dicerentur. Itaque ſi nihil aliud, *denſa* quidem certe *barba* ſignificabit, Acheloum cetera quidem *taurum*, in antica vero parte, *vultus humani barbatique dignitatem* praetuliſſe. Plane ad ejuſdem imaginis normam componitur ille bucerus virili facie, barbatuſque, ſatis obvius in nummis, adeoque ſimilis, ut Sophocli Acheloi metamorphoſim enarranti, numiſmata Oeniadarum, in quibus exploratum eſt, Acheloum effingi, obverſata & expreſſa fuiſſe videantur. Jamvero cum typus idem in nummis Graeciae Italicae, atque Siciliae cuſus appareat, neque ibi, ut paullo ante demonſtravi, Mino-

(9) Euſtathius in Iliad. p. 1200. 20. Edit. Rom. ubi quid ſit ἐναργὴς φαίνεσθαι enarrans, τὸ ἐναργὲς (inquit) ἀντίκειται τῷ νοητῷ καὶ φανταστῷ.

notaurus, aut Neptunus, aut Hebon deliteſcat, niſi hic eſt Achelous, neſcio an quo alio nomine vocari poſſit: quamvis ut quod res eſt fateat, Oenia lae alio conſilio, ac Italiotae, nummos ea nota ſignarunt: & illi quidem Acheloum, ut patrii fluvii ſua arva fecundantis Genium, hi vero, ut commune aquarum, indeque abundantiae, numen obſervarunt.

II. Sane fluvius, in quem Aetoliae Regem Acheloum converſum fabulantur, a Pindi jugis exorſus, atque ad dexteram relinquens Ambraciam, fluit inter Acarnaniam Aetoliamque medius, & ad Echinadas inſulas ſe ſe exonerat. Ad oſtia fluvii ſitae ſunt Oeniadae, in quarum nummis Achelous viſitur; ſed & eodem typo uſi ſunt Ambraciotae & Acarnanes, teſte Spanhemio in de Praeſt. Numiſ. tom. I. p. 395. Itaque vetus colendi fluvios patrios conſuetudo in cauſa fuit, ut illi populi Acheloum vel alluentem, vel interluentem, agros ſuos in moneta pariter exhiberent: ut vero cornigerum, virili facie, barbatumque exprimerent, vulgata de Acheloo ſic transformato fabula praeluſit. Hîc autem ſi contenderem, vel colonos inde duductos, vel Pelaſgos Tyrrhenos, illarum regionum hoſpites, docuiſſe Italos Siculoſque, ut eamdem notam uſurparent in nummis, a vero fortaſſe non toto caelo aberrarem. Sed mihi abſtruſiora, quaeque longo veluti intervallo diſſita, vix oculis cerni poſſunt, perſequi non eſt animus; eoque magis illum detrecto laborem, quod in re praeſenti neceſſe non eſt, ut Acheloi inveſtigandi ſtudio in Aetoliam peregrinemur; is enim in regionibus Italiae Siciliaeque paſſim obvius eſt, & ex vero ἐπιφανέϛατος, *praeſentiſſimus*, in omnium oculos incurrit. Profecto Macrobius dum in verſum hunc Maronis ex Georg. I.

Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis

commentatur, erudite demonſtrat Saturn. V. 18. veteres ſcriptores *Acheloum* pro *aqua* uſurpaſſe. Plura in eamdem ſententiam congeſſit Fulvius Urſinus in ſuo *Virgilio cum Graecis collato*, & auctoritate Euripidis, Callimachi, Aeſchyli, Ariſtophanis & Athenaei, idipſum luculenter evicit. Cauſam vero hanc fuiſſe prodidit Ephorus apud Macrobium l. c. *quod aliis quidem fluviis dumtaxat finitimi populi ſacrificant*; (τὸν δὲ Ἀχελῷον μόνον ἅπαντας ἀνθρώπους συμβέβηκε τιμᾷν) *Acheloum vero eſſe ſolum, quem gentes univerſae venerantur*: ejuſque cultum, a Dodonaeis ipſis oraculis commendatum, prodidit idem Ephorus Ibid. Σχεδὸν γὰρ ἐφ' ἅπασιν &c. *Nam cum in omnibus fere reſponſis jubere ſolitus ſit Deus ſacrificari Acheloo; permulti exiſtimarunt, non fluvium per Acarnaniam defluentem, ſed univerſam vim aquarum Acheloi nomine ab oraculo vocari*. Habes jam in Acheloo comprehen-

 ſam

ſam quorumcumque fluminum ſive laticum notionem. Sed eſt praeterea quod in Acheloo transformato curioſe contempleris: cornu nimirum abundantiae, quod Hercules ab eo excuſſum donarat Aetolis. Sed jam tempus eſt, ut quid ſub cortice fabulae deliteſcat, aperiamus. Ergo Achelous idcirco cornu abundantiae poſſidere credebatur, quia incredibilem regionibus a ſe irrigatis fecunditatem largiebatur: de quo audire praeſtat Diodorum Sic. qui lib. IV. 35. ſic fabulam, fabulaeque ſignificationem, expoſuit. Ἡρακλῆς δὲ τοῖς Καλυδωνίοις &c. *Hercules a Calydoniis gratiam inire volens, Acheloum fluvium in alium, quem ipſe fecerat, alveum divertit, & magnum fertilis agri ſpatium amni rigandum, hoc pacto vindicavit. Quae res poëtarum fabulae materiam dedit. Fingunt enim Herculem cum Acheloo, in Tauri formam converſo, pugna decertaſſe, & in conflictu alterum ei cornu detruncatum Aëtolis dono dediſſe. Id Amaltheae cornu vocant; quod omni autumnalis fructus copia, uti racemis, & id genus aliis, ſit refertum. Cornu illis* (poetis) *curſum Acheloi per foſſam alio deflexum, obſcure ſignificat. Pomis inde maliſque Punicis & racemis, tellus frugifera, quae flumine humectatur, & feracium plantarum copia, denotantur.* Sed quandoquidem ſcaturigines omnes de nomine Acheloi vocare placuit; hinc orta mihi videtur opinio veterum, ut ager quicumque humore vel ſuperne fluente, vel ſubter meante, fecundabatur ad miraculum, vulgo jactaretur inſideri ab Acheloo, promo condo abundantiae, ſymbolice in ejus fronte cornigera expreſſae. Hinc in Acheloo non ſolum commune laticum nomen, ſed & copiae typum agnoverunt univerſi; eoque tandem res evaſit, ut pro ſimplici *Cornu Copiae*, fructibus onuſto, nimirum ut mutum inerſque ſymbolum quodammodo informarent animarentque (10), ejus vice *Acheloum bucerum* in nummis exhiberent.

§. III.

(10) In quodam nummo Metapontino (quem in Muſeo Ducis Nojae contrectavi) muliebre caput viſitur; cui duo cornua non adnaſcuntur in fronte, ut in ceteris cornutis capitibus fingi ſolet, ſed ſupra aures ornamenti vice innituntur intextis capillis. E cornibus autem ariſtae pullulant, quae in orbem circumflexae, locum ſerti tenent. Nemo non videt, Metapontinos voluiſſe agri ſui ubertatem hoc pacto ſignificatam: id quod ceteroqui ſimplex cornu ſpicis ac fructibus onuſtum, ut paſſim alibi, abunde notaſſet: attamen ipſi, ne ſolitaria cornu ſpecies quodammodo langueſceret, cornua capillis intexuere, quaſi connexa cum reliquo mundo muliebri forent. Id nimirum eſt, quod noſtri homines dicunt, *mettere in azione:* cum ſcilicet quae ſolitaria, ac ſimplicia ſunt, ſimul compoſita ſic connectuntur a pictoribus, ut unum quid facere videantur.

§. III.

Acheloum ſignari in nummis Graeciae Italicae & Siculae non tamquam Acarnaniae fluvium, ſed ut ſymbolum ubertatis agrorum. Chalcidenſes Acheloi typum, qui ex incolatu Ambraciotico addidicerant, per Italiam ac Siciliam, conditis a ſe coloniis, circumtuliſſe. Cur Achelous *in numiſmatis* Campaniae *populorum, ſupervolitante* Victoriâ *cudatur.*

JAm auctoritate Ephori evicimus, Acheloum non ſolum Acarnaniae atque Aetoliae fluvium, ſed univerſe quarumcumque vim aquarum ſignificare: eique propterea ab omnibus prope gentibus fuiſſe ſacrificatum. Praeterea quid in cornu Acheloi expreſſum mythica philoſophia veterum eſſe voluerit, egregius Diodori Siculi locus, paullo ante productus, edocuit; fertilitatem nimirum agrorum; & omnigenam terrae fructuum copiam. Eo mihi quoque reſpexiſſe videntur Italiotae ac Siciliotae, qui Acheloum, ut agri irrigui uberiſque indicem, pro more exhibuerunt in nummis. Nam hoc paſſim obtinuiſſe video, ut notae aliquot uni populo peculiares, imitatione quadam adoptarentur ab aliis: uti Noctua, frequens hoſpita, ac prope indigena Atticae, quandoquidem indivulſa comes Minervae fingeretur in Athenienſium numiſmatis, hinc pro ſymbolo ſapientiae paſſim haberi coepit, & non raro in nummis urbium (11), ubi olim philoſophiae ſtudia florebant, occurrit. Itaque traduce genio nationum, ſe ſeque apud alios ſubinde atque alios probante, Itali ac Siculi typum Acheloi, cornu copiae poſſeſſoris, in Aetolia (12) primum excogitatum, confeſtim

 com-

(11) Fidem huic conjecturae fecerint nummi Veliae, quae patria fuit Parmenidis, & Zenonis, nobilium Philoſophorum, & quae optimis legibus floruiſſe Straboni lib.VI. p. 252. traditur. In his autem nummis non raro noctua, facile ad oſtendendum ea in urbe philoſophiae ſtudium, comparet.

(12) Cum ſit in fabulis, Acheloum in Aetolia cum Hercule congreſſum, & in tauri ſpeciem transformatum; adhaec cornu abundantiae populo Aetoliae dono datum; patet ibi primum placuiſſe, Semibovis viri nota monetam procudere: Ac ſane ad Aetoliam, ac finitimam Aetoliae regionem pertinent nummi, ſic expreſſi apud Spanhemium Tom. I. Diſſert. VII. p. 395. Ambraciotarum, Acarnaniorum, & Oeniadarum. Inde origo fingendi in hunc modum abundantiae ſymbolum in Italiam manavit; per quas vero, ut ita dicam, ſiſtulas illa manarit, equidem ignoro; ſed affirmate ajo, de origine prima Aetolica non eſſe dubitandum, ut conferenti nummos Aetolicos cum Ita-

commodeque arripuerunt, quo pariter ipſi ubertatem agrorum ſuorum propalam explicateque, quamvis muta eloquentiâ, ſignificarent. Quamquam, ut quod propius fidem eſt, dicam, innuamque hîc illud, quod mox §. ſequenti pluribus confirmatum eo; mihi videntur, Itali Siculique non ipſi per ſe ultro, ac ſolo ſtudio imitationis Aetolicae, ſed a Chalcidenſibus Ambraciotis edocti, Acheloi ſymbolum adoptaſſe. Chalcidenſes enim antiquitus ex Euboea profecti, in Theſprotia, antequam transfretarent in Italiam, conſtiterunt; indeque monetae typum, cujus ſignificationem ibi addidicerant, in Italiam ac Siciliam, quarum regionum agri Aetolicam uburtatem aequabant, ne dicam, ſuperabant, circumtulerunt, facto initio a Colonia Cumana, quam primam omnium condiderunt. Atque hinc facultas divinandi praebetur, eccur, ſi ab Acarnaniae populis abſceſſeris, ſoli ſint Siciliotae (13) atque Italiotae, Campani praeſertim (14), qui eo typo monetali ſaepenumero uſi reperiantur. In cauſa nimirum fuit tum frequentia Chalcidenſium Ambraciotarum hic locorum advenarum, tum vociferata apud omnes horum ſupra ceteros tractuum mira atque inexhauſta ubertas, parataque in omne tempus anni & pomorum & fructuum abundantia.

Jamvero ſi hos ipſos populos, quos a fertilitate ſoli commendavi, tute velis aeſtimare, Campanos procul dubio eos eſſe juraris, quorum re-

Italicis, abunde patebit. Eadem eſt utrobique depicti monſtri licentia, eademque vultus lineamenta. Imo, quod ſedulo notatum velim, Itali interdum bovem dimidiatum exhibuerunt; id quod ad arcanam aliquam ſignificationem traduci veto: hunc vero modulum illi ſunt pariter mutuati ab Aetolis, qui, ut in anguſta monetae area emineret id, quod erat ſignificantius; parte poſtica bovem multarunt, ut latius pars antica ſpatiaretur. Imagines ſic mutilatas Graeci προτομὰς vocabant, eaque voce proprie animalis τὸ ἔμπροσθεν μέρος, *pars anterior*, teſte Suida, veniebat. Προτομαὶ quoque dicebantur effigies quaecumque, umbilico tenus ductae, uti docet Heſychius. Indeque ducto exemplo, humani vultus in clypeis, in gemmis, in numiſmatis, ad protomarum ſimilitudinem praeciduntur. Pictores quoque veteres, etiam ubi plures perſonas ſimul in actum componi oportuit, eodem artificio uſi comperiuntur, uti cernere eſt in Antiquit. Herculan. Tom. III. Tab. XLVI. Quo in pingendi genere aetate majorum noſtrorum excelluit *Guercinus*, & *Matthias de Presbyteris*, vulgo *Calaber* dictus, qui, ut grandiores in parva tabula figurae exprimerentur, eas femorum, aut genuum tenus, prout proſpectus ratio poſtulabat, decurtatas, artificioſe venuſteque repraeſentabant.

(13) Ut Agyrinaei, Entellini, Geloi, Himeraei, aliique quos ea nota nummos feriiſſe, praeclariſſimus Turremuzzae Princeps teſtatur in Inſcript. Sicul. p. XXVII.

(14) De nummis Acheloiis Italiae dicetur §. ſeq.

regio jure merito inſideri ab Acheloo reputanda ſit. Ac de Campaniae quidem ubertate adeo prolixa ſunt Polybii, Strabonis, Plinii, aliorumque, quos videſis apud plurimos hujus provinciae enarratores, praeconia, ut ipſi horti Heſperidum prae Campania ſordeſcant. Quo minus mirandum eſt, cum plures in una Campania populos exſtitiſſe Acheloi cultores; tum Acheloum impenſius excultum ornatumque, in Campanorum nummis apparere. Nunc mihi non eſt animus vocare ornamenta Acheloi caduceum, lyram; tripodem, & alia hujuſmodi, quae in nonnullis Campanicis nummis ſcalpta ſupra ſemibovem virum barbatum appinguntur: haec enim nullo pacto (15) ad biforme monſtrum ſpectant; ſpectant magis, uti conjicio, ad monetales magiſtratus, quorum ſymbola familiaria fuerint: ſed contendo, Victoriam illam, quae in nummis Calium, Cumarum, Neapolis, Nolae, ſupervolitare fingitur, quaſi coronam lauream Acheloo impoſitura; id portendere, quod paullo ante monebam; Campanos ſcilicet ubertate ſoli ceteros Acheloios collegas antecellere. Ubi Victoriam cum corona frondea vides, ſtatim animo concipe vel rem agoniſticam, vel id, quod imaginariâ comparatione, agoniſticen aemulatur. Coronatur igitur Achelous Campanorum, perinde ac Stadiodromus, majore agri fertilitate, qua olim & hodiedum praeſtat. Plures quidem in Acarnania, in Aetolia, ac Sicilia, ſimulacrum illud exprimebant; Campani vero, ut oſtenderent, agros ſuos aliis antiſtare, ducta imagine a ſtadiodromis, ſic Acheloum excuderunt, quaſi qui in ſtadio praecurrens, coronari praeſtoletur. Sed de his hactenus. Nam praeſtat nunc aliis praeterea rationibus conficere, veteres exprimendo biforme monſtrum non alio, niſi ſpectaſſe ad Acheloum; in Acheloi vero cornu unice adumbratum copiae ſymbolum fuiſſe.

Id autem uti facilius aſſequamur, age nummos ipſos Acheloios (ſic enim vocare libeat nummos eos, qui ſemibovis viri, h. e. Acheloi, imaginem praeferunt) nummos, inquam, Acheloios vario tempore cuſos, ſimul una conferamus. Exempla a Paeſtanis (uti de Gelois, qui ſunt extra Italiae fines, taceam) Arpanisque, & Mamertinis Brettiis, Neapolitanis, mutuabimur; quorum nummi nunc ſemibovem virum, nunc bovem, ut reipſa eſt, vel ſtantem vel in genua prolapſum oſtentantes, ecquid nobis in re praeſenti colligendum ſit, facili negotio portendent. Et ad bovem quidem manifeſtum quod attinet, nonnulli for-

(15) Quemadmodum ingenioſe quidem, ſed parum veriſimiliter Pighius in Annal. Mag. Rom. Tom. I. p. 425. conjicit, parerga haec ad idem argumentum pertinere.

fortaſſe contenderint, id pecus eo conſilio ſignatum, quo Theſeus Athenienſium numiſmata procuderat, in argumentum ſcilicet terrae aratro ferendo paris, & ad culturam opportunae. Hoc certe negare non auſim; at ſi de imponendo nomine bovi, in nummis Magnae Graeciae ſignato, ſatagimus, quo alio niſi Acheloi, compellabimus? Profecto Achelous, quando cum Hercule congrediebatur, nunc *Taurus manifeſtus* (ταῦρος ἐναργὴς), nunc *Bucerus cum vultu humano* (βούκρανος ἀνδρείῳ τύπῳ) apparuit. Itaque cum nummi ejuſdem populi nunc bovem virili facie illuſtratum, nunc manifeſtum bovem oſtendant, prono alveo fluit, utraque repraeſentatione eodem fuiſſe collineatum. Porro cum bos ille barbatus, nomenclatore Sophocle, ſit Achelous; patet eumdem Acheloum ſub manifeſti bovis exuviis deliteſcere. Equidem ſi causâ indictâ dicerem, manifeſti bovis imagine effigiatum a veteribus fuiſſe Acheloum, paucos mihi futuros ſuffragatores augurarer: at ubi inſtituta nummorum comparatione appareat, in ejuſdem populi numiſmatis, qui nunc bos manifeſtus viſitur, alias ſemibovem virum ſignari; amplius de perſonae ἀναγνώρισι (*agnitione*) non eſt quod dubitemus: quandoquidem unus Achelous fuiſſe proditur, qui in utramque ſpeciem, prout commodum fuit, abierit. Quocirca utraque nummorum ectypa imago eſt hujuſmodi, ut una alteram illuſtret, & viciſſim ab ea illuſtretur.

Nam ex mutua nummorum comparatione hoc etiam emolumenti capimus, quod inde aſſequimur, veteres, cum Acheloum vel bovem vel ſemibovem ſignabant, nonniſi ad abundantiae ſymbolum, Acheloi cornu expreſſum, oculorum aciem intendiſſe: id quod in proclivi erit colligere, ſi nummos Sybaritarum, tum cum Graecum oppidum fuit, contuleris cum nummis iis, quos poſtea facta Romanorum colonia, cuderat. Sybaris fuit olim urbs magni nominis in Magna Graecia, non minus luxu, quam opibus nobilitata. Huc Athenienſes tranſcripſere coloniam, cui deducendae traditur Herodotus ſeſe dediſſe ſocium. Urbs cum novo ſupplemento civium in novum *Thurii* nomen conceſſit; etſi *Thurii* vox non tum primum cuſa fuit, ſed potius vetus nomen *Sybaris* rurſus incudi redditum, *Thurium* evaſit. Utrumque enim vocabulum, non origine ſed dialecto differre, feliciſſime Mazochius in Tabb. Heracl. p. 517. oſtendit, ac pariter utrumque (16) *bo-*

(16) In Sybaris, Thuriique nummis *tauri* effigies ex aequo comparet: quae obſervatio injecit Mazochio curam reperiundae alicubi etymologiae, quae communis utrique vocabulo foret: eamque loco cit. pag.

bovem ſignificare. Sed etiamſi de Phoenicia nominis *Thurii* ſignificatione non ſatis aliunde, conſtaret; typus certe nummorum hujus urbis de illa non dubitare pateretur; quandoquidem in averſa parte nummorum perpetuo bos vel cornupeta, vel ſtans, repraeſentatur; ſic ut *bovis* effigies eſſe *Thurii* muta interpretatio videatur. Jamvero *Thurium* deducta poſtea a Romanis colonia fuit, & *Copia* tranſnominata; Strabone lib. VI. p. 263. & Stephano in voce Θούριον, teſtibus. Et quamvis uterque Scriptor *Copias* numero multitudinis extulerit, Straboniſque verba ita concepta ſint, quaſi Romani conſulere voluiſſent urbis ſolitudini, indeque a confluentibus eo colonis nomen *Copiarum* feciſſent: tamen uterque refellitur a nummis, hodiedum (17) ſuperſtitibus, in quibus dilucide ac citra ſuſpicionem detritae alicujus litteru-

pag. 517. ſagaciter in Orientali ſermone inveſtigavit. Nimirum communis utriuſque vocis origo petitur a radice Heb. שור, *Shor*, quae *bovem* notat; ex ejus plurali *Shevarim*, *boves* (mutato tantum V conſono in B, ut ſaepe fit) fluit vox *Sybaris*. Jamvero quod Hebraei *Shor*, id Phoenices *Thor*, efferebant; unde Latini *Taurum* deduxerunt; Vide Voſſii Etymol. in voce *Taurus*. Itaque ex Phoenicio *Thor*, repete *Thurii* ſive Θουρίων vocem. Habes jam, cur Thurii & Sybaritani *bovem* pariter expreſſerint in nummis. Fuit & altera in Magna Graecia Sybaris, cujus notitiam idem Mazochius primus eruit e Pauſania: Pauſanias autem eam urbem inter Brunduſium & Hydruntem metatur, eamdemque cum *Lupia* facit. Quae fuit Colonia *Lupienſis* temporibus Romanis, eadem olim ſub Graecis dominatoribus Λυκία, (quod a λύκῳ, *lupo*) dicebatur: ad quam epocham ſpectant nummi Λυκιανῶν inſcripti. Itaque cum *Lupia* ſit interpretatio Λυκίας; veriſimile eſt, & Graecos cum Λυκίας nomen urbi imponerent, interpretatos etiam fuiſſe barbarum Sybaris vocabulum. *Sybaris* autem, monente Mazochio, ſi elementis Orientalibus *Zeeb*, vel contracte, *Zeb-bar* exaretur, *lupum Sylvae* ſignificabit. Ergo tria ejuſdem oppidi cognomina *Sybaris*, Λυκία, & *Lupia*, idem notantia, oſtendunt varias loci pro vario tempore fuiſſe viciſſitudines; hinc demonſtratur, primos habitatores ex Oriente huc appuliſſe; deinde Graecos, tum poſtea Romanos oppido dominatos. Sed vide omnino, quae Mazochius eo de argumento diſſeruit in Tabb. Heracl. pag. 519. ubi & plura alia in promptu habes aliarum urbium noſtrarum veriloquia, ex Oriente petita. Atque hae ſunt etymologiae, quas Neapolitani ſuſpicimus, atque adeo deperimus, ad prodendam populorum originem unice comparatas: ut immerito Guarnaccius Neapolitanos exagitet, quaſi plus aequo etymologiis, quas omnes ſine diſcrimine *fallaces* traducit, indulgentes. Attamen, ut ille ait,

Eſt inter Tanain quiddam ſocerumque Viſelli.

(17) De nummis COPIA inſcriptis adeatur Mazochius loc. cit. pag. 518. adnot. 47. & Pellerenius in Num. Popul. To. I. Tab. VII. 19. 20.

rulae, ſcribitur *COPIA*; quo ſane nomine non ad majorem urbis frequentiam, ſed unice ad agri fertilitatem ſpectatum fuit; quoniam in poſtica parte nummorum exhibetur *Cornu Copiae*, pomis ac fructibus exuberans, quod cum nomine urbis *Copiae* quaſi de compacto colludit.

His ita conſtitutis, jam totum ſignati bovis arcanum, Romanis interpretibus, innoteſcet: qui *Thurium* tranſnominando *Copiam*, ecquid in ceteris nummis Acheloiis praecipue ſit contemplandum, edocuerunt; ſcilicet terrae bonitas, & agrorum abundantia. Quid enim? quia ipſi, quibus deducentibus aliquo coloniam mos erat, id novae coloniae nomen imponere, quod vetuſtae nomenclationi quoquo modo reſponderet; quia, inquam, Romani *Thurium*, quod habebat nomen a *bove*, ſignabatque *bovem* in numiſmatis, interpretati ſunt *Copiam*: ac ne de conſilii ſui ratione ac ſignificatu dubium relinqueretur, in Coloniae Copiae nummis exprimi *Cornu-copiae* pomis onuſtum, voluerunt. Jamvero hunc Cornu-copiae typum in nummis etiam eorum populorum, qui bovem alias ſignabant, non raro intuemur. Quamobrem videtur, Italos noſtros in Acheloo exprimendo mirifice ſibi placuiſſe; eumque ſectandae causâ admirabilitatis, quae ex varietate naſcitur, modo uti ſimplicem bovem, modo uti ſemibovem virum, & interdum per quamdam metonymiae formam, qua ſignatum pro ſignante ponitur, Cornu Copiae exhibuiſſe. Trina haec ſpecies, tum alibi, tum in Neapolitanorum nummis obſervari datur, ubi & ſemibos barbatus, & bos manifeſtus, ac denique Cornu-Copiae viſitur; ſed totae tres ſpecies ſunt ejuſmodi, ut ad unum Acheloum ſignificandum recta collineent; de eo ſiquidem traditur, tum induiſſe formam (ταύρου ἐναργοῦς καὶ βουκράνου ἀνδρείῳ τύπῳ) *tauri manifeſti, & buceri cum virili facie*; tum *cornu Amaltheae* ſive abundantiae, poſſediſſe. Hoc autem animadverſo, reor, nummos eos, in quibus ſit quid hujuſmodi, quod ſpectat ad Acheloum, poſſe neque temere neque inconſulte *Acheloios* appellari. Interim, ut novo jam vocabulo aſſueſcam, de nummis Acheloiis aliarum gentium parum ſollicitus, Acheloum Italicum ſuſcipiam propius contemplandum, ut oſtenſis typis nummorum, ſimulque collatis, meae conjecturae luculentiorem faciam fidem.

§. IV.

Numismata Acheloia



Italiae Veteris ~



§. IV.

De Nummis Acheloiis earum regionum, quibus Regnum Neapolitanum coaluit. Plutarchus defenditur. Plinii locus tentatur. Chalcidenſes Cumarum *conditores e Theſprotia profecti, primi videntur intuliſſe in Italiam typum* Acheloi. *Urbs* Iria *eadem ac* Uria *Plinii. Urbis* Lai *nummus ineditus.* Antinoi *effigies in nummis urbis Neapolis. Nummus inſcriptus* Piſtuvis, *nonniſi in* Paeſto *quaerendus. Quae Coloniae in Italia monetam cuderint. Urbs* Hyrina *incerti poſitûs. De uſu, quem ex nummis* Acheloiis *colligere Neapolitani in rem praeſentem poſſunt.*

JUl. Caeſar Capacius Hiſtoriae Neap. I. 14. dum nummos Neapolitanos, Semibovis viri (quem Hebonem vocat) notâ percuſſos illuſtrat, de aliis pariter ſignatis mentionem injicit hiſce verbis: *Eumdem Hebonem invenimus Puteolanorum* (Πουτεολιτων) *Atellanorum* (Απελλανων) *Nolanorum* (Νολαιων). *Inveniuntur etiam* Καλεντινων. *nec excludo Sueſſanos, Theanenſes, Capuanos.* Sed vereor, ne homo noſter dum hos nummos fortaſſe memoriter recitabat, veritati plane ſatisfecerit. Nam plerique ex hujuſmodi catalogo expungendi (18) ſunt, uti rurſus alios plures recitatos oportuit. Quamobrem mihi incidit curioſitas excutiendi loculos duûm muſeorum locupletiſſimorum, Ducis Nojae Carafae, & Baronis Ronchii; per quorum diligentiam adeo magna vis noſtratium nummorum contracta eſt, nihil ut in eo genere deſiderare, nedum aliis (19) invidere, poſſis. Plurima ibi Acheloia

I i

(18) Certe nummi, quos *Capuanos* vocat, mera fabula eſt. Latini *Campanos* dixiſſent, non *Capuanos*. Nec *Atellanos* etiam quis adhuc umquam vidit. *Puteolanos* vero fortaſſe Capacius in acetabulo Goltziano contemplatus eſt, ſed quanti illi faciendi ſint, jam ante dicere occupavi pag. 187. Porro ubinam gentium ſunt Καλεντινοι? Nomen gentilitium prorſus ignotum. Nam ſi de *Calium* nummis agit, ii Latine, non Graece, ſcalpti reperiuntur; ac praeterea oppidani, auctore Strabone, Καληνοι, non Καλεντινοι, dicerentur.

(19) Si cui res noſtras ambitioſe magnificaſſe videar; ſciat me id data opera feciſſe, uti ſic Guarnaccio reſponderem, qui loco ſupra pag. 233. adnot. 2. recitato, eâdem opera, qua Neapolitanos ab etymologiis inveſtigandis abſterret, ſimul monet, ut potius nummos patrios exquirant, & conſervare ſtudeant: *E l' Agoſtini* (inquit) *replica di aver vedute varie medaglie di quelle parti, ſcritte in Oſco, o in Etruſco colla detta figura del Minotauro. Ma allora queſte medaglie nè ſi leggevano, nè ſi apprezzavano. Si ſpera che i ſaggi e odierni*

loia numiſmata contemplari & contrectare mihi licuit: quamobrem me rem non injucundam facere lectoribus ratus ſum, ſi, quaecumque mihi inciderunt in manus, enarrata, æreâque formâ expreſſa, hîc exhiberem.

ΑΙΣΕΡΝΙΝΩΝ. E Muſeo Ducis Nojae. Reperiuntur & nummi Latine inſcripti *AISERNINOrum*, in quibus hinc biga, cui Victoria ſupervolitat; hinc caput Vulcani pileatum, cum epigraphe VOLCANOM. Sed Graeci praeſtant antiquitate, ut quos cuſos oportuit ante alterum annum belli Punici primi; nam anno V. C. CDXCV. deducta a Romanis colonia fuit. Vide Annales Pighii ad hunc annum.

ΑΡΠΑΝΟΥ. In Muſeo Ducis Nojae duo nummi argentei exſtant Semibovis barbati typo ſignati; reliqui omnes ex ære, & nunc bovem ſimplicem, nunc equum, oſtendunt; ſed tum argentei, tum ærei, ſunt inſcripti ΑΡΠΑΝΟΥ, numero (20) ſingulari, pro plurali (ut plerumque nomina gentilitia in nummis efferri ſolent) ΑΡΠΑΝΩΝ, ut in nummo Pignorii Holſtenius legerat. Varia urbi fuere nomina, quae tum alii, tum Strabo lib. VI. p. 283. enumerat: Ἐκαλεῖτο δ' ἐξ ἀρχῆς Ἄργος ἵππιον, εἶτ' Ἀργυρίππη, εἶτα νῦν Ἄρποι. *Quae nunc Arpi, principio Argos Hippium, deinde Argyrippa vocata fuit*. Ex *Argyrippa* fit gentile nomen Ἀργυριππηνὸς, quo utitur Strabo loc. cit. Ex *Arpis* vero fluit *Arpanus*, ut in nummis, & *Arpinus*, ut paſſim apud Livium. Hoc alterum, *Arpinus* ſcil. derivatum ex *Arpis* in Daunia, impulit, opinor, Plutarchum, ut cum etiam *Arpinum*, oppidum in Latio, celebre Marii ac Ciceronis incunabulis, dicere vellet, Ἄρπους Graece reddiderit (21); quaſi *Arpinum* oppidum, non primitivum,

ni Napolitani le ricercheranno, e le conſerveranno &c. Quaſi hodierni Neapolitani in utroque peccent, & negligendo nummos patrios, & hac illac, ſi quos forte comparaverint, dilapidando. Benigne. Sed ſcrutari quid domi, quid intus ſit, qui ſunt extra familiam ne allaboranto. Quod ſi noſtrates nummi per omnium manus circumferantur; id argumento eſſe illi poterat (ſi modo recte de gente noſtra, liberaliterque judicare voluiſſet), tanta nos eorum copia abundare, ut & aliorum curioſitati ſatisfacere, & nobis ipſis non deeſſe, valeamus.

(20) Eſt ubi numerus ſingularis compareat, ut non raro in nummis noſtratibus: ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ. Sed hic numerus in caſu patrio adeo rarus eſt, ut Harduinus nummum inſcriptum GENIO ANTIOCHENI (pro *Antiochenorum*) illuſtrans, ad ſolitas Cabaliſticas technas confugerit. Sed τὸ ΑΡΠΑΝΟΥ noſtri nummi vetat, ne Genium *Antiocheni* ſollicitemus.

(21) Plutarchus de Cicerone, in ejus Vita p. 864. Ed. Franc. Ἐκέκτητο δὲ χώριον καλὸν ἐν Ἄρποις &c. *Villam amoenam Arpini, praedium etiam pro-*

tivum, ſed derivativum, uti Grammatici loqui ſolent, foret vocabulum. Ager Arpanus feraciſſimus fuerit oportet, quandoquidem exercitum Hannibalis ibi hiemantem aluerit. Liv. XXIV. 3. Hodiedum ſuperſunt rudera moenium antiqui oppidi (vulgo *Li Arpi*); ager vero praeſtantiſſimus eſt, adeoque frumenti ferax, ut ſuſpicer, Plinium, ſcribentem lib. II. cap. 96. *In agro Arpano frumentum ſatum non naſcitur*, vel ludere, vel potius ſcribere voluiſſe: *In agro Arpano frumentum, non ſatum, naſcitur*; particula negativa *Non* ſuo loco reſtitutâ: quaſi diceret, tantam hujus agri eſſe felicitatem, ut ibi frumentum, non occando neque ſarriendo, ſed facillime ac veluti ſponte ſua, adnaſceretur; ita ut frumentum non ſatum humana induſtria, ſed utut incurioſe jactum, bonitate ſoli uberrime provenire videretur; non ſecus ac ſi tellus ibi eſſet *αὐτοσπόρος*, *ex ſe ſemina producens*; cujuſmodi regio Abiorum in Scythia, deſcribitur ab Aeſchylo, cujus verſus recitavit Stephanus in V. Ἄβιοι· hos autem verſus, utpote illuſtrando Plinio valde opportunos, hîc producere non gravabor:

. . . Ἵν' οὔτ' ἄροτρον, οὔτε γατόμος
Τέμνει δίκελλ' ἄρουραν, ἀλλ' αὐτοσπόροι
Γύαι φέρουσι βίοτον ἄφθονον βροτοῖς.
. . . Ubi neque aratrum, neque terram ſcindens
Ligo terram ſcindit, ſed ubi ultro ſeminata
Arva copioſum victum mortalibus ferunt.

ΚΑΛΑτινων e Muſeo Ducis Nojae, ubi & exſtant nummi Calatiae cum Tyrrhenica ſive Oſca inſcriptione; cujuſmodi eſt ille quem Mazochius in Tab. Heracl. p. 534. adn. 86. edidit. Gentilitium nomen *Calatinus* a *Calatia* deſcendit. Duplex autem Calatia fuit, uti

I i 2 Cam.

prope Neapolim, & *alterum Pompeiis*, *non lata habuit*. Sic vertit Xylander, & in Obſervationibus ad hunc locum faſſus eſt, ſibi non liquere, eccur pro *Arpino* Chaeronenſis Ἄρπους ſcripſerit. Clariſſ. Scriptor *Colon. Phoenic. Neap.* p. 203. corrigit ἐν Ἀρπινάταις. Sed cui, praeſertim occupato ibi de praediis villiſque municipis Arpinatis agi, non idem veniſſet in mentem ſuſpicari? At vero pretium operae fuiſſet, & vocem in Plutarcho intactam relinquere, & cur hic *Arpinum* tranſnominarit *Arpos*, excutere. Quid autem ea de re ſenſerim, jam ſupra expoſui. Quamquam quis praefracte negare auſit, antiquum ac primitivum loci nomen fuiſſe *Arpos*, maxime prodente id Plutarcho: exinde dictum *Municipium Arpinum*, ac poſtremo ſuppreſſa *municipii* voce, *Arpinum*, quaſi primitivum foret, in uſu vulgari uſurpatum fuiſſe? Exemplum plane gemellum in urbe *Calibus* habemus; quae poſteaquam *Municipium Calenum* evaſit; *Calenum* ipſum loco primitivi accipiebatur; eoque tandem res evaſit, ut nonnulli *Cales* a *Caleno* ſejungerent. Vide adnot. ſeq.

Cam. Peregrinius in Camp. Fel. p. 356. ſeq. oſtendit; una trans Tifata & Vulturnum, hodie *Cajazzo*; altera cis fluvium, prope oppidum *Maddaloni*, in Caſertana dioeceſi, ubi nunc dicitur *Le Galazze*. Interim *Calatinos*, quorum nummi circumferuntur, utrubi metabimur? Equidem ſic meam dividerem ſententiam; videri nummos Calatinorum Oſcos, adſcribendos eſſe everſo jam oppido cis Vulturnum inter Capuam & Acerras: his enim duabus urbibus monetam Oſca litteratura ferientibus, aegre adducor ut credam, Calatinos medios Graeco ſermone delectatos fuiſſe. Contra Graecos ultro concederem Calatiae tranſamnicae, ubi effoſſus ille lapis, quem protuli ſupra pag. 235. adn. 4. luculenter evincit, ibi Graecos aliquando dominatos.

CALENO*rum* nummi ſunt obvii. Inter Teanum Sidicinum & Caſilinum ſita erat in via Latina urbs *Cales*, praedicata a Strabone lib. V. p. 237. ἀξιόλογος, *memorabilis*. Quam *Cales* Latini dixere, hanc Stephanus in Καλητίαν produxit, ejuſque oppidanos Καλητιανοὺς vocari cum Dionyſio Halic. prodidit, potius analogia, quam reipſa, manuductus. At rectum urbis *Calium* ethnicum nomen apud Strabonem l. c. Καληνὸς eſt, ſive *Calenus*, ut in nummis; ac praeterea in Faſtis Capitolinis ſcribitur M. Valerius Corvus Coſ. triumphaſſe DE CALENEIS, anno V. C. 418. Anno inſequente deducta colonia, ac IIIviri agris dandis fuere Duilius, Quinctius, & Fabius. Anno V. C. 488. adhuc Colonia erat, ut ex *Quaeſtore Caleno*, ſic dicto, quia Calibus conſiſtebat, colligi poteſt. Conſulatur Pighius in Ann. Mag. Rom. ad hos annos. Poſtilla videntur *Cales* ad jus municipii commigraſſe, eodemque ferme tempore, quo Puteolos juri Colonico ſpeciem quamdam libertatis, quantam Majeſtas Populi Rom. patiebatur, praetuliſſe oſtendi ſupra pag. 169. adn. 8. Exinde enim frequens eſt apud Scriptores Latinos *Caleni municipii* mentio. Quod *Caleni* additamentum fraudi nonnullis (22) fuit, uti *Cales* a *Caleno* diſtinguerent. Variarum urbis conditionum epochas eo conſilio notavi, uti de nummorum, qui CALENO*rum* inſcripti ſunt, aetate ſtatuatur. Videtur autem tum cuſos, cum *Cales* umbra libertatis ſub obtentu Municipii, fruebantur. Nam nec mihi, nec cuivis alii, incom-

(22) Sic enim ſtatuunt, hodiernum *Calvi* ſucceſſiſſe *Calibus*, & quae nunc *Carinola* vocatur, *Caleno* reſpondere: cui opinioni haeſiſſe quoque Holſtenius videtur, ut ex ejus animadverſionibus in Stephanum ad V. Καλησία, argui poteſt. Sed hunc errorem tum Pighius, Sanfelicius, aliique, tum in primis Cam. Peregrinius *Camp. Fel.* p. 435. ſeq. docte copioſeque profligavit.

comparabilem tum typi monetalis, tum characterum affabre cuſorum, elegantiam aeſtimanti, fit veriſimile, nummos ad ea tempora vetuſta reduci poſſe, quibus Auſones huic regioni inſidebant. Profecto *Cales* in Auſonidum urbium cenſum refertur a Stephano, aliiſque, utique ante deductam eo coloniam a Romanis.

ΚΥΜΑΙΩΝ. Dubitatum a nonnullis intellexi, num nummi inſcripti ΚΥΜΑΙΩΝ ſint Cumis in Campania (23), an Cymae Aeolicae, adſcribendi. Equidem in eadem ſuſpicione verſor; nec quoſcumque nummos ſic inſcriptos, ſolo quidem ductus indicio agri Italici, ubi effodiuntur, continuo noſtris Cumis aſſignarem. Attendenda enim antea ſunt ſymbola, per quae unam ab altera Cyme facile diſcriminare dabitur. Ex. gr. ubi *Semibos barbatus* aut *rana* ſcalpitur, haud aegre eſt credere, ibi Cumas Campaniae deſignari; quandoquidem ille in nummis aliarum urbium itidem in Campania, frequentiſſime apparet; haec Cumarum agrum uliginoſum, ut revera eſt, appoſite (24) portendit. Sed ad pleniorem rei, quam tracto, fidem; eum nummum e Muſeo Ducis Nojae exprimendum curavi, qui citra ullam dubitationem ad Cumas Campaniae pertinet. Is enim in altera parte repraeſentans Semibovem virum, ſive Acheloum, cum inſcriptione KVME LTERNVM, ſive *Liternum* (25), prope exſerta voce ciet Cumas Campaniae, in quarum vicinia exſtat *Liternum*, fluvius, la-

(23) Stephanus Ethnic. *Cymen* Italicam ex una duplicem comminiſcitur: ſed erroris originem patefeci pag. 214. adn. 37.

(24) Ad innuendum loci paluſtris ingenium, optime *rana* effingitur. Vide quae eo de ſymbolo dixi p. 236. adn. 5.

(25) Quaſi ſcriberetur: *Cyme ad Liternum*. Nolo quis orthographiam ac ſyntaxin vetuſtiſſimorum nummorum, ad ſedulitatem ac faſtidium Grammaticorum exactas, intempeſtive deſideret. Numiſmatum enim epigraphae ſunt hujuſmodi, in quibus mutire quam articulate loqui, praeſtet. Ceterum quod ad *Literni* additamentum ſpectat; conſuevere veteres, ne ſcilicet urbes cognomines confunderentur, aliquod addere diſcrimen, etiam in nummis, ubi breviſſima eſſe debet inſcriptio: uti *Teanum Sidicinum*, *Nucrinum Alfaternum* &c. ut a Teano Appulo, & Nuceria itidem Appula, diſcernerentur. Quae additamenta, cum nuſquam otioſa redundant, tum interdum ſunt omnino neceſſaria. Ut ecce plurimi apud nos circumferebantur nummi inſcripti ORRA, de quorum interpretatione deſperabatur. Profecto ſi nummorum fabricam inſpexeris, eos ex officina Magnae Graeciae prodiiſſe non diffiteberis; ſed tamen quis urbem, urbiſve tractum, ſcriptoribus antiquis nuperiſque tacentibus, divinare potuiſſet; niſi proſtaret in Muſeo Ducis Nojae nummus æreus cum epigraphe, ORRA ΛΟΚΡΩΝ? Unde ſaltem docemur, ORRAM vel Coloniam *Locrorum*, vel in regione *Locridis* exſtitiſſe.

lacus, oppidum. Sed *Liternum* urbs, an lacus fluviuſve, comes datur Cumis (26)? Sed hoc non magni intereſt. Illud vero ſcire maximi in rem noſtram momenti eſt, quod urbs Cumae, teſte Strabone lib. V. p. 243. fuit Chalcidenſium & Cumaeorum *παλαιότατον κτίσμα* (*vetuſtiſſimum opus*) & *πασῶν πρεσβυτάτη τῶν τε Σικελικῶν, καὶ τῶν Ἰταλιωτίδων* (*antiquiſſima omnium Sicularum & Italiotidum coloniarum*). Itaque cum Achelous in vetuſtiſſimis Cumarum nummis, ſe det conſpiciendum; facile mihi perſuadeo, Chalcidenſes Euboicos Cumarum conditores, primos omnium fuiſſe, qui typum hujuſmodi huc locorum intulerint. A Cumanis porro populi finitimi edocti, deinceps aliis praeluſiſſe videntur in Magna Graecia ac Sicilia, ut ipſi ſymbolum idem, ad ſignificandam terrae ubertatem opportunum, in ſua quiſque moneta, ferrent. Atque hinc patebit, acutum vidiſſe Scaligerum, qui expoſiturus, quamobrem Propertius I. Eleg. 2. Cumanam oram tranſnominarit *Theſproti* (27) *regnum*, inquit: *Quia Theſprotus nomen fecit Theſprotiae Epiri, a qua Ambraciotae Abantes profecti, occuparunt eam oram, ubi Cumae fuerunt*. Abantes Scaligero ſunt Chalcidenſes, phraſi Homerica: *qui* (monente Strabone X. p. 445.) *Euboeae incolas nuſquam vocat Chalcidenſes, ſed ſemper Abantes*. Itaque ſecundum Scaligeri rationes, Chalcidenſes, antequam in antiquam Ita-

(26) Pellerenius, qui *Nov. Collect. Num. Pop.* Tom. I. Tab. LX. n. 25. nummum pariter expreſſum exhibuit, urbem *Liternum* mavult, & cum Caylo Tom. V. Antiqu. Hetruſc. ſentit, Cumas ſimul cum urbe *Literno* ſignatas fuiſſe, ad oſtendendam utriuſque civitatis ſocietatem: quemadmodum in quibuſdam nummis Graecis duo treſve urbes ſimul apparent, cum epigraphe ΟΜΟΝΟΙΑ (*concordia*). Equidem ſumma, quam nummi hujuſmodi praeferunt, antiquitate ductus, potius ad fluvium (qui ſunt vere cujuſque loci *αὐτόχθονες*, *indigenae*) quam ad oppidum *Liternum*, nullius ante deductam eo civium Romanorum coloniam nominis, nec niſi voluntario Scipionis Africani exſilio memorabile. Antea vero Literninus ager in ditione Cumanorum fuiſſe, inde ſuadetur, quod hi ſaepenumero ranas in moneta effigiarunt, quaſi tacite ſignificare eo ſymbolo voluiſſent, ſui etiam juris fuiſſe agros eos, qui a *Literno* fluvio, ac lacu, inundabantur. Quamobrem non ſocietatis, ſed utique diſtinctionis causâ, *Liternum* appictum Cumis, in nummo viſitur.

(27) A Cam. Peregrinio in Camp. Fel. pag. 211. didici, hunc Propertii locum aliquando crucem fixiſſe eruditis Neapolitanorum, aſſequi laborantibus, eccur Poëta loco *Chalcidenſium*, qui explorati Cumarum fuerant conditores, ſubſtituerit *Theſprotios*. Plurima tunc jactata fuiſſe oportuit: quibus non probatis, Scaliger ſequeſtrum agens, rem involutam feliciſſime expedivit. Nam conjectura ipſius Peregrinii, quem videſis loc. cit. aegre eſt ut Scaligerianae anteponatur. Vide adnot. ſeq.

Italiam adveniſſent, in Theſprotia, & contermina Ambracia conſederunt; id quod & in ejus animadverſionibus ad Culicem Virgilii rurſus inculcatur (28). Sed enim nihil aeque luculenter moram Chalcidenſium Euboicorum in Theſprotia & Ambracia prodit, quam monetalis typus Acheloi, ab ipſis in Italiam advectus. Supra pag. 243. adn. 12. monui, non magis fabulam, quam typum, Acheloi in taurum transformati, antiquitus in Aetolia excogitatum, probatumque a conterminis Ambracia & Acarnania regionibus: quocirca fit veriſimile, *Ambraciotas Abantes*, h. e. Chalcidenſes hoſpites Ambraciae, didiciſſe ibi Acheloi fabulam, fabulaeque ſignificationem; atque inde mutuatum monetae typum, cum Italis Siculiſque (29) communicaſſe. Sed de Acheloo Cumano ſatis: nam quouſque Cumani nummos Graeco ſermone exararint, antea p. 95. adn. 2. e Livio eruiſſe confido.

IDNO

(28) Scaliger illuſtrans locum Columellae a ſe reſtitutum, *Theſproto littore Cumae*, ſubtexuit: *Theſprotum littus vocat, quod ab Abantibus, qui ex Euboea inſula in Magnam Graeciam veniſſent*. Hîc intercedit Cam. Peregrinius loco ſupra citato; & quamvis negare non auſit, plures e Chalcide colonias in Macedoniam commigraſſe; nam quî negaſſet id, quod Strabo lib. X. p. 447. affirmet? contendit tamen, Chalcidenſes Cumarum conditores non e Theſprotia Ambraciave, ſed utique ex Euboea in Italiam recto itinere transfretaſſe. Fundus hujus Peregrinianae diviſionis ex eo petitur, quod nemo ferme veterum de *Cumis* egerit, quin ſimul *Euboicam* coloniae originem agnoverit. Sed quotus quiſque eſt, qui ignoret, conſueviſſe veteres ſcriptores, maxime poëtas, non proximam intueri, ſed in longinquam ac remotiorem originem conjicere oculos: indeque ad affectandum archaeologiae ſtudium priſtinas populorum nomenclationes, tametſi uſu deſitas, reſtituere? In re comperta abſtineo exemplis. Qui minus ergo & Chalcidenſes recens e *Theſprotia* profecti dici *Euboici* potuiſſent, cum horum majores ex Euboea in Theſprotiam trajecerint? Hinc fit, ut Cumarum *littus & regnum Theſprotum* Columellae, ac Propertio; *Euboicae orae* Virgilio Aen. VI. 2. dicantur. Utrique recte; hic prima Chalcidenſium crepundia, illi proxime domum, unde recta navigarint in Italiam, contemplati ſunt.

(29) Strabo, ubi florentiſſimum Euboeae ſtatum priſtinum, pluresque inde colonias deductas, expoſuiſſet, ſtatim ſubjungit: Καὶ τῆς Ἰταλίας δὲ καὶ Σικελίας πολλὰ χωρία Χαλκιδέων ἐστιν. *Quin & in Italia & in Sicilia multa ſunt Chalcidenſium domicilia*. Hinc diſce, eccur ſoli Itali Siculique fuiſſe comperiantur, qui typum Acheloi obſervarint; nimirum quia Chalcidenſes diu ibi locorum verſati, ubi Acheloi fabula excogitata eſt, colonias in utramque regionem intulere: ex iiſdem ducto exemplo & aliae urbes finitimae, quamquam non conditae a Chalcidenſibus, tamen opportuno Chalcidenſium coloniarum typo delectatae, eumdem Acheloum, ubertatis indicem, in ſua quaeque moneta, cudere affectarunt.

IDNO h. e. IRINO*rum* . Nam elementum D idem eſſe ac R , mox e nummis *Larinorum* facile perſuadebitur. Praeterea littera N , haud ſimplex eſt , ſed potius litterarum nexus, pro duabus , IN valens : eâque de causâ ſiniſtrum latus hujus characteris altero altius in nummo excuſum fuit , ut littera longa I in eo tractu concurrens , ſimul exarata appareret (30) . Nummus hic penes me eſt , dono acceptus a Principe Pallagoriae Franciſco Rovigno , antiquitatis Graecae Romanaeque ſtudioſiſſimo. Sed & plane geminum me vidiſſe memini in Muſeis Mazochii & Comitis Planurae . Porro e gentili nomine *Irinus*, proditur urbs vocata fuiſſe *Iria* vel *Irium* ; quemadmodum *Iria* quoque vocabatur quaedam urbs in Hiſpania Tarraconenſi. Sed ubi locorum urbem, ad quam ſpectent nummi *Irinorum*, collocabimus ? Procul dubio in Italia , ac fortaſſe in vicinia *Larini* in Frentanis: *Larinorum* enim atque *Irinorum* numiſmata, tum ob fabricam litterarumque tractus , tum ob Acheloi typum , adeo ſimilia ſunt , ut ex eadem prope officina prodiiſſe videantur . His adde , quod utrorumque nummorum ſtructura , aliquanto rudior , potius ad Samniticum , quam ad Graecanicum ingenium accedit. Frentani autem a Strabone V. p. 166. Σαννιτικὸν ἔθνος , *Samnitica gens* , dicuntur . Itaque ſitus *Iriae* vel in Frentanis, vel non procul inde, quaerendus eſt . Ac ſane Ptolemaeus urbem *Iriam* (quam ipſe Graece extulit Ὕριον) inter Garganum & Frentanos locat . A promontorio Gargano verſus Hiſtonium in Frentanis , explicatur ſinus , qui *Urias* a Mela dicitur ; ejuſque ſinus accolas peculiariter *Appulos* nominatos , prodidit Strabo VI. p. 285. Idem Geographus paullo ante praetenderat huic ſinui πολιτμάτιον Οὔρειον , *oppidulum Urium* , & cit. pag. 285. lacum, ἐν δὲ τῷ κόλπῳ (inquiens) λίμνη ἐςίν, *in ſinu vero lacus eſt :* quem lacum mari proximum fuiſſe oportet ; quandoquidem ipſe dimetiens Italiam , qua late patet , ſcripſit , a Teano Appulo , quod ſupra lacum in mediterraneis erat , ad Puteolos , minimam expandi Italiae latitudinem ; quaſi lacus non in continente ſe ſe diffunderet, ſed appendix eſſet & quaedam continuatio maris Hadriatici. Indicio autem hujus lacus jam antiquum *Iriae* ſitum intueri dabitur. Hodiedum in hoc

(30) De compendiaria hujuſmodi ratione ſcribendi quaedam attigi pag. 130. adn. 3. Romani (ut nunc aliquo, eoque compertiſſimo exemplo , rem illuſtrem) praenomen *Manii* exaraturi , ejus vice pingebant MV. At ſi nexum reſolvas , ſtatim intelliges , tres initiales MAN*ii* litteras , ſimul in eo nexu fuiſſe comprehenſas , ac veluti alteram alteri , qua parte congruebant , impoſitas .

hoc ſinu cubat lacus non mediocris, adeoque Hadriatico mari contiguus, ut in eum marini fluctus, aeſtu ferente, immittantur. Lacus is nunc *Varano* dicitur, ſic ut facile appareat, nuperam nomenclationem ex veteri lacu *Iriano* ſive *Uriano*, proxime deſcendiſſe. Quamobrem conjecturam non omnino, puto, poenitendam, capere poſſumus, *Iriam* ſive *Uriam* Appulam ſtetiſſe olim in vicinia lacus, cui proxima urbs *Iria* nomen *Varano* fecit, ac fortaſſe cis lacum; protinus enim lacum excipit Frentanorum regio. Strabo ibidem: Μετὰ δὲ τὴν λίμνην ἐπὶ τοὺς Φρεντάνους . . . παράπλους ἐςὶ. *Poſt lacum navigatur ad Frentanos*. Hinc intelliges affinitatem typi monetalis, litterarumque tractuum, inter Larinates in Frentanis, & Irinos, Frentanis conterminos. Nomen urbis, de qua agimus, varie interpolatum legitur. Primitus ſermone Appulo, qui ad Samniticum accederet, *Iria* vel *Irium* vocabatur, ut ex gentili nomine *Irinorum*, ſe ſe in nummis prodente, oſtenditur. Sed Latini (alternantibus apud ipſos I & V vocalibus) ad pleniorem primae ſyllabae ſonum, *Uriam* (31) dicere amarunt: Graeci vero ſive cum littera Pythagorica Ὕριον, ſive cum bivocali Οὔρειον, extulerunt. Iiſdem vicibus objectum fuit oppidum in Meſſapia, plane cum Appulo cognomine; de quo dicam cum ad Hyrinos nummos devenero.

LADINOD. E muſeis Ducis Nojae & Baronis Ronchii. Sed & Mazochius quatuor ejuſmodi nummos poſſedit, eoſque luculenter interpretatus in Comment. ad Tabb. Heracl. (32) oſtendit, duplex D nihil eſſe aliud, niſi duplex R, ita ut legendum ſit LARINOR*um*. Larinum oppidum celebre in Frentanis fuit, & mari proximum; id quod tum auctoritate Silii ſuadetur, qui *Larinatem ſuperi maris accolam* deſcripſit, tum ſymbolo delphini, qui in nummis Larinorum in-

(31) Uti Plinius ac Mela. At vero in quibuſdam Plinii Codicibus *Varia* ſcriptum reperitur. Errore ne amanuenſium, an quod inſecuta aetate *Varia* pro *Iria* ſive *Uria*, vulgo diceretur? Huc mihi magis inclinat animus, eam ob cauſam, quod hodiernum lacûs *Varani* nomen, propius a *Varia*, quam abeſt ab *Uria*. Itaque Scriptores librarii antiquam *Iriae* appellationem ad pronuntiationis ejus, quae tum obtinebat, normam, opinor, refinxerint.

(32) *Qui Tuſcanicae* (inquit l. c. pag. 534. adn. 86.) *ſcripturae levem hauſere notitiam, non ignorant ab iis caninam litteram eadem notari effigie ac Latinum* D. . . . *In linguis pluribus Orientis* τοῦ D *&* R *tractus minimum inter ſe differunt; adde hoc quoque quod hae litterae cum cognatae pronuntiationis eſſent, quam ſaepiſſime inter ſe permutatae alternabant, ut exemplis pluribus in Tyrrhenicis docui*.

interdum viſitur. Quamobrem quae hodiedum exſtat *Larina* in Comitatus Moliſii & Capitanatae limite, aliam a Larino Frentanorum fuiſſe oportet. *Nec dubito* (dicere pergit ibidem Mazochius) *quin duo hujus nominis oppida fuerint, unum ignobilius in hodiernae Larinae poſitu, alterum celebrius a mari non longe reductum, de quo nummi, ac Silius, loquuntur; & inſuper Plinius ubi ait*, Larinates cognomine Frentani. *Nec enim niſi* διακριτικὰ *locorum ea cognomenta ſunt, quibus unum ab altero* ὁμωνύμῳ *diſtinguatur*. Jamvero nummus Larinorum, quem incidendum curavi, hoc etiam contemplatione dignus eſt, quod utrimque Acheloum repraeſentet. Species quidem oppido rara, ſed quae in nummo ſingulari *Lainorum* iterum conſpicienda datur.

ΛΑΙΝΟΜ. Nummus ineditus, ac ſingularis in Muſeo Ducis Nojae. Λαῖνος gentile nomen e Λάῳ deſcendit, de quo Stephanus: Λᾶος, πόλις Λευκανίας ... ἀπὸ Λάου ποταμοῦ· τὸ ἐθνικὸν Λαῖνος, ὡς Ρηγῖνος. *Laus, urbs Lucaniae, dicta a Lao fluvio. Gentile, Lainus, ut Rheginus.* Antiochus apud Strabonem lib. VI. p. 254. Laum fluvium conſtituit terminum Italiae antiquae (quae Magnae Graeciae fines non excedebat) ad mare Tyrrhenum; quemadmodum Metapontum ad mare Siculum. Fluvius urbi, ut ſaepe alias, nomen conciliavit. Urbem vero Sybaritae, exuti patria ſua, a Crotoniatis expugnata, condiderunt; uti retulit Herodotus VI. 21. & Strabo l. c. & ex vero quidem, ut ex indicio characteris, prope (33) dicam Sybaritici, M pro Σ, colligi poteſt, ac praeterea ex typo Acheloi, quem Sybaritae, cum eorum urbs ſtaret incolumis, in moneta ſua cuderant, uti loco ſuo dicam.

ΜΑΜΕΡ. ΒΡΕΤ. Mamertinorum in Brutiis (34) nummum eo conſilio exhibui duplicem, ut eo ſimul collato magis magiſque perſuadeatur, antiquos effingendo taurum nunc ἐναργῆ *manifeſtum*, nunc βούκρα-

(33) Figuram elementi M pro Σ, eo dixi Sybariticam, quod non magis in Sybaris, quam in Poſidoniae, Sybaritarum coloniae, nummis frequentiſſime comparet. Adde nunc eamdem litterae ſpeciem in *Lai* itidem a Sybaritis conditi, numiſmate: quamobrem urbs, etſi Herodotus ac Strabo tacuiſſent, inde Sybariticae originis prodi poſſet, quod ſcripturae Sybaritarum lineamenta ſervarit.

(34) Appoſite *Mamertinis* additur cognomentum *Bruttiorum*, ut a Mamertinis Meſſeniis diſtinguerentur: de utriſque accurate egerunt Peregrinius in Camp. Fel. p. 683. ſeq. & Mazochius in Tabb. Heracl. p. 541. adn. 106. Mamertinos vero *gentem Campanam* vocat Polybius ac Strabo: quo minus mirabimur, ſi Acheloi typus, prope dixerim, Campaniae indigena, ad Bruttios uſque, hoc eſt ad extremum Italiae cornu, pervaſerit.

βούκρανον ἀνδρείῳ τύπῳ, *bucerum cum humana facie*, non alio niſi ad Acheloum, abundantiae indicem, ſpectaſſe. Primus inſcriptus MAMEPτινων BPETτίων eſt e Muſeo Ducis Nojae; alter cum epigraphe MAμερτίνων, e Muſeo Baronis Ronchii. Utrumque, tametſi non ſatis eleganter inciſum, edidit Geſnerus Num. Popul. Tab. XLIII. n. 76. 77.

ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. Tres de induſtria ſelegi typos, ut cauſae, quam peroro, inſerviam, appareatque ſimul, per ſemibovis, boviſque notam unice ad Acheloum fuiſſe ſpectatum, quo etiam Cornu Copiae collineat. Primus horum obvius eſt, ſed inſcriptione, quam in dorſo bos barbatus gerit (35), oppido rariſſimus. Is nummus aereus dono mihi datus fuit ab humaniſſimo ac nobiliſſimo viro, Palagoriae Principe. Alter bovem ſimplicem, tertiuſque Cornu Copiae notam praeferens, ſunt e Muſeo Ducis Nojae; cujus Muſei nummi pene omnes inſcripti ſunt Νεοπολιτων, uno atque altero exceptis, qui ΝΕΑΠΟΛΙΤΗΣ, cum prima vocali, habent; quos aut non vidit Cl. Scriptor Thecae Calamariae, aut videre (36) diſſimulavit. Nummi Neapolis ſunt Graeci omnes, in quibus praeter tres enarratas ſpecies, omnium frequentiſſimus eſt tripodis cortinaeque, typus. Quandonam Neapolis a ferienda moneta ceſſarit, haud habeo dicere. Veriſimile tamen videtur, Neapolitanos ad plenam civitatem per coloniae jus evocatos, tunc Romanorum, ut reliquo jure, ſic moneta uti coepiſſe. Oſtendi pag. 202.

(35) Ibi perſpicue cuſum apparet SVESA, primo ſibilo dumtaxat ſuperne evanido. Nummum contemplandum obtuli Dominico Baroni Ronchio, in re vetuſta nummaria cum primis verſatiſſimo: is autem negavit ſe umquam vidiſſe ſimilem, nec quid de eo explicate diceret, habere. Conjecit tamen, quod & mihi etiam in mentem inciderat, *Sueſam* tunc temporis in ditione fuiſſe Neapolitanorum, a queis ut leges, ſic monetam, qua uteretur, accepiſſe. Quamquam & illud etiam ſuſpicari ſuccurreret, ſocietatem inter Neapolitanos & Sueſanos eo tempore interceſſiſſe; eaque gratia Sueſanos curaſſe, ut in moneta Neapolitana jam percuſſa, qua & ipſi promiſcue uterentur, vox *Sueſae* incideretur. Nam hoc etiam contemplatione dignum eſt numiſma, quod *τὸ Sueſa* non initio exaratum fuit, ſed alio tempore, & cuſo jam numiſmati, ibi ubi locus vacuus dabatur, impreſſum, uti nummum contrectanti patet.

(36) Qui in Add. p. XXIV. ad idem Muſeum provocans, negat ſe ibi vidiſſe nummum Neapol. cum prima vocali exaratum. Sed quaeſtio hujuſmodi eſt, quam quis ſolo oculorum judicio per ſe facile diremerit. Itaque cui cupido eſt, laudatum Muſeum adeat. Mazochius quoque in *Tab. Heracl.* pag. 251. teſtatur, ſe in paucioribus quibuſdam numiſmatis ΝΕΑΠΟΛ. legiſſe; quamquam illam alteram ſcriptionem ΝΕΟΠΟΛ. non diffiteatur eſſe uſitatiorem.

Neapolim Hadriano Imperatore, nondum evaſiſſe Coloniam; idque tum ex aliis argumentis Graecanicis colligebam, tum ex phratria *Antinoiton*, Neapoli in honorem Antinoi, quem Hadrianus deperierat, inſtituta. Phratriae vel ab Heroe, vel ab deo aliquo ut plurimum nactae ſunt nomenclationem: itaque ex phratria *Antinoiton* collige, quam auguſte de Antinoo Neapolitani ſenſerint. Ac mirum ni ejus effigiem in moneta repraeſentarint; uſque adeo, ut mihi ſuſpicio inceſſerit dubitandi, num ille pulcher adoleſcens, in Neapol. nummis obvius, quem ex coma in humeros fluitante, & ex laureo ſerto, Apollinem vulgo ſalutant, ſit revera Apollo, an potius Antinous ſub Apollinea ſpecie deliteſcens. Sane Cuperus in Apoth. Hom. p. 245. oſtendit, Antinoum cum *Mercurii* & *Panis* inſignibus exhibitum fuiſſe, ibique cum Pauſania docet, apud Mantinenſes plurimas Antinoi imagines *Bacchum* retuliſſe. Ad ſummam, quod erat in quaque urbe praeſentiſſimum numen, cum eo Graeculorum adulatio Antinoum, tamquam *σύνναον κ̀ σύνθρονον*, q. d. *contubernalem & conſeſſorem*, conferebat. Inſcriptio Romana apud Grut. pag. LXXXV. 1. exhibet Antinoum ΣΥΝΘΡΟΝΟΝ *τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θεῶν*, *conſeſſorem cum Aegypti diis*. Par eidem obſequium a Neapolitanis impenſum fuiſſe, difficile eſt non credere: illum autem quîcum alio, niſi cum Apolline, comparaſſent? Sane par utrique erat aetatis flos, forma venuſtatis, & quod palmarium eſſe reor, oraculorum editio. De Antinoi oraculis teſtatur Spartianus in vita Hadriani: *Graeci quidem volente Hadriano eum conſecraverant*, *ORACVLA per eum dari aſſerentes* (37). Hinc mihi videtur, ad Antinoum pertinere nummus ille æreus Neapolitanus, a Geſnero in Num. Popul. Tab. XLVII. 33. editus, in cujus antica facie viſitur elegantiſſimus adoleſcens, criſpata ac promiſſa in humeros coma, quam duplex lauri ſertum cingit, cum hac epigraphe: ΣΥΝΝΑΤ, ut nunc apud Geſnerum legitur, ſed quam ne dubites in ΣΥΝΝΑοΥ refingere (38). Profecto ſi depicti ado-

(37) Conſulatur ibi Caſaubonus, qui oſtendit, Sacerdotes Antinoi praedicatos fuiſſe *Prophetas*, eo quod divinandi facultate praediti jactarentur.

(38) Error inde ortus fuiſſe videtur, quod cum ultima littera Υ, aliquantulum in ea parte, qua lineae obliquae concurrebant, extrita eſſet, nec niſi extrema cornua apparerent; facile fuit, pro Pythagorica Υ, dentalem litteram Τ ſupponere. Praeterea Ο *μικρὸν* jacturam ex eo paſſum fuiſſe ſuſpicor, quod adeo exili forma depictum fuerat, ut puncti modulum non excedens (quemadmodum in nummis pingi ſolet), oculum effugerit. Id quod & aliis accuratiſſimis antiquariis fecit offucias.

Pro-

adoleſcentis aetatem integram, ſertumque lauri contemplatus fueris, ſtatim tibi Apollinis imago excitatibur; at vero ſi inſcriptionem perpenderis, non certe Apollinem, ſed *σύννχον*, *conſortem* Apollinis agnoveris. Et Antinoi quidem nomen reticetur; ſed obſcurum illis hominibus eſſe non poterat, ecquis eo tempore κατ᾽ ἐξοχήν perhiberetur eſſe Apollinis *σύννχος* (*contubernalis*): non alius certe, niſi Antinous, quem gratia formae, & fama oraculorum cum Delphico Apolline contulerant. Jam ſi ejus conjecturae non poeniteat; colligere hinc poſſumus, Neapolitanos adhuc ſub Hadriano ſuam habuiſſe officinam monetalem, ac praeterea Antinoi (39) effigiem, ſub Apollinea in nummis repraeſentaſſe.

ΝΩΛΑΙΩΝ. E Muſeo Ducis Nojae, ubi & alii ſunt plures, ex argento omnes, praeter unum æreum, eumque corroſum: ſed quod prope miraculo fuerit, omnes Graece ſunt inſcripti, quamvis Nolam antiquitus a Tyrrhenis inſeſſam fuiſſe, praeter Polybii, Velleii, aliorumque auctoritatem, monumenta Hetruſca, quae in ejus agro effodiuntur in diem, dubitare vetent. Attamen ſive Tyrrhenis urbe exutis, ſive Graecis in ſocietatem receptis, populus certe aliquo tempore graeciſſavit, uti liquet e nummis. Graecos Nolae hoſpites, Juſtinus lib. XIII. 1. Chalcidicae originis fuiſſe prodidit: hinc Silius Ital. XIII. 16. de Hannibale cecinit,

Hinc ad Chalcidicam transfert citus agmina Nolam.

E Chalcidenſium Nolano hoſpitio repete cauſam, quamobrem Nolani Acheloum repraeſentarint. Vide quae paullo ante conjeci, cum de Cumanorum nummis agebam.

ΣΙΣΤΥ.

Profecto Sponius *Miſcell.* ſect. X. num. 2. & 5. in quodam lapide legit: ΝΙΚΗΦΡΟΣ ΝΙΚΗΦΡΟΥ · ſed quovis pignore contenderim, exaratum ibi fuiſſe: ΝΙΚΗΦoΡΟΣ ΝΙΚΗΦoΡΟΥ, *Nicephorus Nicephori filius*. Berkelius quoque in Comment. ad Steph. Ethnic. v. Ἔδρα, miratur, eccur pro τῷ ΠΟΤΑΜΩΝΟΣ, legatur in antiqua epigraphe ΠΤΑΜΩΝΟΣ. Plurima ibi comminiſcitur incaſſum; nam vera ratio inde petenda erat, quod deſcriptor litteram o, exiliſſime ſignatam, inopinato praeterierit. His jam animadverſis, non temere, puto, e τῷ ΣΥΝΝΑΤ Geſneriani nummi (quod nullius erat ſignificantiae) τὸ ΣΥΝΝΑΟΥ exſculpſerim.

(39) Nec illud te moveat, quod Antinoi facies, quam e nummis Smyrnaeorum novimus, aliquantulum ab Apollinea differat. Id enim nihil eſſe videbitur, reputanti, varios interdum pro locorum varietate fuiſſe pingendi delineandique characteres. Quid quod lineamenta oris unius ejuſdemque Caeſaris (qui notior certe, quam Antinous, erat in provinciis) ſaepiſſime diſſidere animadvertimus; ſi provinciales nummi cum iis, qui Romae percuſſi fuerant, conferantur?

8ΙΣΤVVΙΣ. E Muſeo Ducis Nojae. Plane ſimilem nummum ediderunt Ant. Auguſtinus (etſi ad ipſam typi ſpeciem non admodum (40) exacte), Jo: Baptiſta Paſſerius, Mazochius, Guarnaccius, Pellerenius, &, ne quis inofficioſe ſe praetermiſſum queratur, Paſchalis Magnonius. Praeterea iidem ipſi producunt alios nummos argenteos, (cujuſmodi tres omnino poſſideo), minimae formae, ſed elegantiſſime cuſos, qui eamdem inſcriptionem gerunt, at ſub aliis imaginibus. Ex antica enim parte *caput juvenile*; e poſtica, ſuperne *Apluſtrae*, inferne *Delphinum*, & inter utrumque medium *hordei* pleni jam turgidique, *acinum* oſtentant. Haec de ſymbolis & inſcriptione nummorum. At vero totus labor in definiendo urbis nomine, ac ſitu verſatur. Nam ferme omnes, quicumque illuſtrando huic nummo manus admoverunt, in diverſas abierunt opiniones. Ut ecce Guarnaccius *Ital. Orig.* Tom. II. p. 227. de *Faeſulis*; Blanchius Ariminenſis, uti e Guarnaccio ipſo intellexi, de *Piſtorio*: Paſſerius, Mazochiuſque de *Paeſto* cogitarunt: Magnonius denique ob repertam ibi a ſe *Pliſtiam* exſultavit. Verum in hoc negotio, ut & in aliis facti quaeſtionibus, difficile eſt, ut quis alio inſuſurrante, opinionem, cui ſe pridem deſponderat, eam non fateatur veriſimiliorem. Attamen in tanto opinionum diſſidio libere, quae ſentio, dicam. Ac primum dolendum eſt, pleroſque eorum, qui ea de re diſſeruerunt, in ſola epigraphe interpretanda diſtentos, nihil aliud in nummo fuiſſe contemplatos. At

(40) Is enim Dial. V. legens SISTLVS, arguitur, non ſatis attente perſpexiſſe litterarum formas. Gravius peccavit Guarnaccius, qui in ſuo nummo, quem a litteris integerrimum jactat, ſcriptum ſe deprehendiſſe ait, 8ISSVLIS, T in S & altero V in L malitioſe commutato, ut eo pactō eliciturus inde *Faeſulas*, lectori facilius imponeret. Priorem litteram 8, jam inter omnes convenit, accedere ad figuram Φ Graecanici, ſic tamen, ut initio vocabuli poſitum, citra aſpirationem, uti Π ſonet; pro more Orientalium, qui non ſolent illam litteram in principio dictionis aſpirare. Equidem etſi non poſſum huic opinioni non me ſubſcribere; tamen animo reputans hinc ſummam nummi noſtri antiquitatem, hinc novitatem figurae litterae aſpiratae Φ (nam Graecos vetuſtiſſimos ſcripſiſſe Π conſtat, etiam ubi ſonus τοῦ Φ flagitaretur); potius crediderim, ſub elemento 8 deliteſcere primitivam elementi B imaginem, demiſsâ ad perpendiculum a recentioribus lineâ, quae olim ſinuabatur in arcus. Vel ſic tamen, quamvis in hoc nummo potius *Biſtuvis*, quam *Piſtuvis* legerim, haud interim negarim, ex eo vocabulo poſſe *Paiſtum* deſcendere, pro conſueta ſcilicet inter B & P ſoni affinitate. Nam & in eadem ora Tyrrheni maris, nec procul a *Paeſto*, urbs, quam Latini *Buxentum* dicunt, a Graecis Πυξοῦς effertur.

At vero cum de urbe incerti poſitûs agitur, eccur non adhibentur in conſilium ſymbola, queis, veluti facem praeferentibus, facile fuerit in ſcopum incurrere? Tria autem in nummis, de quibus agimus, conſideranda ſunt 1. *origo* urbis *Tyrrhenica*, in litteris haud dubie Tyrrhenicis praemonſtrata. 2. ſitus urbis maritimus, in *Delphino* & *Apluſtri* ſignificatus. 3. agri ubertas, quam tum *hordeum*, tum maxime *Achelous*, adumbrant. His animadverſionibus adhibitis, patet jam Guarnaccium, & Blanchium refelli a ſymbolis *Delphini* & *Apluſtris*, quae ut maritimis urbibus apprime conveniunt, ita penitus repugnant ingenio *Faeſularum* & *Piſtorii*; quae utraque urbs, mediterranea Heturiae colens, illa maris indicia ſibi deberi negat. Eodem ex capite falſi arguitur Magnonius, qui metando *Pliſtiam* (41) in vicinia Compulteriae, longe a mari reductae, hoc ipſo deprehenditur a vero urbis maritimae ſitu aberraſſe. Sed praeter haec & illud etiam conſiderandum eſt, nummos ſic inſcriptos nonniſi in regionibus noſtris effodi ſolere; hinc fit veriſimile, hîc, ubi ceteroqui tralaticium erat Acheloi ſymbolum, eos fuiſſe cuſos. I nunc & littus Superi Inferique maris, quo hodiernum Regnum Neapol. in peninſulae morem cingitur, percurre; profecto nullam aliam urbem invenies, quae proximitate ſoni ad *Piſtuvis* accedat, niſi *Paeſtum*, cui & Tyrrhenica origo, ſitus ad mare Tyrrhenum, ſolique eximia feracitas (42) ſuffragetur. Nec enim ſola nominum qualiſcumque concordia ſpectanda eſt, ſed hoc

(41) Pliſtiae ſaepe meminit Livius, ſed adeo parce, jejuneque a characteribus regionis, ut Marſorum ne an Samnitum oppidum fuerit, adhuc ventilatur a Geographis. Paſchalis vero Magnonius, ſibi eſſe ludum ratus, quicquid aliis eſt impeditiſſimum negotium, decernit, *Pliſtiam* ſtetiſſe, ubi nunc *Preſta* dicitur, prope *Compulteriam* (quam Peregrinius *Camp. Fel.* p. 412. in agro Calatino ſtatuerat): atque inde ſecutus affinitatem ſoni, Pliſtiam eamdem cum τῷ *Piſtuvis* facit. Sed utut de *Pliſtia* Liviana conceſſerim; certe ſitus ejus loci mediterraneus aptari nequit urbi, quam in nummo quaerimus; hanc enim Delphinus & Apluſtre fuiſſe maritimam portendunt.

(42) De origine Paeſti Tyrrhenica vide, quae ſparſim Mazochius in *de Paeſto* Diatriba ad calcem Tabb. Heracl. diſſeruit. Urbs ſita erat ad orientalem plagam Silari, nec procul inde, ubi fluvius hic in mare Tyrrhenum immittitur. Sinus maris a Paeſto, dictus eſt *Paeſtanus*, quemadmodum a Plinio, Mela, aliis vocatur; *Tyrrhenicum* vero hunc *Sinum* cognominat Ariſtoxenus Muſicus apud Athenaeum XIV. 7. ab incolatu procul dubio ac frequentia in eo littore, Tyrrhenorum. De compertiſſima porro ſoli benignitate nihil dicam; nam cui Virgilianum illud *Biferique roſaria Paeſti*, ignotum eſſe poteſt?

hoc etiam intuendum, num deſcripti characteres inveſtigatae urbi plane conveniant. Ut ecce *Baſta* maritimum oppidum in Salentinis, etſi vocis conſonantiâ non longe abſit a *Piſtuvio*, aegre tamen fuerit, ut a Tyrrhenica origine, & a ſoli feracitate commendari queat. Quamobrem donec exploratiora aliunde ſuppetant indicia, libentiſſime in Paſſerii Mazochiique, ſtrenue pro *Paeſto* decertantium, ſententiam concedo: quos videſis, Mazochium praeſertim, qui varias urbis converſiones explicate perſecutus eſt, facto initio a prima origine Orientali, unde *Paeſti* nomen feliciſſime deducens, oſtendit Graecos poſtea transſnominando urbem Ποσειδωνίαν q. d. *Neptuniam*, nihil aliud niſi illius vocabuli ſignificationem interpretatos fuiſſe, aut potius ſic ad linguae ſuae genium emolliviſſe, ut Graecanicum videretur. Hoc unum praeterea monitum velim, quod a neutro comperi animadverſum: τὸ *Piſtuuis* ſive potius *Piſtuvis*, non primitivum urbis nomen, ſed ἐθνικὸν, *gentile*, videri. Hanc autem deſinentiam abnormem a Graeco modulo incedere, non miror: mirarer magis, ſi Tuſca vocabula pariter ac Hellenica, caderent. Lacinias enim deperditi Tyrrhenorum ſermonis in antiqua Italia, quae ex diuturno illorum imperio *Tyrrhenia* audiit, quam in Graecia, inveſtigare praeſtat. Ergo crediderim, primitivum urbis noſtrae vocabulum fuiſſe *Piſtuium* ſive *Piſtuvium*, uti *Lanuvium*. Ac porro quemadmodum e τῷ *Samnium* fit *Samnis*, ita ἀπὸ τοῦ *Piſtuvium* deſcendiſſe τὸ *Piſtuvis*, opinor. Ceterum deſinentiam in *IS*, Tyrrhenis fuiſſe familiarem, inde quoque oſtenditur, quod *Merriſs* & *Tubtiks* (43) qui erat apud Oſcos, Tyrrhenorum congeneres, magiſtratus, ſunt vocabula ſimiliter cadentia. Denique Romani vocem Tyrrhenicam *Piſtuvium*, qua interpolando, qua contrahendo, in *PAIStum*, uti in nummis Paeſti, jam deductae a ſe coloniae, legitur, refinxerunt.

ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΑτων. E Muſeo Ducis Nojae. Nummi hujus urbis ſunt obvii, cujuſcumque moduli, ac ferme omnes argentei. Poſidoniam a Sybaritis conditam tradidit Strabo V. p. 251. quod ſic intelligendum, Sybaritas pulſis Tyrrhenis, primis habitatoribus, coloniam eo deduxiſſe, barbarumque *Piſtuvii* nomen cum *Poſidonia* commutaſſe, pro more Graecorum, qui ut ceteris fucum facerent, perſuaderentque, omnia e ſuo

(43) Hic Oſcorum magiſtratus mire in editis libris variat. Alii *Mediſtuticus*, alii *Mediaſtuticus* praeferunt. Sed vera orthographia eſt illa, quam nobis exhibet inſignis tabula marmorea, Herculanei detecta, in qua eleganter perſcriptum viſitur MERRISS TVBTIKS. Vide *Mazochium* in *Addit.* ad Voſſii Etymol. in his vocibus.

e ſuo fonte fluxiſſe, quicquid erat Orientalium vocabulorum, adeo ſtudioſe ſua lingua fingebant, ut partus Graecanicus (44) videretur. Supervacaneum eſt monere lectorem, Poſidoniam poſt coloniam deductam fuiſſe vocatam *Paeſtum*, reſtituta nimirum & aliquantulum emollita vetere *Piſtuvii* nomenclatione. Nummi *Paeſtanorum* ſunt obvii, & in quibuſdam notantur nomina *II. Virorum*, qui ſupremus erat in Coloniis magiſtratus. Atque ea *Duumviratus* Paeſtani notatio apprime obſervanda eſt, plurimo uſui ad quaeſtionem, utrum Coloniae Italicae monetam cuderint, enucleandam futura. Vaillantius in *Num. Colon. & Munic.* Part. I. pag. *6.* univerſim negat, Colonias Italiae jus feriendae monetae habuiſſe; ſed is a nummis plurium coloniarum, uti mox dicam, Italicarum refellitur. Mazochius vero in *Tab. Heracl.* p. 508. 555. conceſſum id Coloniis Latinis, quibus civitas ſine ſuffragio dabatur, aliis negatum, contendit. Atqui cum pleraeque omnes coloniae Italiae ſine jure ſuffragii deductae fuiſſent, eccur nummorum harum urbium inſigni penuria laboramus? Quamobrem ſic meam dividerem ſententiam: officinam monetariam negatam coloniis in Italia *ſuburbana*, aliis extra vagantibus fuiſſe conceſſam. Meminit Italiae *ſuburbanae* Plinius lib. XXVI. 4. eamque Harduinus *Latio* vetere ac novo, urbi Romae proximo, definit. Equidem, Latio novo ſive Adjecto in Campaniae fines excurrente, crediderim ſub eo themate Campaniam univerſam, quae olim ad Silarum amnem protendebatur, Strabone lib. V. p. 251. teſte, comprehendi. Ac profecto quarum coloniarum Italicarum nunc nummi circumferuntur, eæ ſunt extra hujus Italiae terminos; uti Beneventum, Copia (antea Thurium) Paeſtum. Contra nulli dum contrectare licuit numiſmata Coloniarum Capuae, Cumarum, Puteolorum, Herculanei, Salerni &c. eam ob cauſam, quod in Italia *ſuburbana* ſic acceptâ, ſitae, neceſſe non erat, ut privata officina inſtruerentur; quandoquidem monetâ communis patriae, Romae inquam, cujus ut ita dicam, pomoerium contingebant, facile uti commodeque poterant. Nam nunc *Sueſanorum* & *Calenorum* &c. itidem in Campania populorum nummos non moror; quos tum cuſos judico, cum eorum reſpublicae ſeorſim a Romana rep. gerebantur.

(44) De quo more cum plura alia exempla produci poſſunt, tum praeclarum illud eſt, quod Graeci *Metapontum* dixerunt, quod antea *Metabum* (Strab. lib. VI. p. 265.) & *Macedoniam*, quae pridem *Macettia* (Heſych. in ea voce). Ex quo nominum metaplaſmo elucet Graecorum ſtudium, id affectantium, ut peregrina nomina Graeco torno elaborata viderentur.

SVESANO*rum* nummi ſunt obvii, ſed omnes cum ſimplici ſibilo; cum contra libri editi duplicem praeferant in hunc modum, *Sueſſa*, *Sueſſani*. Praeterea latinae ſunt omnes inſcriptionis, ita ut ſuppoſititios eſſe oporteat nummos hujus populi Graecos apud Goltzium, alioſque: nec ceteroqui locus Graeciſmo eſſe potuit. Nam ſive Sueſae Pometiae in Volſcis, ſive Sueſae Auruncae in Campania, tempora percurreris, nulla ſane exſtitiſſe comperies, quibus aut Volſci aut Aurunci, ſint ore Graeco locuti. Niſi quis exceperit, Graecos, antequam Romani hîc agere coepiſſent, aliquando fuiſſe dominatos. Verum donec Graeca Sueſae numiſmata in conſpectum ſe dederint, tamdiu de eo non liquere pronuntiabimus. Interim utri Sueſarum, nummos *Sueſanorum* adſcribemus? Procul dubio, *Sueſae Auruncorum*: nam de Volſcorum metropoli, quae ab antiquiſſimis Rom. temporibus colonia deducta fuerat, fruſtra ſit cogitare. Sueſam vero Auruncam, quamquam & ipſa haud diu poſt Auruncorum huc (45) migrationem accepiſſet coloniam, tamen libertati ſuae (cujus indicio eſt jus feriendae monetae) reſtitutam fuiſſe, inde colligi etiam licet, quod Ciceronis aetate non Colonia, ſed Municipium erat. His adde quod fabrica nummorum Sueſanorum eadem omnino eſt ac Calenorum: ac quemadmodum utrique aliquando Acheloum in moneta excuderunt; ſic utrique pariter, in ſignando gallo criſtato, quaſi de compacto, convenerunt. Cales autem breviſſimo intervallo a Sueſa (quae hodiedum nomen retinet) Aurunca, longiſſimo a Pometia diſtat. Praeterea favet libertati Auruncorum id quod conjeci ſupra p. 259. adn. 35. Nam ſive ſocietas Sueſanorum cum Neapolitanis, ſive horum imperium in Sueſanos in cauſa fuerit, ut *Sueſae* nomen incuderetur in moneta Neapolitana; hoc ipſo docemur, Sueſam non exſtitiſſe eo tempore Coloniam. Romani quidem certe neutrum, hoc eſt, colonos ſuos ſive oppreſſos, ſive cum aliis conſpirantes, irretorto oculo videre ſuſtinuiſſent.

ΣΥΒαριτων. E Muſeo Ducis Nojae, ubi & eſt alius nummus argenteus cum inſcriptione ΣΥΒΑριτων, & cum bove ſimplici: nam ille primus praeter litteras a dextra in laevam more Orientalium euntes, ſemibovem virum barbatum oſtentat. Litterae M pro Σ inſolen-

(45) Anno V. C. 416. Sulpicio Longo, Aelio Paeto Coſſ. Aurunci a Romanis opem contra Sidicinos flagitarunt. Decernitur in Senatu auxilium; ſed Conſulibus cunctantibus ferre ſuppetias, *Fama adſertur* (Liv. VIII. 15.), *Auruncos metu oppidum deſeruiſſe, profugoſque cum conjugibus, & liberis, Sueſſam communiiſſe, quae nunc Aurunca appellata; moenia antiqua eorum, urbemque ab Sidicinis deletam*. Haud diu poſtea (Liv. IX. 28.) *Sueſſa & Pontia eodem anno* (V. C. 433.) *coloniae deductae ſunt*.

lentiam ſaepe antea notaſſe uſuvenit in nummis urbium earum, quae fuerunt coloniae Sybaritarum. Sed hoc leve; illud vero moleſte fero, me, cum ſupra pag. 246. de inveſtigando Acheloo in nummis Sybaris Thuriique ſatagebam, nondum nummos inſpexiſſe Sybariticos, qui bovem barbatum exprimerent; nam de bove ſimplici in harum urbium nummis ſignato, res erat tritiſſima. Ex utraque igitur ſpecie bovis ſimul collata, & ex eo etiam, quod Romani Thurium transnominarint *Copiam*, h. e. abundantiam, collige, nihil aliud eo ſymbolo, niſi Acheloum, ſub duplice bovis ſpecie apparentem, cornuque Copiae poſſeſſorem, fuiſſe adumbratum.

TIANVR ΣΙΔΙΚΙΝ. Sic plene, ſcripturâ dextroverſum exarata, legitur in rariſſimo nummo Muſei Ducis Nojae; nam alii ibidem contractius habent TIANVR, & alius TAIAN. Mazochius in Tyrrhenicis Diat. V. §. 1. & Pellerenius Num. Pop. To. I. Tab. LX. n. 50. ediderunt nummos cum inſcriptione TAANVR. Adeo in primore *Teani* ſyllaba variatum eſt. Sed illud *Sidicini* cognomentum erat plane neceſſarium, ut a Teano Appulo diſtingueretur. Strabo lib. V. p. 237. inquit: Τέακνον τὸ καλούμενον Σιδίκηνον . . . ἐκ τοῦ ἐπιθέτου δηλοῦται, διότι τῶν Σιδικηνῶν ἐςίν. οὗτοι δὲ Ὄσκοι, Καμπανῶν ἔθνος ἐκλελοιπός. ὥςε λέγοιτ᾽ ἂν τῆς Καμπανιας, καὶ αὕτη μεγίςη οὖσα τῶν ἐπὶ τῇ Λατίνῃ πολέων· *Teanum Sidicinum . . . ipſo cognomento oſtendit, ſe ad Sidicinos pertinere, qui ſunt Oſci, gens Campanorum ſuperſtes, ita ut poſſit Campaniae dici; ipſa quoque urbium in via Latina ſitarum maxima*. Integrum locum eo conſilio attuli, ut eximia urbis (quam rurſus Strabo pag. 249. cum Capua comparans, ἀξιόλογον, *memorabilem*, vocat) praeſtantia, ſimul & cauſa cognominis *Sidicini*, noſceretur. Sed valde notanda ſunt verba illa: Sidicini, *Oſci*, *gens Campanorum ſuperſtes*: quibus docemur, ceteris Oſcis Campaniae, vel deletis, vel cum Latino populo permixtis, ſolos Sidicinos in Oſca republica, ad Strabonis ferme aetatem, perſeveraſſe. Profecto Teanum nonniſi tandem ſub Auguſto (quo adhuc ſuperſtite Geographus inchoavit ſcriptionem) colonia Rom. deducta fuit, teſte Frontino. Hinc videſis, quantum a vero Guarnaccius (46) aberrarit, qui in Orig. Ital.

(46) Guarnaccius l. c. cum de Teani nummis ageret, ſic in Mazochium, Teani veriloquium ab Orientali ſermone repetentem, illiberaliter inſurgit: *Che dolce divertimento, o piuttoſto qual giuſta compaſſione è mai queſta di vedere uomini grandi perderſi continuamente in queſta forma, e in queſti ſcherzi di parole!* Quis autem non crederet, hominem, qui adeo ſuperbe labores magnorum virorum faſtidit, velle, ſi umquam alias,

Tom. II. pag. 266. nummum Graecum inſcriptum THIΩN, Teano noſtro adſcripſerit. Ceteroqui Teanum Oſcae originis prodit tum litterarum delineatio, tum deſinentia in VR (47) plane Tyrrhenica: ex quo judicare licet, elementa etiam *τοῦ* ΣΙΔΙΚΙΝ fuiſſe Oſcis communia cum Graecis.

ΥΡΙΝΑΙ*ων*. E Muſeo Ducis Nojae. Plane ſimilem forte fortuna nactus ſum argenteum, litteris adeo perſpicuis, atque ad elegantiam praeciſis, ut nihil ſupra. Harduinus quoque legerat in ſuo nummo ΥΡΙΝΑΙ, quippe qui lectionem Υ*ριναιων* inde exſculpſerat. Nam alii, quoſcumque vidi, habent Υ*ρινα*, ſine littera longa in fine. Porro elementum D pro R valere, poſt illa, quae pag. 257. notata ſunt, non ultra detinebo lectorem. Duplicem autem exſtitiſſe in Regno Neapolitano *Hyriam* jam inter Geographos convenit, unam in Daunia Appula, de qua ſupra pag. 256. dixi; alteram in Salentinis, ac fortaſſe illam ipſam, quam Herodotus lib. VII. 170. narrat, a Cretenſibus fuiſſe conditam in Japygia Meſſapia. De utraque ſimul locutum fuiſſe Plinium videri poſſet; niſi ejus locum immaniter depravaſſent (48) amanuenſes. Huic alteri Hyriae Begerus *Theſ.*

alias, nunc quidem certe prodire coram, ingenti eruditione ſuffarcinatum? Interim is nummos T*ηΐων* attribuens Teano Sidicino, vereor ne ludibrium debeat. Nam ſodes, helice ne Archimedis, an potius magicis carminibus, urbem *Teon* (cujus gentile nomen THIOΣ in quamplurimis nummis legitur) e media Jonia in Campaniam deduxit?

(47) Valde notanda eſt terminatio Oſci vocabuli in VR. An quod Oſci *Tianur*, id Latini *Teanorum* extuliſſent? ſicuti in aliis Teani nummis aliquanto recentioribus, TIANO*rum* legitur. An potius *Tianur* ſit primitivum urbis nomen pro *Tianus*, elemento S in R abeunte, quemadmodum in decreto Spartanorum, quod illuſtrat Caſaubonus ad Athenaei VIII. 11. legitur T*ιμοθεορ* M*ιλησιορ*, pro communi T*ιμοθεος* M*ιλησιος*? Sane Tyrrheni, qui Oſcis erant affines, mirifice rhotaciſmo delectabantur. In hanc alteram partem mihi animus inclinat, eoque magis, quod in Teani nummo penes Baronem Ronchium, perſpicue legitur ΣΙΔΙΚΙΝΑ, vox, uti videtur, connectenda cum *Tianur*, pro *Tianus*, ſequioris ſexus; ut ut Latini *Teanum* generis neutrius, cumque ſecunda vocali E in prima ſyllabâ, probarint.

(48) Locus Plinii exſtat lib. III. cap. 10. ubi is Meſſapiae urbes enumerans, *Oppida*, inquit, *per continentem a Tarento*, *Varia*, *cui cognomen Apulae*, *Meſſapia*, *Aletium*. Nihil hîc ulceris ſuboluit Harduino, qui praeterea *Meſſapiam* urbem, quae hodie *Meſagna* dicatur, interpretatus eſt. Fabulae. Meſſapia enim nomen eſt regionis, non oppidi. Itaque affirmate contenderim, ſic olim a Plinio exaratum fuiſſe: *Oppida per continentem a Tarento*, *Varia*

[*ad*

Theſ. Brand. Tom. I. . . & Mazochius *Tab. Heracl.* pag. 535. adſcribunt nummos inſcriptos ΥΡΙΝΑ, & nota ſemibovis barbati percuſſos. Sed ex τῷ Ὕριον ſive Ὑρίη, fit per analogiae canones Ὑριεὺς vel Ὑρῖνος; & revera oppidani a Plinio *Hyrini* vocantur: quo igitur ſpectare dicemus femineum nomen *Hyrina?* Uterque vir ornatiſſimus derivativum nomen eſſe rentur, & Mazochius quidem *Monetam*, aliudve congruum vocabulum (49); Begerus vero *Minervam*, cujus vultus in altera nummi facie cuditur, ſubaudiri autumant. Atqui ea ſubſtantivi nominis reticentia ferri utcumque poſſet, ni obſtaret noſtri nummi epigraphe ΥΡΙΝΑΙ, quae producenda omnino intelligitur in ΥΡΙΝΑΙων; ut ſaepe in nummis, ΝΩΛΑΙων, ΚΥΜΑΙων &c. Jamvero e gentili nomine Ὑρινχῖος evincitur, primitivum urbis vocabulum fuiſſe Ὑρινχ; quemadmodum Τερινχῖος, Μυρινχῖος, a Τερίνχ, Μυρίνχ deſcendit. Utraque igitur lectio ΥΡΙΝΑ & ΥΡΙΝΑΙ, proba eſt; illa primitivum urbis nomen ſervavit incolume, haec dat intelligere derivativum. Interim hujus *Hyrinae* poſitum, mihi plane ignotum eſſe fateor; & angerer quoque, niſi pariter in aliarum urbium veterum ignoratione verſaremur. Nam quot urbes Italicae, ut propiora attingam, a Stephano Ethnic. memoratae, nos in obſcuro latent? Quis *Taurianam* Plinii in Campania, quis *Brettiam* Mamertinorum, *Orram* Locrenſium &c. intento digito nunc monſtrare confideret? quas quidem urbes, aliaſque quamplurimas, vel a nummis unice compertas, nihilo tamen minus quis exſtitiſſe negaverit. In hujuſmodi urbium incerti poſitus cenſum adſcribe *Hyrinam*. Attamen ſi quid audendum eſt, eo mihi inclinaret animus, ut Hyrinam vel in Campania vel in proxima

[*ad diſcrimen ejus*] *cui cognomen Apulae*, *Meſſapia*, *Aletium*. Quae uncis comprehendi, ſunt ad fulciendam ſententiam plane neceſſaria. Duplex Uria ſive Varia memoranda erat; prima in Meſſapia, de qua Plinius hîc; ſecunda in Apulia, quam paullo poſt Plinius deſcribit: *In qua* (Apulia) *oppidum Salapia . . . Sipontum*, *Uria*. Quamobrem ut unam Plinius ab altera diſtingueret, appoſite illam *Meſſapiam*, hanc *Apulam* cognominavit. Utraque Hyria variis orthographiae vicibus obnoxia fuit. De Apula jam ſuo loco vidimus; ſed & Meſſapia non benignius accepta eſt. Herodotus Ὑρίην, Strabo lib. VI. p. 282. Οὐρίαν, cum bivocali, extulit. Ejus ager *Varnus* a Frontino dictus proditur; ſed quem recte Harduinus in *Varinum*, aut potius *Varium*, refinxit.

(49) Tametſi paullo poſt pag. 599. cum nummum ΥΡΙΝΑΙ, cum diphthongo in ultima ſyllaba, oculatus teſtis vidiſſet, ultro affirmet, legendum ΥΡΙΝΑΙων, ſuſpiceturque, ex gentili nomine Ὑρῖνος poſtea formatum nova propagatione fuiſſe Ὑριναῖος. Atqui de nova ſobole in hanc formam pullulante, adhuc exemplum quaero.

ma Campaniae regione metarer, ductus indicio *Semibovis barbati*, & quidem ſupervolitante Victoria; ut in alio *Hyrinae* nummo argenteo penes Baronem Ronchium contemplatus ſum. Profecto plerique omnes Campaniae populi delectati ſunt eo typo, ferme ut Campaniae peculiaris haberi poſſit; uti pag. 245. conjiciebam. Quamquam non negarim, alios etiam populos vel aemulatione vel quo alio ſtudio, Campanorum, in ſuis numiſmatis Victoriam Acheloo impoſuiſſe.

Huc uſque eſto recenſio nummorum Regni Neapolitani Acheloiorum, quoſcumque potui colligere; nam comprehendiſſe omnes, affirmare non auſim; maxime novis in diem numiſmatis, quae antea ignorabamus, in apricum prodeuntibus. Ipſe etiam nonnulla, in quibus quidem Achelous pingebatur, ſed quia deſperatae prope erant lectionis, conſulto praetermiſi. Ut ecce duo hujuſmodi nummi ærei ſunt apud me; in quorum uno, ΚΥΠΕ . . . . in altero utrimque corroſo, . . . ΠΕ . . . legitur. Equidem certa quae ſunt explorataque, dicere profeſſus, eccur nunc in incerto conjecturarum luderem? Profecto ſi uſquam alias, in hoc quidem certe negotio numiſmatum interpretandorum, tempori ſerviendum eſt, porroque ſperandum, ut nummus aliquando prodeat lucidior, qui tenebroſiori lumen affundat. Sed enim per ectypas imagines nummorum, quos produxi teſtes, jam ratio mythicorum, ſemibovem virum barbatum in moneta ſignantium, abunde pateſcit. Profecto cum in veterem aliquam imaginem incidimus, ſi pernoſcere, de eaque recte judicare velimus; neceſſe eſt, ut eam a capite, a tergo, a lateribus luſtremus oculis; tum poſtea judicium ferre licebit. Jam in pluribus numiſmatis liberarum (50) urbium Bos barbatus ſignabatur: haec autem ſpecies ſingularis cum eſſet, liberum fuit eruditis viris eam, quo quiſque vellet, nomine donare. At vero ſi monſtrum hoc undique, & quocumque modo ſub oculos cadebat, contemplari placuiſſet, jamdiu conjectandi licentia praeciſa fuiſſet. Certe ſi animadvertiſſent, in unius ejuſdemque populi, nunc bovem ſimplicem, nunc compoſitum, & interdum ejus vice Cornu copiae apparere; pronum fuiſſet colligere, illum ibi ſignificari, cui omnes hi characteres conveniunt. Nimirum is unus eſt Achelous fluvius, qui cum Her-

(50) Urbes eo conſilio dixi liberas, uti a Coloniis Romanorum diſtinguerem. Bos enim arator in coloniarum nummis frequentiſſime ſignatus, prorſus alio pertinet, nec ubertatis indicium eſt, ſed utique oſtendit, Coloniam eo deductam fuiſſe plebejam: quemadmodum contra aquilae legionariae ibidem expreſſae, ſunt inſignia Coloniae militaris. Vide Fabrettum Col. Trajani pag. 11.

Hercule congreſſus, a Sophocle traditur, evaſiſſe *Taurus manifeſtus*, & *bucerus cum virili facie*. Ejuſdem praeterea ideam excitat cornu copiae; nam fertur ea occaſione Achelous tradidiſſe *cornu abundantiae* Aetolis, & exinde horum regio mira feracitate exuberaſſe. Atque inde mihi occaſio oblata eſt vocandi nummos *Acheloios* eos, in quibus quid hujuſmodi ineſſet, quod ad Acheloum quoquomodo deſignandum valeret.

Ac ſane dubitari nequit, quin bos barbatus in Aetoliae ac viciniae Ambraciae atque Acarnaniae nummis, ſit Achelous fluvius appellandus; non quia fluvii paſſim cornigeri, ut Burmanni fert opinio, pingerentur, ſed utique quia ille in hujuſmodi ſpeciem, ut erat in fabulis, olim ſe ſe transformarit. Et Fluvii quidem paſſim in urbium numiſmatis ſcalpti viſuntur, ſed integro ſemper humano ſtatu vultuque; niſi quod interdum eorum frons taurinis cornibus prodigialiter efferatur, ad notandum ſcilicet ſive tortuoſos flexus, ſive violentiam ac veluti mugitum quemdam frementium aquarum. At nullibi oſtendi poteſt, fluvii numen in quadrupedis ſpeciem cum humani vultus dignitate, incurvatum, niſi primitus in Aetolia, ubi illa portentoſa metamorphoſis accidiſſe ferebatur. Itaque ex comperta Acheloi in nummis Aetoliae ſpecie, diſce, ecquo nomine ſemibos vir barbatus Siciliotarum ac Italiotarum, ſit compellandus. Et antea quidem augurabar, populos Siciliae atque Italiae ſuopte genio ductos, probaſſe typum Aetoliae, in remque ſuam vertiſſe, magis id adeo, quod veteres, ut ſupra pag. 241. ſeq. vidimus, ſub Acheloi nomine quamcumque aquarum vim, quemadmodum ſub ejus cornu abundantiam, comprehenſam eſſe voluerunt. Sed ex quo Cumanos nummos tractare ſuſcepi, atque animadverti, Cumas, vetuſtiſſimam omnium Italiotidum & Sicularum coloniam, a primis uſque temporibus Acheloum in moneta ſignaſſe; facile in illam alteram ſententiam, quam pag. 254. ſeq. expoſui, ingreſſus ſum; nimirum Chalcidenſes Cumarum conditores, typum illum ex Ambracia Aetoliaque advexiſſe in Italiam antiquam ac Siciliam, agrorum ubertate fructuumque omne genus copia, cum Aetolia ipſa certantes. Italiam dixi antiquam; nam cum apud veteres ſit mentio Italiae, ea ſtrictim accipienda eſt, quae Magnae Graeciae fines non excederet, uti Mazochius in Tab. Heracl. pag. 56. ſeqq. oſtendit. Ad ſummam antiqua Italia in hodierno Regno Neapolitano continetur. Cumae igitur ſuſtulerunt ſignum ceteris in Campania, atque adeo in Magna Graecia urbibus, uti ſymbolum in Aetolia adinventum, ipſae pariter arriperent. Ac ſane, quemadmodum

dum fieri aliquando ſolet, ut nonnullae plantae in alieno, quam in patrio, ſolo felicius ſuboleſcant; ſic typus hic e Graecia tranſmarina huc traductus, adeo facile comprehendit, ut quaſi hîc in lucem editus, ad incrementum, ac maturitatem ſuam evaſerit. Adeo ſignata res cum ſignante convenit.

At cui bono fuerit, eruiſſe tanto molimine nomen ſignati bovis, niſi & quod bove portenditur, actu exſequamur? Nam mihi perſuadeo, prudentiſſimos majores noſtros, Acheloum in moneta expreſſum tradendo poſteritati, hoc etiam inculcatum voluiſſe, uti nepotes benigno genio loci obſecundantes, antiquis artibus patriis h. e. agricolationi, ſtuderent. Sane vetus eſt adagium: *Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat*. Ars cuique populo domeſtica prorſus illa eſt, quam ipſa loci natura ſuadet, facileque parabilem ductu ſuo promittit. Nunc autem quam praecipue artem nobis Campanis Magniſque Graecis natura commendarit; non aliunde niſi a veteribus pernoſcere licebit. Equidem non is ego ſum, qui plurimum tribuendo veteribus, nihil ferme deberi contendam recentioribus; ſed hoc ajo, veteres, quippe qui in pauciores diſtracti erant occupationes, quamcumque rem tractabant, ſedulo laborioſeque, quaſi huic uni vacarent, excoluiſſe; in explorandis vero naturis locorum, adeo exacte verſatos, ut cujuſque loci genium, non dicam, deſcripſerint, ſed plane definierint. Illi vero non ſolum voce, exemploque ſuo ad agriculturam Italos excitarunt; ſed, ne tradita praecepta memoria exciderent, id ipſum in numiſmatis, tamquam in pictis tabulis, expreſſum eſſe voluerunt; quaſi adhuc auribus nepotum inſonantes, uti Genio loci ad colonicos labores invitanti, atque inde ingentia emolumenta pollicenti, auſcultent. Nos vero faſcinante quarumdam artium peregrinarum lenocinio decepti, dum aliena comprehendere ſatagimus, bona patria contra vota majorum negligimus. Equidem cum in praeſentem rerum ſtatum intueor, eumque cum florentiſſimo majorum comparo, id nunc factum a noſtris vellem, quod olim Poſidoniatae feciſſe dicuntur. Qui, uti traditur ab Athenaeo XIV. 7. poſtquam a Graecanica inſtitutione ad barbaricam deſciverunt, *uno feſto die Graecanico in unum convenientes, antiqua illa nomina, legitimaſque conſuetudines memorant; invicemque conqueſti & collacrymati, ita demum diſcedunt*. Cum ad horum imitationem, tum ad priſtinae vivendi formae ſolatium, nunc inſtitutum optarem feſtum conventum, a Campaniae Magnaeque Graeciae populis, frequentandum. Feſto hujuſmodi, non quidem a bobus immolandis, ſed utique a recolenda bovis aratoris, in nummis patriis obvii, me-

memoriâ, nomen *Buthyſiae* facerem; cujus causâ convenirent in unum noſtri homines, & oſtenſis collatiſque ſimul Acheloi typis, priſtinas majorum artes, vitio poſterorum neglectas, atque inde dilapſas opes, potentiam, ſplendorem, etiam atque etiam conquererentur; ac mox ſe ſe mutuo ad reſtituendum aratro honorem incenderent atque inflammarent.

DISSERTATIONIS

De Buthyſiae *agone Puteolano*.

PARS ALTERA

Buthyſia *a plurimo boum ſanguine dicta*, *eadem ac* Buphonia *Athenienſium*. Certamen Buthyſiae *Puteolis*, *potius* venationis *ſpecies*, *quam* ſacrificii. *Quid* Χαρώνειον· *Gladiatores* Manicarii, *iidem ac qui* matutino ludo *prodibant*.

AT vero Puteolorum *Buthyſia*, de qua adhuc quaerimus, alia prorſus fuit ab ea, quam paullo ante in agricolationis honorem inſtitutam volebam; quin imo in ejus perniciem peſſimo exemplo deſaeviit. Buthyſiam enim cum audis, confeſtim animo concipe ingentem miſerandamque bubuli pecoris, de terrae cultura benemerentiſſimi, lanienam. Sane hanc nobis notionem excitat nominis ipſius etymologia, & quam uſus exemplaque veterum confirmant. Profecto Buthyſia, quae Strabone lib. VI. p. 270. teſte, Olympiae edebatur, a mactandis bobus nomen invenit, tantumque ſanguinis eo tempore, (ut e Geographi verbis eruitur) effundebatur; ut & in proximum Alpheum decurreret, & Arethuſae nobilis in Sicilia fons, quicum illum fluvium per caecos meatus miſceri fabulabantur, cruore infectus appareret. Cruentiſſimum id ſacrum occaſione ludorum Olympicorum peractum fuiſſe mihi perſuadeo; nam veteres agonalia certamina ſacrificio demum aliquo, hoc eſt, ut equidem interpretor, opiparo lautiſſimoque epulo, abſolvere conſueverunt. Notae ſunt hecatombae Argivi certaminis, de quibus nonnulla, cum eo de agone agebam, dixiſſe memini. Ejuſdem ingenii ac Olympica, fuiſſe videtur Buthyſia Romana, de qua Suetonius Nerone 12. *Gymnico, quod in Septis edebat, inter Buthyſiae apparatum barbam primam poſuit, conditamque in auream pyxidem & pretioſiſſimis margaritis adornatam, Jovi Capitolino conſecravit*. Hîc autem cum Tranquillus utrumque ſimul memoret,

 nimi-

nimirum Gymnicum ſpectaculum, & Buthyſiam; pronum fuerit colligere, ut Olympicos, ſic Romanos ludos tandem in Buthyſiam, h. e. boum mactationem, exiſſe. Vel ſic tamen *Buthyſiam* Puteolanorum aliud a vulgari bovicidio exſtitiſſe judico; nam Olympiae Buthyſia nonniſi quaedam erat appendix gymnicae editionis; at vero Puteolanus agon ipſa Buthyſiâ definiebatur, ab eaque ſubſtantiam quodammodo capiebat. Sic enim in pulcherrima Graeca inſcriptione, de qua mox, emphaticῶs deſcribitur: Ὁ *ἀγὼν ὁ ἐν Ποτιόλοις τῆς Βουθυσίας*, quaſi diceretur, *celeberrimus ille agon Puteolanus Buthyſiae*. Ea ſane articuli praepoſitivi eſt vis, ac poteſtas. Itaque danda eſt opera, ut e pluribus Buthyſiae acceptionibus ea praecipue ſeligatur, quae & nomini ſuo reſpondeat, & ſollemni alicui feſto conventui fecerit nomen.

Num ergo id *Buthyſiam* Puteolani appellarint, quod Βουφόνια Athenienſes? Hoc feſtum Athenis Scirophorionis XIV. celebrabatur, nomenque habebat a boum, qui ea occaſione mactabantur, multitudine. De quo praeter Pauſaniam, Harpocrationem, Suidam, & Euſtathium, haec ſcripſit Etymologus M. Ἑορτή *τις παρ᾽* Ἀ*θηναίοις τὰ* ΒΟΥΦΟΝΙΑ, *ἐν ᾗ πόλλοι* ΕΘΥΟΝΤΟ ΒΟΕΣ, Buphonia, *feſtum apud Athenienſes, in quo multi boves immolabantur*. Habes in hac Βουφονίων definitione etiam comprehenſa elementa vocis *Buthyſiae*, ſic ut de parili utriuſque feſti ſignificatione ne dubites: utrumque enim recte *Bovicidium* interpretari licet. Sed hîc illud obſtat, quod *Buphonia* citra ullum agonis ſpectaculum peragebantur, ſecus ac *Buthyſia*, ſimul cum agoniſticis exercitationibus edita. Quandocumque enim *Buthyſia* in illa Graeca epigraphe occurrit, pariter cum *agone* connexa ac ſociata procedit. Itaque mihi Puteolanorum *bovis mactationem* cum *agoniſtico labore* componere quaerenti, nihil aliud dicere ſuccurrit, niſi hoc, Certamen fuiſſe ejuſmodi, in quo non athletae cum athletis pro ritu Graecorum, ſed ubi athletae cum Bove cornupeta, ut hodiedum alicubi fit, perſequendo jugulandoque committebantur. Sic enim integram *agonis* notionem tuebimur, ſimulque intelligemus, certamen ſola *bovis mactatione*, quae agoni nomen & argumentum dabat, fuiſſe abſolutum. Ac ſane olim hujuſmodi commiſſiones maximopere commendabantur, eoque jucundiores accidebant, quo cum valentioribus beſtiis certamen fuerat. Certantes a reipſa *Beſtiarii*, & non raro ab hora diei, qua ludus inibatur, *Meridiani*, &, ni fallor, *Manicarii* (1), vocati ſunt. Opportunitas autem Puteolani amphithea-

(1) Munus gladiatorium de more praebebatur populo, mane ac meridie. *Lu-*

theatri, cujus adhuc reſtant rudera ſtupendi laboris, ſuadebat, opinor, ut ibi ad munerum Romanorum imitationem inſtitueretur venatio, quae a tranſverberando, vel quoquo modo interimendo bove, *Buthyſia* diceretur.

Sed ſi cui videar, athletico certamini, cujuſmodi eſſe Puteolanum parebat, munerarium, & liberali palaeſtrae arti, infamem arenae,

Ludi matutini mentio ſaepe fit in vett. lapidibus ac ſcriptoribus. De utroque ludo Suetonius in Claudio 34. *Beſtiariis, Meridianiſque adeo delectabatur, ut etiam* Prima Luce *ad ſpectaculum deſcenderet, &* Meridie, *dimiſſo ad prandium populo, perſederet*. Qui mane producebantur cum Beſtiis digladiaturi, dicti ſunt *Beſtiarii;* quorum ſuperſtites meridiano tempore ſecum committebantur, nec ſanguini parcebatur. Nam certamen *meridianum*, non ſecus ac *matutinum*, Fabrettus Col. Traj. p. 254. contra Reineſium contendit, fuiſſe cruentiſſimum. Quemadmodum autem, qui *meridie* certabant, *Meridianos* vocari placuit; ſic viciſſim puto *Matutinos* audiiſſe, qui mane in arenam deſcendebant. Fateor quidem, me nullibi deprehendiſſe *matutinum* hac notione uſurpatum; at vero confido erui poſſe vocem aequipollentem, & quae *Matutino* adamuſſim reſpondeat, e vetere lapide, quem Romae anno 1756. edidit Dominicus Scutillus, vir amiciſſimus eruditiſſimuſque. Lapis hic ſcalptus Imp. Caeſ. L. Aurelio Commodo, M. Plautio Quintillo Coſſ., exhibet album familiae gladiatoriae, in quatuor Decurias diſtributae. Unicuique Decuriae ſubtexuntur nomina gladiatorum, & e regione ars, quam quiſque profitebatur, per compendia vocum adnotatur; veluti THR*ex*, HOPL*omachus*, RET*iarius*, MVR*millon* &c. In alterius Decuriae loco ſecundo, ſcalpitur DEMOSTHENES MANICAR. Recte Cl. Scutillus vocem decurtatam in MANICAR*ium* producit, ſed *Manicarium* a *manicis*, ſive chirothecis, quibus manus gladiatorum obarmabantur, deducens, vereor ut acu rem tetigerit. Nam quis arenarius, arma tractans, non ſic inſtructus incederet? Equidem *Manicarium* arceſſerem a verbo *Manicare* h. e. ὀρθρίζειν, *matutinum agere;* ut in illo Virgilii VIII. 465.

Nec minus interea Aeneas ſe matutinus agebat.

Id Latini jam ad barbariem magnis paſſibus euntes, *Manicabat*, dixiſſent. Sane ubi legitur Lucae XXI. 38. Λαὸς ὤρθριζε πρὸς αὐτὸν, Itala Vetus ac Nova habet: *Populus manicabat ad eum*. Vetus Itala ineunte ſaltem altero Chriſti ſaeculo adornata fuit. Aliquanto recentior eſt inſcriptio gladiatoria, de qua loquimur, quippe quae ad annum Ch. 177. pertinet. Quo minus hîc mirabimur novitatem vocabuli *Manicarius*, utique deducti a verbo *Manicare*, quod jampridem in uſu vulgi eſſe coeperat. Itaque quemadmodum in vet. lapide *L. Annaeus* MER, Fabretto Col. Traj. p. 253. interprete, eſt MER*idianus* gladiator, qui meridiano ludo prodibat; ita noſter *Demoſthenes* MANICAR, fuerit *Manicarius*, ſive matutinus, nimirum ex eo grege gladiatorum, qui matutino ludo damnati, vel auctorati, cum beſtiis decernebant.

praeter exſpectationem ſuppoſuiſſe; ſciat is, neque Graecos ipſos, vel cum palaeſtritas profitebantur, ab ludrico id genus abhorruiſſe. Strabo lib. XIV. p. 650. Ἐν δὲ τῇ ὁδῷ &c. *In via inter Tralles & Nyſam, pagus eſt Nyſaeorum haud procul urbe, nomine Acharaca; in quo Plutonium eſt, lucum habens ſumptuoſum . . . .* (καὶ τὸ χαρώνιον ἄντρον) *& Charonium* (2) *antrum ſuperne luco imminens, naturâ admirabile . . . . Locus iſte inacceſſus eſt & exitioſus. Quotannis feſtivitas conventu hominum agitur Acharacis, & tunc maxime videre eſt, & audire eos de his rebus, qui eo confluunt. Atque tunc circa meridiem juvenes & ephebi e gymnaſio nudi & uncti, taurum arreptum in antrum ſtudioſe inducunt: qui dimiſſus, ubi paullum acceſſit, exanimatus concidit.* Hujus autem gymnici ſpectaculi ſpecies in eo conſiſtebat, ut athletae tauri venatione id agerent, uti cornupetam in antrum per vim compellerent, quo deductus, intercepta per mephitim anima, exſpiraret. Nolo quis ſuſpicetur, me eo conſilio illum Geographi locum attuliſſe, quaſi voluerim Acharaca Nyſaeorum cum Puteolis, & illam tauri exanimationem cum Buthyſia, comparare; ſed hoc unum penſi mei fuit, ut oſtenderem, gymnicum etiam ſpectaculum habitum illud fuiſſe, in quo athletas cum beſtiis luctari mos erat. Hujuſmodi exſtitiſſe ajo Buthyſiam Puteolanorum; quandoquidem feſtum id *agon* dicebatur; & quia Buthyſiae h. e. Bovicidii cognomen gerebat, non a vero abludit, ſic fuiſſe dictum, quod totum athletarum ſtudium in perſequendo ac mactando tauro impenderetur.

Sed jam de *Buthyſia* ſatis: nam mihi feſtinat animus, inſcriptionem illam, unde nobis *Buthyſia Puteolorum* innotuit, aggredi. Sane longus mihi multuſque fuit de eo vocabulo ſermo, ſive qua in negantem, ſive qua in affirmantem partem, diſputavi. Jucundum nunc fuerit, ſiſtere ob lectorum oculos ipſam epigraphen, quae diſſerendi occa-

(2) Χαρώνεια ſunt loca ſubterranea, letalem mephitim exhalantia, quae ſic eleganter deſcribit Virgilius Aen. VII. 568.

Hic ſpecus horrendum, & ſaevi ſpiracula Ditis
Monſtrantur: ruptoque ingens Acheronte vorago
Peſtiferas aperit fauces . . . .

Spiracula hujuſmodi ibi facile deprehenduntur, ubi ager igne ſubterraneo antiquitus arſerit. Plura Puteolis in campo Phlegraeo patuiſſe, veriſimile eſt; & hodiedum ad oram Aniani lacus, qui ad orientem Puteolorum eſt, oſtenditur Charonium, quod vulgo *Antrum Canis* dicitur; nam ad aëris venenati, ſpiritumque intercludentis experimentum, fere ſemper Canis deputari ſolet. At Acharacis violentiſſima venatio explicabatur; res enim erat cum tauro, eoque a nudis athletis edomando.

occaſionem & argumentum ſuppeditavit. Sed & plura dicendi capita ſuppeterent; ſi quis enucleate ac pro dignitate tractare inſcriptionem velit. Interim ne mihi plane defuiſſe videar, illam comere atque ornare pro facultate mea adnitar. Atque utinam Scaliger ac Reineſius, viri ſummi, accuratius in illius commentationem incubuiſſent; hoc quidem altero me labore levaſſent; hi vero, quae pauca inde delibarunt, partim negligenter, partim jejune nimis appoſuerunt. Ipſe etiam Laſena noſter obtutum conjecit in marmor, ſed rerum dicendarum copia, ac fortaſſe etiam difficultate, deterritus, vadimonium deſeruit. Nempe quicquid id eſt gloriae ac qualecumque, reſervatum erat eruditiſſimo ac nobiliſſimo illi viro, qui in opere *De Phoenicibus primis Neapolis habitatoribus Neap. edit. anno* 1764., interpretationem marmoris ab inchoato molitus, non mediocrem induſtriae ac diligentiae laudem conſecutus eſt. Equidem de elaborata ejus verſione latina ac commentario libenter profeciſſem, niſi meus eſſe maluiſſem. Atque huic honeſtae cauſae acceſſit altera valde neceſſaria, quod non omnia, quae clariſſimus vir noſter extulit, mihi probanda eſſe viderentur. Quamobrem cum mox Graeca e Grutero pag. MCV. recudam, verſionem latinam e meo adjungere duxi neceſſarium; ſed, ſicubi mea ab illius (quem poſthac *Primum Interpretem*, honoris ac diſcriminis cauſſa vocabo; nam me dici *alterum*, non aegre patiar) ſententia diſceſſerit aliorſum; de hoc ipſo lectorem opportune commonefaciam, ut ipſe in rem praeſentem dijudicet.

Commentarii autem quem aggreſſurus ſum, tot erunt partes, in quot capita totus inſcriptionis contextus diſtributus eſt. Tota autem epigraphes ſeries, ut legenti patet, hos quatuor actus diverſos complectitur: I. Tyriorum Epiſtolam, quam rectius *ſupplicem libellum* dixeris: hoc enim libello Stationarii, qui Puteolis conſiſtebant, Senatum Tyriae patriae adeunt, ab eoque, ut antiqua conſuetudo ſervetur, flagitant: II. Lectionem ejuſdem Epiſtolae per ſumma capita rerum, in Senatu habitam: III. Sententiarum dictionem: IV. ac tandem Senatus decretum, quo tandem univerſus inſcriptionis marmoreae apparatus tendebat. In totidem ergo Paragraphos commentationem pro more tribuam: niſi quod ad ſectandam breviloquentiam, quicquid mihi dicere in mentem venerit, id non ediſſeram contexta oratione; ſed ſeorſim, & comparate ad verſuum ordinem, breviterque perſtringam.

M O N I T V M

In ſequentem Inſcriptionem.

INſcriptio ex editione Gruteri pag. MCV. producetur, cuſtodita penitus ejus orthographia, ſed non obſervata linearum longitudine, quam hujus chartae modulus excludebat. Ceterum nec ipſum Gruterianum exemplar plane ad fidem marmoris expreſſum fuiſſe reor. Quis enim ſibi perſuaſerit, Epiſtolae titulum minuſculis, corpus vero ſive contextum, majuſculis characteribus, ſcalptum in marmore exſtitiſſe? Imo contra, ſi veterum conſuetudinem reputaverimus, factum oportuiſſet: nam hoc in more poſitum antiquis quadratariis fuit, ut primas quaſque lineas fere ſemper delinearent vaſtiores, ac pro proportione ceteras extenuarent; id quod & ipſa ratio proſpectus flagitabat. Nec ſecus Puteolanum marmor inciſum arbitror: in quo forte marmore, quia primae lineae amplioribus altioribuſque elementorum ſulcis exaratae, nullum legenti negotium creabant; ſecutae vero, quia graciles ac pene fugientes, difficiliores lectu accidebant: fecit id deſcriptor, quod profecto quivis alius in re ſimili feciſſet: Nimirum ad operis celeritatem expreſſit minuto charactere verſus eos, in quos, utpote grandiores atque elegantiores, nulla cadebat lectionis ambiguitas; ac praeterea criticum agens, voces recte diſcrevit, eiſque ſpiritus atque accentus, ut in minuto charactere fieri ſolet, appinxit. At vero religioni ſibi ducens expolire opera ſua lineas eas, quae vel exiles vel vetuſtate exeſae, perſpicuitate laborabant; ipſe potius pictorem, quam litteratum virum ſe gerens, eo modo delineavit, quo ſibi in oculos incurrere videbantur. Atque inde eſt, ut in Epiſtolae inſcriptione ſint proba & exacta omnia; ſed ubi litterae majuſculae apparere incipiunt, ibi ſtatim ſubodorari liceat evaneſcentis marmoris indicia. Profecto vox ΧΑΙΡΕ, *quae prima in hanc formam occurrit, jacturam duarum litterarum fecit in fine; nam producenda omnino eſt in* ΧΑΙΡΕΙΝ, *pro conſueta Graecorum epiſtolari ſalutatione. De ſequentibus majuſculis nunc mitto dicere: quandoquidem nulla ferme linea decurrit, quae non pluribus litterarum erroribus aſperatur; multa ſunt ſimul apta, quae ſecreviſſe oportebat; ac non pauca, quae connectenda erant, miſere in partes diſcerpta viſuntur: id quod indubii eſt argumenti, marmor, ex quo nunc apud Gruterum quadratis elementis procedere incipit, adeo exeſum, incertaeque lectionis deſcriptori fuiſſe viſum, ut muneris ſui partes eſſe duxerit, ſic inde litteras excipere, quemadmodum inciſae ſibi objiciebantur. Laudo quidem hominis religionem,*

quam

quam ab eo obſervatam etiam vellem, cum Epiſtolae inſcriptionem e lapide delineabat. Maluiſſem equidem, ut hanc, non ſecus ac cetera ſequentia, majuſculis, prout erat in marmore, litteris tranſcripſiſſet. Nam nunc in incerto relinquitur, utrum metatheſis illa verſûs 3. Δήμῳ καὶ, *pro* καὶ Δήμῳ, *e ſua deſcriptoris manu, an a ſcalpro quadratarii derivarit. Ut ut ea de re ſtatuetur; haec praefari duxi neceſſarium, ne quis imparatus, miratuſque diverſam ſcripturae rationem, in ipſo, uti dici ſolet, veſtibulo inſcriptionis offenderet.*

S E G M E N T V M I.

Ἐπιστολὴ γραφεῖσα τῇ πόλει τυρίων τῆς ἱερᾶς καὶ ἀσύλȣ καὶ
αὐτονόμου μητροπόλεως φοινείκης, καὶ ἄλλων πόλεων καὶ
ναυαρχίδος ἄρχȣσι βουλῇ δήμῳ καὶ τῆς τυρίας πατρίδος
οἱ ἐν ποτιόλοις κατοικȣντες.

ΧΑΙΡΕ
ΔΙΑ ΤΟΥΣ ΘΕΟΥΣ ΚΑΙ ΤΗΝ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΗΜΩΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΤΥΧΗΝ
ΕΙ ΚΑΙ ΤΙΣ ΑΛΛΗ ΣΤΑΤΙΩΝ ΕΣΤΙΝ. ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ ΟΣΟΙ ΟΙ ΠΛΕΙΟΥΣ
ΥΜΩΝ ΙΣΑΣΑΙ ΚΑΙ ΗΜΕΤΕΡΑ ΕΣΤΙ ΚΑΙ ΚΟΣΜΩ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ ΤΩΝ ΑΛ
ΛΩΝ ΔΙΑΦΕΡΟΥΣΑ ΤΑΥΤΗΣ ΠΑΛΑΙ ΜΕΝ ΕΠΕΜΕΛΟΥΝΤΟ ΟΙ ΕΝ ΠΟΤΙΟ
ΛΟΙΣ ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΕΣ ΝΥΝ ΔΕ ΟΛΙΓΟΥΣ ΗΜΑΣ ΠΕΡΙΕΣΤΗΤΟ ΑΡΙΘΜΟΝ
ΚΑΙ ΑΝΑΛΙΣΚΟΝΤΕΣ ΕΙΣ ΘΥΣΙΑΣ ΚΑΙ ΘΡΗΣΚΕΙΑΣ ΤΩΝ ΠΑΤΡΙΩΝ ΗΜΩΝ
ΘΕΩΝ ΕΝΘΑΔΕ ΑΦΩΣΙΩΜΕΝΩΝ ΕΝ ΝΑΟΙΣ ΟΥΚ ΕΥΤΟΝΟΥΜΕΝ ΤΟΝ
ΜΙΣΘΟΝ ΤΗΣ ΣΤΑΤΙΩΝΟΣ ΠΑΡΕΧΕΙΝ ΚΑΤ ΕΤΟΣ CKN. ΜΑΛΙΣΤΑ ΚΑΙ
ΤΑ ΑΝΑΛΩΜΑΤΑ ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΓΩΝΑ ΤΟΝ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ ΤΗΣ ΒΟΥΘΥ
ΣΙΑΣ ΗΜΙΝ ΠΡΟΣΕΤΕΘΗ ΔΕΟΜΕΘΑ ΟΥΝ ΠΡΟΝΟΗΣΑΙ ΥΜΑΣ ΤΟΥ ΔΙΑ
ΜΕΝΕΙΝ ΑΕΙ ΤΗΝ ΣΤΑΤΙΩΝΑ ΔΙΑΜΕΝΕΙ ΔΕ ΕΑΝ ΠΡΟΝΟΙΑΝ ΤΩΝ ΚΑΤ
ΕΤΟΣ ΔΙΔΟΜΕΝΩΝ ΕΙΣ ΤΗΝ ΜΙΣΘΩΣΙΝ ΠΟΙΗΣΑΣΘΕ KCN ΤΑ ΓΑΡ ΕΡΓΑ
ΑΝΑΛΩΜΑΤΑ ΚΑΙ ΤΑ ΓΙΝΟΜΕΝΑ ΕΙΣ ΕΠΙΣΚΕΥΗΝ ΤΗΣ ΣΤΑΤΙΩΝΟΣ
ΙΕΡΑΣ ΗΜΕΡΑΣ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΣΥΜΠΕΣΟΥΣΗΣ ΕΑΥΤΟΙΣ
ΕΛΟΓΙΣΑΜΕΘΑ ΙΝΑ ΜΗ ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ ΒΑΡΩΜΕΝ ΥΠΟΜΝΙΣΚΟΜΕΝ ΔΕ
ΥΜΑΣ ΟΤΙ ΟΥΔΕΜΙΑ ΠΡΟΣΟΔΟΣ ΓΕΙΝΕΤΑΙ ΟΥΤΕ ΠΑΡΑ ΝΑΥΚΛΗΡΩΝ

ΟΥΤΕ

ΟΥΤΕ ΠΑΡΑ ΕΜΠΟΡΩΝ ΤΗΣ ΕΝΘΑΔΕ ΣΤΑΤΙΩΝΟΣ ΩΣ ΕΝ ΤΗ ΒΑΣΙΛΙΔΙ ΡΩΜΗ ΠΑΡΑΚΑΛΟΥΜΕΝ ΟΥΝ ΚΑΙ ΔΕΟΜΕΘΑ ΥΜΩΝ ΤΗΣ ΤΥΧΗΣ ΦΡΟΝΤΙΣΑΣΘΑΙ ΤΟΥ ΠΡΑΓΜΑΤΟΣ ΕΦΑΦΗ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ ΠΡΟ. Ι. ΚΑΛΑΝΔΩΝ ΑΥΓΟΥΣΤΩΝ ΓΑΛΛΙΩ ΚΑΙ ΦΛΑΚΚΩ ΚΟΡΝΗΛΙΑΝΩ ΥΠΑΤΟΙΝ.

Ἐπιστολὴ γραφεῖσα τῇ Πόλει Τυρίων·

Τῆς ἱερᾶς, καὶ ἀσύλου, καὶ αὐτονόμου, μητροπόλεως Φοινίκης, καὶ ἄλλων πόλεων, καὶ ναυαρχίδος,

Ἄρχουσι, Βουλῇ, καὶ Δήμῳ τῆς Τυρίας πατρίδος,

Οἱ ἐν Ποτιόλοις κατοικοῦντες,

χαίρειν.

Διὰ τοὺς Θεοὺς, καὶ τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Αὐτοκράτορος Τύχην, εἰ καί τις ἄλλη στατίων ἐστιν ἐν Ποτιόλοις, ὅσοι οἱ πλείους ὑμῶν ἴσασι, καὶ ἡμετέρα ἐστὶ, καὶ κόσμῳ καὶ μεγέθει τῶν ἄλλων διαφέρουσα· ταύτης πάλαι μὲν ἐπεμελοῦντο οἱ ἐν Ποτιόλοις κατοικοῦντες· νῦν δ᾽ ἐς ὀλίγους ἡμᾶς περιέστη τὸν ἄριθμον. Καὶ ἀναλίσκοντες εἰς θυσίας, καὶ θρησκείας τῶν πατρίων ἡμῶν Θεῶν, ἐνθάδε ἀφωσιωμένων ἐν ναοῖς, οὐκ εὐτονοῦμεν τὸν μισθὸν τῆς στατίωνος παρέχειν κατ᾽ ἔτος ΚϹ. Ν. μάλιστα ὅτι τὰ ἀναλώ-

ματα

Epiſtola ſcripta Urbi Tyriorum.

Sacrae & inviolabilis & liberae metropolis Phoenices, aliarumque urbium, & claſſi-potentis,

Archontibus, Senatui, Populoque Tyriae patriae,

Puteolani Stationarii,

Salutem.

Diis ac Genio Domini noſtri Imperatoris bene juvantibus, ſi qua alia ſtatio Puteolis eſt, quae ceteris ſplendore & magnitudine praeſtet; profecto (nam complures veſtrum norunt) ea noſtra eſt. Et hanc quidem olim tuebantur Puteolani Stationarii; at nunc ad paucos nos redacta numero eſt. Nos vero erogationibus in ſacrificia, atque in feſtas celebritates Deorum patriae noſtrae, hic in templis dedicatorum, exhauſti, pendendo ſtationis annuo ſtipendio CCXX. N. non ſuffi-

cimus;

ματα εἰς τὸν ἀγῶνα τὸν ἐν Ποτιόλοις τῆς Βουθυσίας ἡμῖν προσετέθη. Δεόμεθα οὖν προνοῆσαι ὑμᾶς διαμένειν ἀεὶ στατίωνα· διαμενεῖ δὲ, ἐὰν πρόνοιαν τῶν κατ' ἔτος διδομένων εἰς τὴν μίσθωσιν ποιήσησθε K̄C̄. N. Τὰ γὰρ ἔργα, ἀναλώματα, καὶ τὰ γεινόμενα εἰς ἐπισκευὴν τῆς στατίωνος, ἱερᾶς ἡμέρας τοῦ Κυρίου Αὐτοκράτορος συμπεσούσης, αὐτοὶ ἐλογισάμεθα, ἵνα μὴ τὴν πόλιν βαρῶμεν. Ὑπομιμνήσκομεν δὲ ὑμᾶς, ὅτι οὐδεμία πρόσοδος γείνεται οὔτε παρὰ ναυκλήρων, οὔτε παρὰ ἐμπόρων τῆς ἐνθάδε στατίωνος, ὡς ἐν τῇ βασιλίδι Ῥώμῃ. Παρακαλοῦμεν οὖν, καὶ δεόμεθα ὑμῶν τῆς τύχης, φροντίσασθαι τοῦ πράγματος. Ἐγράφη ἐν Ποτιόλοις πρὸ Ī. καλανδῶν Αὐγούστων, Γαλλίῳ, καὶ Φλάκκῳ Κορνηλιανῷ ὑπάτοιν.

cimus; magis id adeo, quod impenſae ad Buthyſiae certamen Puteolis, nobis inſuper imperatae ſunt. Quamobrem rogamus vos, uti de ſtabilienda in poſterum Statione provideatis. Stabilietur autem, ſi rationem conficiendi annui ſtipendii C̄C̄X̄X̄. N. iniveritis. Nam quoad opera, ſumptus, quaeque ad ornatum ſtationis, recurrente die Domini Imperatoris, paranda ſunt; ea rationibus noſtris, ne oneri eſſemus urbi, imputavimus. Cogitationi porro veſtrae ſubjicimus, nullum nobis reditum neque a naviculariis neque a mercatoribus Stationis hujus, quemadmodum Romae in urbe Auguſta, contingere. Obteſtamur igitur, ac fortunam veſtram deprecamur, ut accurate de re praeſenti deliberetis. Scriptum Puteolis Ante D.X.Kal. Aug. Gallio & Flacco Corneliano Coſſ.

§. I.

In Epiſtolam Tyriorum Puteolis conſiſtentium, animadverſiones.

De duplici epiſtolarum inſcriptione. Πτύχη, involucrum Epiſtolae. Titulus Ναυαρχίδος, *ab Imperatoribus aliquando urbibus conceſſus, non maris imperium, ſed poteſtatem aedificandae claſſis, notabat.* Archontes *Coloniae Tyri. Diphthongi* AI, OI, *interdum correptae. Inſcriptio vetus illuſtratur. Orientales antiquum ſalutationum ordinem invertiſſe deprehenduntur. Inſcriptio inedita producitur.* Fratres, *quos Puteolis reperit Paulus, alios fuiſſe a Tyriis Stationariis oſtenditur. Notas numerales* $\overline{KC}$. $\overline{N}$, *&* $\overline{CK}$. $\overline{N}$, *eamdem ſummam conficere. Tyrios Stationarios pependiſſe Puteolanis* Μετοίκιον, *ſive* mercedem Inquilinatus.

VErſ. 1. Ἐπιστολὴ γραφεῖσα τῇ Πόλει Τυρίων] Primus Interpres corrigit Τύρου, ſcilicet ut fulcrum paret, cui adjuncta ſequentia ἱερᾶς, ἀσύλου &c., innitantur. Sed neceſſe non erat: haec enim adjuncta, ut in loco dicam, habent ſuum, cui innituntur, adminiculum. Ceterum recte habet Πόλει Τυρίων, *urbi Tyriorum*, cui ſcilicet inſcripta epiſtola erat. Quem perbrevem titulum exterior epiſtolae obſignatae facies palam praeſeferebat. Plutarchus laudaturus Athenienſes a modeſtia, inquit in Polit. praec. p. 799. Edit. Franc. eos belli tempore miſſam a Philippo (ἐπιστολὴν ἐπιγεγραμμένην ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ) *epiſtolam inſcriptam OLYMPIADI* intercepiſſe, eamque ſolvere noluiſſe, eo quod indignum ducerent, mariti miſſam uxori ſalutationem patefieri. Athenienſes autem non aliunde norant, epiſtolam mitti *Olympiadi*, niſi ex voce ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ, quam inſcriptam in extimo cortice gerebat epiſtola. Ut enim hodie, ſic olim factitatum mihi perſuadeo, ut epiſtolae duplici titulo inſtruerentur, interiore uno, exteriore altero. Enimvero ut litterae curioſorum obtutibus ſubtraherentur, neceſſe fuit, ut involucro aliquo (Italice *Sopraſcritta*) circumdatae obligarentur: quod involucrum eo quod plicando replicandoque confiebat, a verbo Πτύσσω, *plico*, conſueto rei epiſtolaris (3) vo-

(3) Sane τὸ Πτύσσω (*plico*) ab ultima antiquitate prope dedicatum fuit notandae litterarum plicaturae. Ab Homero Iliad. Z. 168. Πίναξ πτυκτὸς dicitur *Epiſtola*, quam Proetus Bellorophonti tradidit, perferendam Re-

vocabulo, dictum fortaſſe fuit Πτύχη q. d. *plicatura* (4). Hinc neceſſitas expreſſit, ut praeter interiorem eamque familiarem epiſtolae inſcriptionem, altera (quae tabellarios de perſona, cui litterae perferendae erant, erudiebat) Πτύχῃ, ſeu exteriori plicaturae, mandaretur. Ad hanc alteram refer Puteolani marmoris verba: Πόλει Τυρίων· nam illa quae praecedunt, Ἐπιστολὴ γραφεῖσα, *epiſtola ſcripta*, ſunt e ſedulitate ſcalptoris, in anteceſſum docentis, quo tertius caſus Πόλει, pertineret.

Verſ. 2. Τῆς ἱερᾶς καὶ ἀσύλου] Hinc incipit Epiſtolae titulus interior, cum longo elogiorum ſyrmate, ἱερᾶς, καὶ αὐτονόμου, καὶ μητροπόλεως . . . καὶ ναυαρχίδος. Haec autem elogia connectenda ſunt cum Τυρίας Πατρίδος. Sic enim Tyrus in nummis ſalutatur. Duo priora elogia ἱερᾶς καὶ ἀσύλου, quippe quae cum millenis aliis urbibus communia ſunt, intacta relinquo, contentus amandaſſe lectorem

N n 2 ad

Regi Lyciae. Vulgo redditur *plicatilis tabula;* quae verſio eatenus ferenda, quatenus intelligatur, non ipſam tabulam fuiſſe *plicatilem*, quaſi rigida materies obſequi plicanti manui quiverit; ſed utique eo πυκτὴ dicta ſit tabula (Ital. *tavola involtata*) quia πτύχῃ (*plicatura*) ſive loro ſive quo alio modo munita erat, ne Bellorophon laturus epiſtolam ſibi pernicioſam, re comperta, alio fugiens Proeti dolos eluſiſſet. Porro ex eo, quod Epiſtolae, ubi replictae erant, in tuto poſitae crederentur; hinc factum reor, ut πτύσσω reddatur Suidae ἀσφαλίζω, *in tuto pono*. Hanc interpretationem ſuſpectam habet Kuſterus. Atqui ſi hic advertiſſet, τὸ πτύσσω praeſertim uſurpari de *plicatura*, qua *pugillarium ſecuritati* conſulebatur; facile convenientiam utriuſque vocabuli deprehendiſſet. Ceterum Suidas in v. Πυκτίον idem plane repetit: ubi Πυκτίζω ab eo redditur ἀσφαλίζεσθαι, καὶ συγκλείεσθαι, *in tuto ponere & claudere*.

(4) Scholiaſtes Apollonii Argon. v. 1089. Πτύχη (inquit) λέγεται, ὅπου τὸ τῆς νεὼς ἐπιγράφεται ὄνομα· Ptyche *dicitur*, *ubi nomen navis inſcribitur*. Eadem tradidit Pollux, & Euſtathius. At cur navis *titulus* appellatus eſt Πτύχη, *plicatura?* Nimirum quia exterior epiſtolae replictae, cui ex vero vox πτύχη competebat, facies, praeferebat nomen ejus, cui perferenda erat; hinc ducta ſimilitudine quaecumque ſchedae perbreve lemma, ſive titulum conciſis verbis conceptum, in fronte gerebant; eas placuit veteribus πτύχας ſeu πτύχια appellare. Itaque Πτύχη νεώς, ſcheda ſive brevis tabula erat, in qua nomen navis inſcribebatur; ideo ſic dicta, quia titulum *complicatae* epiſtolae referebat. Hinc Heſychio Τίτλος redditur Πτυχίον. Zenobius Cent. V. Prov. 82. prodidit e Phidiae ſimulacro Nemeſis Rhamnuſiae pependiſſe Πτυχίον τι μικρὸν τὴν ἐπιγραφὴν ἔχον &c., *Schedulam perbrevem cum inſcriptione: Agoracritus Parius fecit*. Ejuſdem notionis atque originis eſt *Pittacium*. Petronius cap. 34. *Allatae ſunt amphorae. . . . quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo: Falernum* &c.

ad Spanhemium in de V. & P. Numiſ. Diſſert. IX. Nam quae propius politicum Tyri ſtatum contingunt, perſequar.

Α'υτονόμου] Strabo p. XVI. 757. de Tyriis: Ο'υχ ὑπὸ τῶν βασιλέων δ' ἐκρίθησαν αὐτόνομοι μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ Ρ'ωμαίων. *Non ſolum a Regibus, ſed a Romanis etiam decreti ſunt liberi.* Μητροπόλεως Φοινίκης] Strabo eodem libro pag. 756. controverſum ſua aetate fuiſſe innuit, Tyrus an Sidon Phoenicum metropolis habenda eſſet. Quae quaeſtio Imperiali judicio profligata videtur, causâ Tyro adjudicata. Nam Suidas in v. Παῦλος Τύριος prodidit quemdam Rhetorem Paulum, ὃς ἐπὶ Α'δριανοῦ τοῦ βασιλέως πρεσβεύσας, Μητρόπολιν τὴν Τύρον ἐποίησε, *qui legatus miſſus ad Imp. Hadrianum, ab eo conſecutus fuit, ut Tyrus renuntiaretur Metropolis.* Ab Severo Imp. Colonia juris Italici facta fuit, Ulpiano teſte in L. 1. D. de Cenſibus; vel ſic tamen *Metropolis* titulum non depoſuit. Apud nuperum numiſmatum collectorem Cl. Pellerenium in fronte tomi ſecundi edit. Pariſiis an. 1763. exſtat nummus cum hac epigraphe: *Plautilla Auguſta Colonia Tyrus Metrop.* Καὶ ἄλλων πολέων] Non ſolum in Phoenices populos jus metropoliticum exercuit, ſed in colonias, quae plurimae ex urbe Tyro profectae, varias ac diſſitas orbis partes inſederunt. Strabo cit. lib. XVI. p. 756. admonuit, Sidonem quidem magis celebratam eſſe Poëtarum carminibus (5), quam Tyrum; hanc autem prae altera coloniarum deductione magis excellere. Ex Tyriarum coloniarum catalogo expunge Puteolos; quos ſi olim Tyrii condidiſſent, non utique hoc alterum

(5) Strabo lib. XVI. pag. 756. Οἱ μὲν οὖν ποιηταὶ τὴν Σιδόνα τεθρυλλήκασι μᾶλλον. Ὅμηρος δὲ οὐδὲ μέμνηται τῆς Τύρου· *Poëtae quidem magis Sidonem celebrarunt; atque adeo Homerus Tyri non meminit.* Quae verba Geographi non eo uſque trahenda ſunt, quaſi Tyrus Homeri tempore nondum condita fuiſſet. Multo ante Homerum ac diu poſtea, Rex idem & Sidoniis & Tyriis imperabat: poëtae vero magis nomine Sidonis quam Tyri delectati ſunt, utique ob illius majorem & antiquitatem & celebritatem. Enimvero Dido dicitur Virgilio *Sidonia*, etſi orta Tyriis regibus, Tyroque ſolverit aedificatura Carthaginem. Sed rem plane conficit Sacrae Scripturae auctoritas. Salomon ſic Hiramum Tyri regem alloquitur III. Reg. V. 5. 6. *Praecipe . . . ut praecidant mihi ſervi tui cedros de Libano. . . . ſcis enim quomodo non eſt in populo meo vir, qui noverit ligna caedere, ſicut Sidonii.* En *Sidonii* renuntiantur ſervi Hirami, qui *Tyriis* quoque praeerat. Quamobrem quotieſcumque Homerus Sidonios ab artificio laudat, Tyrii quoque (qui ſimul cum Sidoniis uni regi parebant) in partem laudis vocandi ſunt; vel eo praeſertim, quod Tyrii ἀνέκαθεν (*ab origine*) Sidonii fuerant.

terum de Stationis in urbe Puteolis tuendae neceſſitate argumentum, Tyrii Stationarii Tyro Metropoli ſubjicere neglexiſſent. Να-υαρχίδος] In quo titulo Tyrus rivalem habuit Sidonem, & Doram, quae duo pariter ναυαρχίδες in nummis renuntiantur; tres nimirum urbes in Phoenice, uno eodemque titulo inſignitae, adhaec & eodem tempore. Id quod abſonum Vaillantio viſum fuit, cui propterea placuit, urbes haſce eam ναυαρχίδος nomenclationem titulo tenus ab Imperatoribus impetraſſe: quod non probo. Profecto ſi ναυαρχία harum urbium ejuſdem fuiſſet momenti, ac potentiſſimum illud imperium Lydorum, Pelaſgorum, Thracum, Rhodiorum, Phrygum, Phoenicum, Carthaginenſium, quos θαλαττοκρατοῦντας, *mari-potentes*, numerat Euſebii Chronicon; recte dubitaſſet Vaillantius, duas treſve urbes uno tempore mari imperitare potuiſſe. At ναυαρχία horum temporum non donabat imperium maris in provincia, ſed utique notabat, huic aut illi urbi licuiſſe claſſem inſtructam habere. Quemadmodum & ipſum arrogans τοῦ θαλαττοκρατεῖν verbum (ut Caſaubonus in Comment. ad Polyb. p. 197. docuit) *non ſemper de imperio maritimo eſt accipiendum: interdum de eo dicitur . . . . qui copiis navalibus fuerit inſtructior, aut qui in proximo ſibi mari impune vagatur ſine metu potentioris*. Itaque ναυαρχία Tyri, Sidonis ac Dorae in una Phoenices regione, recte ſimul componi poteſt, modo ſtatuatur, ſingulas ſua claſſe inſtructas fuiſſe, & mari quamque ſuo imperitaſſe: ſed ut hoc ipſum ſibi liceret, id ab Imperatoribus impetratum oportuit. Magni certe intererat pernoſcere, eccui jus parandae claſſis deferretur. Serio id quidem adverterunt Romani, qui Carthaginenſibus atque Antiocho pacem petentibus, hanc inter primas foederis legem ſcripſerunt, ut tot nec amplius naves aedificarent: ſcilicet ne majore ſibi comparata claſſe, ad reintegrandum bellum excitarentur.

Verſ. 3. Ἄρχουσι] Primus Interpres corrigens Ἀρχούσης, neſcio quid humanitus paſſus fuiſſe videtur. Quemadmodum Romae Conſules, ſic ſummi in urbibus Graece-loquentibus magiſtratus communi *Archontum* vocabulo veniebant; imitatione fortaſſe Athenienſium, quibus is magiſtratus peculiaris erat. Vaillantius copioſum urbium in quarum nummis mentio fit *Archontum*, texuit; ac Reineſius Cl. VI. 70. contendit in titulis Graecis Municipiorum ac Coloniarum Rom. *Archontes* deſignari eos, quos Latini vocabant *II. viros* aut *IV. viros*. Ipſe quoque Reineſius ex hoc marmore Puteolano *Archontas* exſculpſit, ſed in eo fallitur, quod Puteolorum, non Tyri, Archontas hiſce litteris aditos a ſtationariis fuiſſe autumarit. Tyri vero ci-

civitatem, atque adeo Archontes, eoſque, qui Tyri civitatem repraeſentabant, communicipes Stationarii, ut epiſtolam legenti patet, alloquuntur. Ac Tyrus quidem, quamdiu in ſermone Phoenicio perſeveravit, vix eſt ut dubitem, quin praetores ſuos appellarit *Suffetes*; quod hinc fit veriſimile, quod Carthaginenſes, qui origine Tyrii fuerunt, ſic ſummum magiſtratum vocaſſe, Livius lib. VIII. 38. memoriae prodidit: At vero, ubi ſermonem Graecum adoptavit; quo alio niſi *Archontum* vocabulo, quo pleraeque Graeci oris civitates uti aſſueverant, ſummum magriſtratum vocaſſet? Jamvero Tyrus eo tempore facta Romana colonia fuerat. Coloniae autem ſic rempubl. ſuam gerebant, ut, quoad ejus fieri poterat, ad formam Reip. Romanae accederent. Inde fit, ut, quemadmodum apud Romanos mos erat, ſi quid universae civitati ſignificatum vellent, inſcribere in commune Epiſtolas, *Conſulibus*, *Senatui*, *Populoque Rom*. ſic Tyrii Stationarii ſalutem dicant Ἄρχουσι, Βουλῇ, καὶ Δήμῳ &c. *Archontibus* (qui in Coloniis Rom. reſpondent *II. viris*) *Senatui*, *Populoque* Tyriae patriae.

Ibid. Δήμῳ καὶ] Leviſſima tranſpoſitione refinxi, καὶ Δήμῳ. Ceterum ferri fortaſſe poſſet, Δήμω και, ſi oſtendi liquido daretur, particulam KAI interdum loco encliticae Graecorum TE, aut Latinorum QVE uſurpatam fuiſſe. Sed nolo lectorem grammaticis ſenticetis obſepire. Qui volet inferne (6) adnotata legat.

Ibid.

(6) Particulam Και interdum loco encliticae τε fuiſſe poſitam, uſus particulae QVE itidem encliticae, ſuadere poteſt. Itaque ſi Latini *Que* ex Graeco Και, ut inter etymologos convenit, arceſſiverunt; prope verum eſt, id eos feciſſe imitatione Graecorum. Nec illud officit, quod Latini ſecus ac Graeci, raptim eam particulam extulerint; nullus enim dubito, quin eam Graeci quoque aliquando corripuerint. Philippus d'Orvilius in Charitone pag. 724. ubicumque apud poëtam Manethonem diphthongum αι correptam videt, corruptos codices continuo queritur; hoc eſt, critica licentia in MS. codices debacchatur. Diphthongi enim OI & AI, quemadmodum in ratione accentuum breves reputantur, ſic in ratione quantitatis, ut re ipſa breves, aliquando numeratas comperio. In Grutero p. DCCCII. 1. ubi nunc legitur in pentametro ΗΣ ΜΕΜΕΡΙΣΤΟ ΒΡΕΦΟΣ, animadvertit Scaliger, in marmore ſcalptum fuiſſe ΜΕΜΕΡΙΣΤΑΙ. Apud Cl. V. Benedictum Paſſionei Inſcript. Cl. XIV. 17. elegantiſſimum exſtat epigramma, ubi Βροτοὶ & Πλῆσαι ultimam corripiunt:

Πατρίδος ἐκ Σμύρνης βροτοὶ μ' Εὐθάλεα καλέεσκον,
  Εἵνεκ' ἐμῆς ὥρης, καὶ μεγέθους ἐρατοῦ.
Ἀλλά με Μοῖρ' ὀλοὴ, πρὶν ἰούλοις πλῆσαι παρειὰς,
  Ἥρπασε πὰρ φιλίων, οὓς τοκέας ἐκάλουν.

Quae Latine ſic habe:

Smyr-

Ibid. Τῆς Τυρίας πατρίδος] Potuiſſent Stationarii brevius inſcribere Τύρου, ſed illud alterum maluerunt, uti oſtenderent, non minus ſe, quam eos quos alloquebantur, participes eſſe ejuſdem civitatis. Porro cum τῷ Τυρίας πατρίδος connecte omnia epitheta illa honorifica Ἱερᾶς, ἀσύλου ναυαρχίδος &c. Profecto mos olim, hodieque obtinet, praemittere honorum titulos, veluti quoſdam ad ornandam viam lictores, tum poſtremo nomen ejus quem ornatum volumus, adſcribere.

Verſ. 4. Οἱ ἐν Ποτιόλοις κατοικοῦντες] Ad verbum: *Qui Puteolis conſiſtunt*, praeeunte lapide apud Reineſium Cl. X. 5. ubi: *Hieropolitani, Berytenſes, qui Puteolis conſiſtunt*. Sed enim compendii cauſa, malui vertere, *Puteolani Stationarii*, quemadmodum ipſi in hac eadem inſcriptione prope finem, vocantur. Hoc leve eſt: at quis, rogo, Stationariis noſtris praeluſit, ut contra Graecorum Latinorumque conſuetudinem, ſe ultimo loco ſubſcriberent? Nonne oportuit, ut ipſi in fronte Epiſtolae, oculatiſſimo ſcilicet loco, tum deinde ii, ad quos litterae dabantur, pro more ſiſterentur? Equidem quis primus ſalutationis ordinem innovarit, Graecus an Latinus; nihil habeo explorate dicere: niſi quod mihi magis placeret, hoc fenum in cornu appingere Orientalium, quorum indoles apta ſervitio, illiberales in obſervando colendoque geſticulationes affectare conſuevit (7).

Verſ.

Smyrna mihi patria: ob ſpeciem molemque venuſtam,
Cognomen vulgus mî indidit Euthaleos.
At me a caris, quos patrem matremque ciebam,
Sors impuberem adhuc exitioſa tulit.

Nihilo minus Latini in bivocalibus ſuis licere ſibi judicarunt. Vide hendecaſyllabum verſum apud Fabrettum Inſcript. cap. X. p. 732.

Hae ſunt parvae meae tuaeque ſedes.
ubi ultima in *Parvae* corripitur. Pluribus abſtineo: ſed ex iis quae protuli, evincitur Graecos a corripiendis diphthongis minime abhorruiſſe: eos autem tantumdem licentiae in particula Καὶ exercuiſſe, quis praefracte negaverit? Sed quid ultra tricamur? Ex verſu oraculi illius (ſi modo proba ea lectio eſt) quod producitur ab Euſebio Pr. Ev. V. 36.

Ἀλλὰ καὶ Μηθύμνης ναέταις πολυλωΐον ἔσται
liquido oſtenditur, particulam Και interdum loco encliticae τε fuiſſe uſurpatam. Quae cum ita ſint, illud Δημω και Puteolanae inſcriptionis conſulte pro Δημω τε ſcalptum contenderem, niſi alia marmoris errata arguerent, ſcalptorem non raro dormitaſſe; ſic ut pro Καὶ Δήμῳ, ipſe, animo ſcilicet peregrinante, exararit Δημω και.

(7) Notae ſunt veterum Epiſtolarum epigraphae: Πλάτων Διονυσίῳ, *Cicero Caeſari Imp.* Quis autem inno-

Verſ. 5. ΧΑΙΡΕ] Hinc inſcriptio majuſculo charactere incipit decurrere, eam fortaſſe ob cauſam (uti ſupra pag. 278. conjeci) quod cum exinde marmor, utpote vetuſtate, vel alia calamitate detritum, incertae lectionis eſſet; maluerit deſcriptor, per veſtigia ſulcorum incedere, quam ſupplendo ea, quae evanuerant, agere criticum. Ac profecto haec prima vox ΧΑΙΡΕ, pro conſueto ΧΑΙΡΕΙΝ, ſignificat, marmor non integrum ea parte fuiſſe.

Verſ. 6. ΔΙΑ ΤΟΥΣ ΘΕΟΥΣ &c.] Non obteſtatio eſt (alioquin Ναὶ μὰ τοὺς θεοὺς, ναὶ πρὸς τῶν θεῶν dictum oportuiſſet, ut in obteſtandi formula ſolens Graecia fecit), ſed grata eorum, quorum be-

novandae ſalutationi viam ſtraverit, definire certo non auſim. Elias Vinetus ad Auſonii Epiſtolam XX. has veluti primitias attulit: *Imp. Domitiano Caeſari Aug. Germanico, Dacico, Valerius Martialis ſalutem*: quae eſt inſcriptio libri VIII. Epigrammatum. Atqui poëta Bilbilitanus non uſui novo moribus recepto ſeſe accommodavit, ſed utique ſervivit auribus Domitiani, ſub cujus ſuperbiſſimo imperio, quemadmodum recte vivere, ſic graviter ſcribere, periculoſum fuit. Nam Plinius Martiale poſterior, vel cum Trajano ſcriberet, ab inſtituto non receſſit: *Plinius Trajano*. Praeterea Auſonius, qui IV. ſaeculo Ch. floruit, ſcripturus Paullino epiſtolam, cum lege metri cogeretur, ut hujus nomen ſuo praemitteret, protinus excuſationem adnectit Epiſt. 20.

Paullino Auſonius. Metrum ſic ſuaſit, ut eſſes
Tu prior, & nomen praegredere meum.

Quid ergo fiet Tyriis Stationariis, qui tot annis Auſonio vetuſtiores ſalutationis ordinem invertiſſe deprehenduntur? Equidem ſic ſtatuo: Latinos homines, Romanae dignitatis heredes, diutius in loco ſe ſuo continuiſſe; Graeculos vero, quorum ingeniis, ut nihil ventoſius, ſic nihil abjectius erat, citius morem inſcribendi epiſtolas innovaſſe, ut hoc recenti adulationis artificio benevolentiam ſibi conciliarent. Hoc mihi quidem videtur veroſimile; vel ſic tamen non repugnaverim, ſi quis abſoluta Graecia, reos egerit Orientales. Sane in fronte ſecundi libri Machabaici exſtat epiſtola, quam Judaei Hieroſolymitani Judaeis Aegyptienſibus ſcripſerunt; ſed illi e via decedentes principem locum Aegyptienſibus honoris, puto, cauſâ detulerunt. Stationarii quoque noſtri, de quibus loquimur, Phoenices erant; adhaec ad Phoeniciae metropolim ſcribebant epiſtolam; qui quidem cum inter primos in Occidente inſcriptiones epiſtolarum invertiſſe comperiantur, videntur patrium ritum fuiſſe ſecuti. Quae conjectura ſi arriſerit, tum illud ſtatui poteſt, Graecos acceptam ab Orientalibus novam ſalutandi conſuetudinem, ſero tandem cum Latinis communicaſſe: qui mos hodieque obtinet, niſi quod hoc amplius citima aetas excogitavit, ut ni quis ſervitutem ſuam ultro denuntiet, ſeque in extrema paginae lacinia ſubſcribat, a rituali obſequio aberraſſe putetur.

beneficio conſervata Statio creverat, commemoratio. Id nimirum valet, Διὰ τοὺς θεοὺς, *auxilio Deorum*. Τύχην interpretatus ſum *Genium*, ſecutus in hoc Tertullianum, qui Apolog. 32. docet, licuiſſe Chriſtianis *Per Salutem Caeſaris* jurare, non item *Per Genium*. Utrumque expreſſit Dio Caſſius, cum lib. XLIV. 50. inquit, Senatores adjurare conſueviſſe, Caeſaris τήν τε ὑγείαν, τήν τε τύχην, *Salutem & Genium*. Exſtat titulus apud Gruterum pag. 590. 2. *Deis ac Genio Rhodonis* poſitus.

Verſ. 7. ΕΙ ΚΑΙ ΤΙΣ ΑΛΛΗ ΣΤΑΤΙΩΝ ΕΣΤΙΝ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ] Stationarii, quos Lex 6. C. de Dignit. jungit cum negotiatoribus, erant ii, qui alicubi conſiſtebant, mercium vertendarum cauſa. Magna horum hominum copia, & quidem ex variis Orbis Rom. partibus collectorum, Puteolis celeberrimo in emporio conſiſtebat, ut ipſi tamquam negotiorum geſtores, huc immiſſas ſuae quiſque patriae merces curarent. *Tyrios* in hac urbe habes ex noſtra inſcriptione: ſed & de *Hieropolitanis* (8) quoque & *Berytenſibus*, teſtatur epigraphe apud Reineſium Cl. X. 5. Praeterea vix eſt, ut de ſtatione *Alexandrinorum* dubites; hos autem copioſe hîc negotiatos, Suetonius Aug. cap. 98. innuit. Ad ſummam nulla ferme natio earum, quae commerciis agitandis vacabant, fuit, quin ſuam ſibi privatim ſtationem in hac opportuniſſima ex Aſia & Africa in Italiam ſolventibus, urbe compararit. Id me docuit perbrevis quidem inſcriptio, ſed illuſtrando huic loco cum primis neceſſaria:

L. CALPVRNIO L. F. C. CALPVRNIO L. F.
CAPITOLINO
MERCATORES QVI ALEXANDR · ASIAI SYRIAI NEGOTIANT · · *ur*

Exſtat id marmor affixum parieti privatae domus ſecus viam, quae orientale latus aedium Seminarii Puteolani radens, ad mare ducit; editumque fuit a Maffejo *Muſ. Ver.* pag. 478. 5. ſed non obſervato verſuum ordine. *Calpurnios Capitolinos* vel Duumviros Coloniae Puteolanae, vel mercatorum Patronos in hac urbe fuiſſe, cenſeo: nam per marmor id liquido ſcire non licet; quamvis ſatis vacui ſpatii a parte dextera ſuperſit, integri quidem, nec ullis litterarum ſulcis proſciſſi. Hiſce Duumviris honor tituli marmorei defertur communi nomine mercatorum Alexandrinorum, Aſianorum ac Syrorum, nec alibi certe niſi

(8) Primus Interpres plus vice ſimplici pro *Hieropolitanis*, memoria fallente, pag. 344. p. 349. p. 351. *Heliopolitanos* ſuppoſuit. Sed hujuſmodi naevis offendi non patiar.

Puteolis , ubi proſtat inſcriptio , & quo tempeſtate illa peregrinas merces deduci mos erat . Itaque illud *Alexandriae*, *Aſiae*, *Syriae negotiantur*, vel de Stationariis interpretare, qui *Alexandriae*, *Aſiae* &c. negotia, hoc eſt merces (9), Puteolis *negotiabantur* ; vel ſic ſtatue, titulum marmoreum a negotiatoribus quidem Aſiae, Alexandriae &c. decretum fuiſſe ; ſed per Stationarios ſuos , veluti vicarios & ſuae voluntatis interpretes , Puteolis, ubi illorum merces venales exponebantur, dedicatum . Ut ut res eſt, ex hac epigraphe collige, quanta colluvies provincialium hîc fuerit oportet, & quot peregrinorum mercatorum ſtationes, quae Alexandrinis, Aſiaticis, ac Syris abunde ſuffecerint . Ex hujuſmodi autem promiſcua gentium multitudine hoc etiam , puto , emolumenti capiebatur , ut ſi quid Romani vel Provinciales, vellent divulgatum ; ſatis erat, id proponi palam in urbe Puteolis ; hinc enim per negotiatores didita fama, brevi quaquaverſus differebatur . Atque hujus conjecturae illud eſto indicium , quod cum urbes aliquot Aſiaticae immani terrae motu afflictae, ac mox a Tiberio reſtitutae fuiſſent ; atque e re viſum fuiſſet , ejus auguſtae munificentiae memoriam vulgare , ac tradere poſteritati : id monumentum non alibi, niſi Puteolis , veluti in totius orbis theatro, dedicatum, quod hodieque (10) viſitur, fuit .

Verſ. 7. 8. ΙΣΑΣΑΙ] pro Ἵσασι. Littera A tertiae ſyllabae, ſuperefſluit ; uti pariter in ſegmento 3. ΑΝΑΔΕΧΟΝΤΑΙ pro ΑΝ ΔΕΧΟΝΤΑΙ . Ab autographo ne quadratarii , an ab exemplo deſcriptoris, ea menda derivata eſt? Hoc alterum mallem ; nam ſaepe animadverti , caries exeſorum marmorum interdum adeo prodigialiter diſcurrere, ut alicubi ſpeciem alicujus litterae praeter verum oſtentent. Jamvero Graecae linguae ſtudioſi notabunt formulam illam Ὅσοι οἱ πλείους &c. qua ſignificatur , amplitudinem Puteolanae Stationis *tot* Tyriis *innoteſcere* , *quot qui plures* . Paene monuiſſe praeterieram , Scaligerum Can. Iſag. lib. III. pag. 304. legiſſe , Ὅσον οἱ πλείους ὑμῶν ἵσασθε.

Verſ. 8. ΚΟΣΜΩ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ] Smyrna quoque in lapide Oxo-

(9) Quo ſenſu ſubaudias licet hîc *negotia* , aut tale hujuſmodi ; quod ceteroqui in ipſo verbo *negotiari* comprehenſum , ac veluti imbibitum , ſuppleri daretur . Itaque enunciatus *Aſiae* , *Syriae* &c. locus , non is fuerit, ubi merces extrudebantur , ſed utique is, unde eae Puteolos advehebantur.

(10) Egregiam baſim marmoream, Tiberio dicatam , in qua reſtitutas Aſiae civitates , anaglypto opere excuſas , contemplari licet ; primus omnium Ant. Buliſonius vulgavit Neapoli anno 1694. Exinde Fabrettus , Montfauconius, aliique non pauci, doctis animadverſionibus illuſtrarunt .

Oxonienſi pag. 47. prima inter Aſiae civitates praedicatur Κάλλει καὶ μεγέθει, *pulchritudine atque amplitudine*, publicarum ſcilicet ac privatarum aedium. Ad Stationis itaque ὑλικῆς (*materialis*) rationes utrumque elogium pertinet, nam εἰδικὴ (*formalis*) hominum penuria laborabat. Illa vero inde laudari videtur, quod apothecas, privata publicaque aedificia, templa, mercium ac Stationariorum uſibus comparata, explicaret prae ceteris ſtationibus concinniora ac vaſtiora.

Verſ. 10. ΝΥΝ ΔΕ ΟΛΙΓΟΥΣ &c.] Dio Caſſius lib. LVII. 19. de Tiberio: Ἐς πᾶν τοὐναντίον . . . περιέστη, *Ad contraria omnia devenit*. Primus Interpres ſic legit: Νῦν δὲ ὀλίγοι ἡμεῖς περιεστῶτες ἄριθμον. Nimium longe a Gruterianae ſcriptionis veſtigiis.

Verſ. 11. ΘΡΗΣΚΕΙΑΣ] *Feſtas celebritates* (quemadmodum Politianum alicubi vertiſſe, me docuit H. Stephanus in hac voce) potius, quam *Cultum*. Et quidem magis appoſite; hic enim etiam ſine ſumptu poteſt impendi; illae vero non item. Hoc autem loco Stationarii ſuas impenſas exaggerant.

Verſ. 11. 12. ΠΑΤΡΙΩΝ ΘΕΩΝ] h. e. quos Tyrus venerabatur; quemadmodum Πάτριοι θεοὶ, quibus neſcio quid dedicaſſe Dionyſius Berytenſis traditur in quodam lapide Oxonienſi, ſunt ii, quos Berytus obſervabat. Haud multis abhinc annis detecta fuerunt Puteolis, tria ni fallor, ingentia ſaxa, cum inſcriptione: DVSARI SACRVM. Primus autem Interpres ex Phoenicia hujus nominis originatione argumentum capit, Tyrios cultum *Duſaris* invexiſſe Puteolos. Nihil ea opinione incertius. Nam quî Noſter etymologus pernegare poſſet, Duſarem peculiarem potius fuiſſe Berytenſium vel Hieropolitanorum, qui aeque ac Tyrii, e Phoenice profecti, Puteolis conſiſtebant? Profecto haec noſtri Interpretis conjectura ejuſmodi eſt, quam tuto ſequi, ac ſine piaculo repudiare queas. Verum Duſarem ſuum, quantum poteſt, ornaſſet; modo ne filios Dei cum filiis Belial in amicitia ac neceſſitudine junxiſſet. Quid enim? Hos Tyrios Puteolanos, Duſaris obſervantiſſimos, contendit fuiſſe congeneres cum iis, quos Paulus *fratres* ſalutavit Puteolis (Act. XXVIII. 14.) ſicuti illos alios fratres, qui Roma profecti obviam venerunt Apoſtolo ad Appii forum (Act. Ib. 15.) cognatos cum Tyriis Romanienſibus facit, eo praeſertim ductus argumento, quod noſtra inſcriptio Puteolis Romaeque ſtationem Tyriorum ſiſtat: quos Tyrios cum Paulus utrobique ſui ſtudioſos comperiſſet, blande fratres ab eo compellatos opinatur. Enimvero hîc ſilere praeſtitiſſet, niſi facta adverſus Eccleſiam Puteolanam injuria, me ad condolendum excitaſſet. Nam quis rogo Chriſtianus homo

 non

non indoleſceret, cum primitias Chriſtiani gregis in ea urbe feliciſſime collecti, ſpurco Duſari dedicari videat? Fuerint ii fratres Tyrii, Sidonii, Alexandrini, Cibyratae: at unde unde; Chriſti quidem primitivos cultores fuiſſe contendo. Quamquam autem *fratres* paſſim vocarentur ii, qui neceſſitudine, cognationeve ſanguinis, patria, amicitiae, officii, hoſpitii &c. jure, ſe mutuo utcumque contingerent; ego tamen mihi, ac ſibi quivis alius, opinor, religioni ducerem, eos ut ethnicos traducere, quos Ignatius martyr maxime a caritate Chriſtiana commendavit. Hieromartyr enim paullo poſt idem, ac Paulus, relegens iter, eoſdem fratres Puteolis ac Romae deprehendit, ſed Chriſti, non Duſaris, initiatos ſacris. Lege ſis Acta S. Ignatii apud Ruinartum, ac praeſertim, quae §. IV. leguntur, quae hujuſmodi ſunt: Καταρτίσας τοίνυν ὡς ἐβούλετο τοὺς ἐν Ῥώμῃ τῶν ἀδελφῶν ἄκοντας &c. *Poſtquam ergo repugnantes FRATRES, qui ROMAE erant, per epiſtolam, ut voluit, praeparaſſet, e Smyrna ſolvens . . . Troadem appulit. Inde . . . Tyrrhenicum pelagus ingreſſus inſulas & civitates percucurrit, oſtenſiſque Sancto viro PVTEOLIS, ipſe quidem exire geſtiebat, Apoſtoli PAVLI veſtigiis incedere cupiens. Verum ut per vehementem ventum irruentem non licuit, nave e puppi impulſa, laudibus praedicans* (τῶν ἐν ἐκείνῳ τόπῳ τῶν ἀδελφῶν ἀγάπην) *FRATRVM illius loci caritatem, ſic ultra navigavit*. Quam *caritatem* vertimus, Graece dicitur ἀγάπη, quae vox apud rei Chriſtianae Scriptores proprie ſignat convivia, quae Chriſtiani vel ad fovendam ſimul caritatem, ſecum agitabant, vel refocillandis pauperibus parabant. Quamobrem vel ſi cetera deeſſent, hoc unum *agapae*, Paulo per plures dies exhibitae Puteolis, indicium, a Puteolanis fratribus ſuſpicionem ethniciſmi amolitur. Ceterum eccujates revera fuerint ii fratres, ſcire non laboro; quos etiamſi domo Tyrios affirmes, religione tamen Chriſtianos fuiſſe oportet; magis id adeo, quod antequam Paulus in Italiam navigaſſet, jam plurimi Tyriorum Chriſto dederant nomen, Act. XXI. 3. At vero nefas eſt, Chriſtianos renunciari eos, quos falſorum numinum cultu inſaniiſſe, ex noſtra inſcriptione liquet. Itaque horum alterum (quamvis utrumque Noſter Interpres praefracte obſtinateque contendat verum) repudiare oportet: Nam ſi fratres Pauli Puteolanos Tyro arceſſas, ſimul Chriſtianos fateare neceſſe eſt: Si contra Tyrii falſorum Deorum Duſariſque cultores fuiſſe deprehendantur, jam Pauli fratres, quorum *agapen* ſeu Chriſtianam caritatem Ignatius martyr commendavit, eſſe non poſſunt. Utrumque certe conciliari nequit.

Verſ. 12. ΕΝΘΑΔΕ] h. e. in Stationis templis, quae ſarta tecta tue-

tueri, communiter Stationáriorum intererat. Metire hinc μέγεθος, *vaſtitatem* atque amplitudinem Stationis, in qua praeter cetera, templo nec uni locus fuerat. Additur autem ἐν ναοῖς, ſcilicet ad diſcrimen ſimulacrorum, quae in aedibus privatis dedicata, ad rem publicam Stationis minime pertinebant.

Verſ. 13. ΜΙΣΘΟΝ ΤΗΣ ΣΤΑΤΙΩΝΟΣ . . . CKN.] At in eadem Epiſtola v. 17. aliter ſcalpitur: Ἐὰν πρόνοιαν τῶν κατ' ἔτος διδομένων εἰς τὴν μίσθωσιν ποιήσησθε KCN. Sed haec altera ſcriptio recurrit in Segmento 3. Παρέχειν τοῖς ἐν Ποτιόλοις KCN. Corſinus in *Notis Graecorum* (11) τὸ KCN interpretatur Εἰκοστὴν *viceſimam*, ac τὸ CKN διακοσιοστὴν, *Ducenteſimam*; quod vectigal fuerit mercibus Tyriorum impoſitum. At vero utriſque ſiglis in Tyriorum Epiſtola collineantibus eodem, vel utrobique *viceſimam*, vel utrobique *ducenteſimam* deſignatam fuiſſe oportet (12). Noſter vero Interpres, ſiglas CKN mendoſe ſcalptas autumat loco τοῦ KCN, has vero alteras unice probat: ad interpretationem vero quod attinet, in Corſini, *viceſimam* primo loco ſuadentis, ſententiam etſi (13) alio itinere conceſſit,

(11) Qua is via ad ingenioſam quidem notarum interpretationem, ſed omni veriſimilitudine deſtitutam, pervaſerit, jucundum eſt ex ejus verbis diſcere: *Niſi vehementer fallor* (inquit pag. 40.), *nota* KCN εἰκοστὴν, viceſimam *ſignificat; quod nimirum character* K viginti *exprimit*, *atque ex illo ceteriſque pone ſequentibus vox* εἰκοστὴν *efficta videatur. Ita propemodum nota alia* CKN διακοσιοστὴν ducenteſimam *exprimi putaverim: quod character* C *plerumque* διακόσια, ducenta *ſignificet: quamvis etiam fortaſſe* ἓξ ſex *exprimere poſſit*, *ideoque nota* CKN *etiam* ἕκτην, ſextam *indicare poſſe videatur*. Sed quanti redimerem, ſi vir Cl. unum exemplum conjecturae ſuae conſentaneum, e tota antiquitate deprompſiſſet!

(12) Corſinius vero ibidem marte ſuo comminiſcitur notâ CKN *exprimi* cenſum *ducenteſimae*, qui Tyriorum civitati a Puteolanis Tyriis praeſtaretur; notâ vero illa KCN ſignificari cenſum *viceſimae* a Tyriis Romanis tribui conſuetum Tyriis Puteolanis. Sed epigraphen accurate legenti patet, verba fieri de una eademque penſione, quam cum Tyrii Puteolani ſolvendo impares eſſent, Romanienſes Tyrii, quorum intererat, Stationem Puteolis incolumem ſervari, jampridem ſolvere civitati Puteolanae conſueverunt; nunc vero Romanienſibus id onus a ſe detrectantibus, Tyrienſes aditâ communi patria Tyro, flagitant, ut auctoritate ſua Romanienſes ad conſuetam penſionis praeſtationem hortetur. Itaque ea penſio vel *viceſima* vel *ducenteſima* utrobique intelligenda foret. At quanto ſatius fuiſſet excogitare, id ſane notis hiſce exprimi, quod, ſive KCN ſive CKN ſcribitur, unum idemque ſonaret?

(13) Putat enim, quemadmodum ΘC pro Θεὸς, MP pro Μητὴρ pingi

ceſſit, hoc amplius addit e ſuo, hujuſmodi vectigal viceſimae mercium fuiſſe Tyriis pro Statione Puteolana, tamquam pro conducto, imperatum.

Sed ut a poſtremo ordiar; aegre adducor ut credam, ſiglas illas *vectigal viceſimae* aut *ducenteſimae* & quidem incerti reditûs, deſignare potuiſſe. Sane de re certa potius docendus fuiſſet Senatus Populuſque Tyrius, ut expenſis Stationum Romanae & Puteolanae rationibus decerneret, quantum onus uni detractum, cervicibus alterius imperatum oporteret. Adhaec nulla uſquam mercium, quibus vectigal hujuſmodi impoſitum fingitur, mentio in toto marmore occurrit, neque fit de *Vectigale* verbum ullum. Μισϑὸς enim non omnino *Vectigal*, ſed utique *Mercedem* aut *penſionem* pro locato conducto debitam notat: quemadmodum & verſu 17. quicquid ſiglae illae ſibi velint, nonniſi εἰς τὴν μίσϑωσιν, *loco mercedis*, pendi dicitur. Praeterea penſio illa κατ' ἔτος, *in ſingulos annos*, praeſcripta narratur; at *vectigal viceſimae* aut *ducenteſimae* incerti temporis eſt, ac quotieſcumque merces invehebantur, toties exactum oportuit. Denique iſthaec penſio non mercibus invectis, ſed ipſi Stationi impoſita fuit. His adde, quod Stationarii negant verſu 21. ſeq. ullum ſibi e naviculariis ac negotiatoribus contingere proventum: unde ergo vectigal viceſimae ab iis, qui nullum quaeſtum faciunt, exigitur?

At vero contra, ut mercedem aliquam Stationarii Puteolis, in qua urbe, tamquam in alieno habitabant, penderent, res erat aequiſſima, & aliarum gentium conſuetudini conſentanea. Mos enim erat in Graecia receptus, ut exteri homines, ſicubi domicilium ad longum tempus fixiſſent, inquilinatus gratiâ certam illi urbi ſolverent penſionem, quam a verbo μετοικεῖν, *inquilinum eſſe*, Graeci dixere Μετοίκιον· de quo tum alii Grammatici veteres, tum omnium copioſiſſime Harpocration in ea voce diſſeruit: Μετοίκιον &c. Metoecion. *Hyperides in oratione contra Ariſtagoram.* Metoecus *eſt inquilinus qui ex aliena civitate ad aliam emigrat, nec ut peregrinus* (14) *ad*

gi ſolet; ſic KCN, detractis utique vocalibus, pro εἰΚοCτὴΝ, *viceſimam*, exarari.

(14) Si quis forte alicubi detineretur, ſed animo hinc abeundi, maxime ſua intererat, hoc ipſum, ne penſioni inquilinatus obligaretur, propalam ſignificare. Hinc lucem mutuatur illa formula, de qua dixi pag. 23. ſatis obvia in inſcriptionibus athleticis, ἀπὸ καταλύσεως ἐν Ῥώμῃ κατοικεῖν, *ab hoſpitio Romae incolere*, h. e. Romae degere, ſed ut peregrinum non ut Stationarium; ut ſe a praeſtatione inquilinatus eſſe immunem ea profeſſione doceret.

ad breve tempus adventat, *ſed illic domicilium* (15) *habet*. *Pendebat vero quotannis XII. drachmas*, *quod Metoecion dicebatur*, *ut declarat Eubulus Plangone*. *Iſaeus autem in orat. adverſus Elpagoram & Demophanem innuit*, *viros drachmas XII. mulieres VI. pependiſſe* . . . . *Qui inquilini id tributum non ſolverant*. . . . *convicti vaenibant*. Metoecion igitur merces quaedam erat inquilinatus, quam ſcilicet inquilini viritim quotannis pendebant. Jamvero ſi Graecorum *penſionem inquilinatus* cum Tyriorum *mercede Stationis* comparaveris, facile advertes nihil plane utrimque differre. Utraque enim ab exteris hominibus in urbe non ſua morantibus ſolvebatur, utraque annua erat, ac certo etiam definita valore. Nam mihi videtur, cum primum Tyrii Stationem Puteolis tetenderunt, Magiſtratus Puteolanus decreta mercede cum iis conveniſſe, ne ſingulis annis Stationariorum numeratio repeteretur. Itaque tunc ratione habita advenarum, Stationiſque ipſius, quam frequentabant, impoſita certa penſio Stationariis fuit ea lege, ut ſive Statio creſceret ſive decreſceret, illa beneficio, aut periculo ſuo, invariata maneret.

Sed quota tandem ea penſio fuiſſe dicetur? Ne multis: fuit *viginti ac ducentorum nummorum aureorum*; quam ſummam conficiunt illae ſiglae ſic utique diſcriminandae, $\bar{K}\bar{C}$. N. ſive $\bar{C}\bar{K}$. N. hoc eſt, *διακόσια καὶ εἴκοσι Νομίσματα*. Nam apud Graecos (quibus ſingulae litterae ſuum quaeque ſeorſum ſignant numerum, ut K *εἴκοσι*, *viginti*; C *διακόσιοι*, *ducenti*) perinde eſt, ſive majorem numerum minori, ut CK., ſive minorem majori ut KC., anteponas (16). Porro littera N apud

(15) Nolim, quis *μετοίκιον* (*inquilinatus penſionem*) confundat cum ea mercede, quam conductor locatori pendit: haec autem altera a verbo *ἐποικεῖν*, q. d. *ſuperhabitare*, dicta, opinor, *ἐποίκιον*. Certe hinc arceſſenda mihi videtur Italica vox *Piggione*: quam penſionem ſive civis ſive hoſpes eſſet, pro uſu domus non ſuae, pendere ex aequo tenebatur. At vero *μετοίκιον* vel ex eo exigebatur peregrino, qui domum aere ſuo in aliena urbe comparaverat. Eo pertinet verbum Harpocrationis *ἐκτήσατο*· quod preſſius rei dominium, non ſimplicem uſum, notat.

(16) Vide Vaillantii Graeca Numiſmata, ubi pertexitur catalogus urbium, in quarum nummis epochae ſignantur. Hîc exemplorum de eo, quem innui, diſponendi numeros uſu, affatim habes. E. g. in *Amaſiae* nummo annus 208. ſic pag. 248. exaratur, CH; majore ſcilicet minori ſummae ante poſita. Contra ibidem in alio Amaſiae nummo notae ΘC, ſignant annum 209. Idem contemplari licet, ubi tres numerorum notas componi neceſſe fuit. In alio ejuſdem *Amaſiae* nummo notae CΛΔ ſignant annum 234. at in *Aegaeenſium*, AIC annum 211. & millena in hunc mo-

apud Latinos notis numeralibus adſcripta, nuſquam non *Nummos* notat; at apud Graecos pro Νόμισμα valuit (17). *Numiſma* autem idem fuit ac *Nummus aureus* qui aevo ſequiore *Solidus* dicebatur. Hanc autem penſionem CCXX. nummorum aureorum, cum Statio Puteolana Tyriis hominibus abundaret, in plura capita diſtributam facillime quiſque ferebat: at eâdem Statione ad paucos redactâ, ponderoſiores ſymbolas, quae ſummam illam conficerent, viritim ſed ſupra ſingulorum vires exactas oportuit. Cui incommodo uti communis patria Tyrus proſpiceret, Stationarii hiſce litteris efflagitant. Jamvero ex hac mercede a Puteolanis Stationi Tyriorum imperata agnoſce, eos ἀλλοφύλους, *alienigenas*, fuiſſe. Profecto, ſi Puteoli colonia Tyriorum fuiſſet, quemadmodum Noſter Interpres pluries contenderat, nec recte Puteolani nec juſte imperaſſent tributum Tyriis pro uſu ejus urbis, quam utrorumque majores condidiſſent. Nam & Ilienſes immunes a vectigalibus Romani Imp. renuntiarunt, eo quod Romani ab Ilienſibus prognati perhibebantur.

Verſ. 17. 18. ΤΑ ΓΑΡ ΕΡΓΑ ΑΝΑΛΩΜΑΤΑ] Ἔργα ſunt *opera*, ut ἀναλώματα *pecuniae numeratae*, quae utraque Commune Puteolorum, cum uſus flagitabat, imperabat Stationariis. Nec mirum; cum ab ipſis civibus, ut inquit Ariſtoteles Polit. V. 11. exigantur εἰσφοραὶ καὶ λειτουργίαι, *contributiones* & *miniſteria publica*. Λειτουργεῖν Heſychio eſt μοχθεῖν καὶ δουλεύειν, *laborare & ſervire*. Cives nimirum debent operas iis conſtruendis, quae publici ſunt uſus, ut fora, porticus, cloacae &c. Quî minus igitur deberent eadem Stationarii? Μετοίκων λειτουργία, *Inquilinorum perſonale ſervitium* in Panathenaeis memoratur in Photii lexico MS. cujus locum exhibet Albertus ad Heſychium in v. Σκαφηφόροι. Hinc diſce, a Stationariis exactas, praeter inquilinatus penſionem, etiam *operas publicas*. *Verſ.*

modum proſtant exempla, ſic ut mirari ſubeat, quî minus hujus conſuetae apud Graecos numerorum diſpoſitionis ratio Corſinum, accuratiſſime de Graecorum notis diſſertantem, fugerit. Nam quanti laboris fuit notas Puteolani marmoris ſic interpretari, ut ſive quis KCN ſive CKN legere mallet, eadem ſumma confieret?

(17) Vide Lexicon Gr. Cangii in littera N, ubi docet, id elementum in Baſilicis notare Νόμισμα: etſi moneat, ibidem appingi duplex NN, ubi Νομίσματα, numero multitudinis, efferuntur. Verum id nauci non eſt. Satis enim eſt, ſi oſtendi detur, litteram N antiquitus compendium vocis *Numiſmatis* fuiſſe; porro unum an plura numiſmata eo elemento ſignarentur, id per notas numericas, quae τῷ N praemittebantur, ignorari non poterat. Latini quoque uno charactere N utebantur, ſive *nummum*, ſive *nummos* exprimerent.

Verſ. 18. ΚΑΙ ΤΑ ΓΕΙΝΟΜΕΝΑ] Hîc praeterea deſignantur ſumptus, qui ſtationis ornandae cauſa erogabantur, cum incideret anniverſarius *dies Domini Imperatoris* ; qui ἁπλῶς *Dies Imperii* vocatur Trajano X. Epiſt. 104. ad Plinium : *Diem imperii mei debita laetitia & religione commilitonibus & provincialibus, praeeunte te celebratum, libenter mi Secunde cariſſime cognovi litteris tuis.*

Verſ. 19, 20. ΕΑΥΤΟΙΣ ΕΛΟΓΙΣΑΜΕΘΑ] Primus Interpres: Αὐτοὶ. Sed eum ratio fugit. Ἑαυτοῖς λογίζεσθαι, eſt, *rationibus ſuis adſcribere, ſibi imputare* : quo ſenſu *imputare* accipitur in illo Plinii Epiſt. X. 52. *Eidem civitati* (Byzantinorum) *imputata ſunt terna millia.* Hîc ἑαυτοῖς in prima perſona; *Nobis ipſis imputavimus ea*, quae ceteroqui e rationibus Tyri, cujus erat Statio, eroganda fuiſſent.

Verſ. 20. ΥΠΟΜΝΙΣΚΟΜΕΝ] Noſter Interpres invexit verbum ὑπομνήσκειν, ſed inconſulta Graecia, quae quidem ὑπομιμνήσκειν novit, illud vero alterum ignoravit; niſi quis exceperit, τὸ ὑπομνήσκειν aevo ſequiore ac praeſertim in ore Tyriorum, jacturam unius ſyllabae paſſum fuiſſe.

Verſ. 24. ΕΦΑΦΗ] Recte Laſena legit: ΕΓΡΑΦΗ. Menda inde orta, quod ΓΡ ſic proxime haererent, ut unum Φ exprimerent. Hinc incipit ὑπογραφὴ, *ſubſcriptio*, Epiſtolae, prope iiſdem ubique concepta verbis. Sic ferme omnes Epiſtolae D. Pauli in Codicibus Graecis deſinunt, e. gr. ad Galatas : Ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης.

Verſ. 25. ΦΛΑΚΚΩ &c.] H. e. anno Ch. 174.

S E G M E N T V M   II.

---

26 ΑΠΟΛΛΙΩΝ ΤΟΥ ΛΗΣΑΧΘΕΙΣΗΣ ΔΙ ΟΥ ΕΤΟΥΣ ΤΩΝ ΕΦΗΜΕΡΟΝΤΟΣ
Γ. ΟΥΑΛΕΡΙΟΥ ΠΡΟΕΔΡΟΥ.

ΑΝΕΓΝΩΣΘΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΤΥΡΙΩΝ ΣΤΑΤΙΩΝΑΡΙΩΝ ΑΝΑΔΟΘΕΙΣΑ ΥΠΟ ΛΑΧΗΤΟΣ ΕΝΟΣ ΑΥΤΩΝ ΕΝ ΗΗ. ℈ιοιν ΠΡΟΝΟΙΑΝ ΠΟΙΗΣΑΣΘΑΙ ΑΥΤΟΙΣ ΕΙΣΤΕ ΘΥΣΙΑΣ ΚΑΙ ΔΡΗΣΚΕΙΑΣ ΤΩΝ ΠΑΤΡΙΩΝ ΗΜΩΝ ΘΕΩΝ ΕΚΕΙ ΑΦΩΣΙΩΜΕΝΩΝΕΝ ΝΑΟΙΣ ΚΑΙ ΜΗ ΕΥΤΟΝΕΙΝ ΤΟΝ ΜΙΣΘΟΝ ΤΗΣ ΣΤΑΤΙΩΝΟΣ ΠΑΡΕΧΕΙΝ ΚΑΙ ΤΑ ΑΝΑΛΩΜΑΤΑ ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΓΩΝΑ ΤΟΝ ΕΝ ΠΟΤΕΟΛΟΙΣ ΤΗΣ ΒΟΥΘΥΣΙΑΣ ΑΥΤΟΙΣ ΠΡΟΣΤΕΘΗΝΑΙ ΤΩΝ ΓΑΡ ΕΡΓΩΝ ΑΝΑΛΩΜΑΤΩΝ ΓΕΙΝΟΜΕΝΩΝ ΕΙΣ ΕΠΙΣΚΕΥΗΝ ΕΑΥΤΟΙΣ ΕΛΟΓΙΣΑΝΤΟ ΙΝΑ ΜΗ

ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ ΒΑΡΩΣΙΝ ΚΑΙ ΥΠΕΜΝΙΣΚΕ ΟΤΙ ΟΥΔΕΜΙΑ ΠΡΟΣΟΔΟΣ ΓΕΙΝΕΤΑΙ ΑΥΤΟΙΣ ΟΥΤΕ ΠΑΡΑ ΝΑΥΚΛΗΡΩΝ ΟΥΤΕ ΠΑΡΑ ΕΜΠΟΡΩΝ ΤΗΣ ΣΤΑΤΙΩΝΟΣ ΩΣ ΕΝ ΤΗ ΒΑΣΙΛΙΔΙ ΡΩΜΗ.

Α. Πολλίων Βουλῆς ἀχθείσης. Δι' οὗ ἔτους Τῶν ἐφ' ἡμέρ' ὄντος Γ. Οὐαλερίου Προέδρου

Ἀνεγνώσθη ἐπιστολὴ Τυρίων Σταπωναρίων ἀναδοθεῖσα ὑπὸ Λάχητος, ἑνὸς αὐτῶν· ἐν ᾗ ἠξίουν, πρόνοιαν ποιήσασθαι αὐτοῖς εἴς τε θυσίας καὶ θρησκείας τῶν πατρίων ἡμῶν θεῶν ἐκεῖ ἀφωσιωμένων ἐν ναοῖς· καὶ μὴ εὐθονεῖν τὸν μισθὸν τῆς Στατίωνος παρέχειν· καὶ τὰ ἀναλώματα εἰς τὸν ἀγῶνα τὸν ἐν Ποτιόλοις τῆς Βουθυσίας αὐτοῖς προστεθῆναι· Τῶν γὰρ ἔργων, ἀναλωμάτων, γεινομένων εἰς ἐπισκευὴν, ἑαυτοῖς ἐλογίσαντο, ἵνα μὴ τὴν πόλιν βαρῶσιν. Καὶ ὑπεμίμνησκε, ὅτι οὐδεμία πρόσοδος γείνεται αὐτοῖς οὔτε παρὰ ναυκλήρων, οὔτε παρὰ ἐμπόρων τῆς Στατίωνος, ὡς ἐν τῇ Βασιλίδι Ῥώμῃ.

A. Pollion Senatu habito. Quo anno C. Valerio Ephemeriorum Praeſide

Recitata eſt Epiſtola Tyriorum Stationariorum, reddita a Lachete, itidem Stationario; qua enunciabant, ſe quidem iis, quae ad ſacrificia & ad Deorum patriae noſtrae, illic in templis dedicatorum, cultum impendenda ſunt, proſpexiſſe; at vero eſſe impares ſolvendo ſtipendio Stationis; adhaec impenſas ad certaminis Puteolani Buthyſiae editionem, ſibi eſſe impoſitas. Nam operas, impenſas in ornatum (Stationis), *ut ære levarent urbem, in ſe receperunt. Porro ſubmonuit* (Statio), *nullum ſibi reditum neque a naviculariis, neque a mercatoribus ſuis, quemadmodum Stationariis auguſtae Romae, contingere.*

§. II.

§. II.

Inſcriptio inedita producitur & illuſtratur. Pollio, Archon Tyri Eponymus. *De magiſtratibus Eponymis nonnulla. Feſti locus explicatur. Qui Conſulum Romae Majores & Minores.* Βουλὴν ἄγειν, συνάγειν, ἐπαγγέλλειν, *quo differant.* Τὸ ἐφ' ἡμέρᾳ, *eſt* opus diurnum, *ſive* Commentarium Quotidianum. Οἱ ἐφ' ἡμέρᾳ, *ſunt Senatores* Ephemerii, *ſeu qui ſtato die vices obibant in Curia. Affinitas inter Senatum Athenienſem ac Tyrium.*

V*erſ.*26. ΑΠΟΛΛΙΩΝ ΤΟΥ ΛΗΣΑΧΘΕΙΣΗΣ ΔΙ ΟΥ ΕΤΟΥΣ ΤΩΝ ΕΦΗΜΕΡΟΝΤΟΣ Γ. ΟΥΑΛΕΡΙΟΥ ΠΡΟΕΔΡΟΥ] Primus Interpres legebat : Ἀπολλωνίου τοῦ δικαστοῦ, Φιλόκλους τοῦ ἐφεδρεύοντος, Γ. Οὐαλερίου προέδρου, *Apollonio judice, Philocle aſſeſſore, C. Valerio praeſide.* At rogo, ſerio ne, an ludificandi causâ, *Apollonius judex, Philocles aſſeſſor*, nobis obtruditur? Dicere abſtineo. Itaque Graeca ſic interpungenda eſſe cenſeo. Α ΠΟΛΛΙΩΝ ΒΟΥΛΗΣ ΑΧΘΕΙΣΗΣ. ΔΙ ΟΥ ΕΤΟΥΣ ΤΩΝ ΕΦ ΗΜΕΡ ΟΝΤΟΣ &c. *Aulus Pollio Senatu habito: per quem annum Praefecto Commentarii Quotidiani*, ſive *Ephemeriorum, C. Valerio, recitata eſt epiſtola* &c. Jam lectionis meae reddenda ratio eſt, quam paucis exponam.

ΑΠΟΛΛΙΩΝ] Sic litterae diſcriminandae ſunt, ut prior Α ſit praenominis *Auli* nota; reliquae *Pollionis* nomen abſolvant. Hae vero litterae confertim ac ſine ullo intervallo exaratae, offucias Primo Interpreti fecerunt, ut pro genuino *Aulo Pollione*, nobis oggereret *Apollonium*. Par infortunium paſſus diu fuit *Aulus Gellius*, ut falſo apud nonnullos *Agellius* audiret. Sed neſcio quo fato manus Noſtri Interpretis probe ſint ad corrumpenda nomina propria inſtructae; nam & in pererudito ſuo *de Phoenicibus* volumine p. 262. pro Π. ΑΚΥΛΑ (*Publio Aquila*) inſigni metaplaſmo *Pacillum* ſuppoſuit: idque *Pacilli* nomen eruere ſibi viſus eſt e vetere quadam inſcriptione, quae hodiedum exſtat Aenariae, ab eo primum edita ſed inquinatiſſime: ſecutus enim exemplar, quod forte in manus incidit, indiligenti opera exceptum, deteriorem interpretationem architectatus eſt (18). Quamvis

(18) Quam evanidum incertaeque lectionis, fuerit exemplar, quod Interpreti Noſtro objectum fuit, videſis ſupra cit. pag. 262. aereae formae inciſum. Illis autem informibus litterarum lineamentis hanc, ut ita dicam, perſonatam ſcripturam impoſuit:

ΠΑ-

vis autem alieniſſimum hoc loco videri poſſit, ſi ea de epigraphe verbum ullum commutem; tamen quia verendum eſt, ne ſaxum litteratum, nunc in declivi ac lubrica montis parte ſitum (19), mox ſuo pondere vel qua alia vi ruendo in ſubjectum mare, peſſum eat; duxi ſatius, videri e ſemita deflexiſſe, quam inſcriptionem, forſan aliquando uſui futuram, antiquitatum amatoribus invidere. Ea igitur ſic habet:

ΠΑ-

ΠΑΚΙΟϹ · ΝΥΜΨΙΟϹ · ΚΑΙ
ΜΑΙΟϹ · ΠΑΚΙΛΛΟϹ
ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΙ
ΑΝΕϹΤΗϹΑΝ · ΤΟΥΤΟ
ΤΟ ΤΟΙΧΙΟΝ
ΚΑΙϹ · ΤΟΥ · ΤΡΑΙΑΝΟΥ
ΤΗ · ΕΠΙΤΑΞΕΙ

h. e. ut ipſe pag 263. reddidit: *Pacius Nympſius & Majus Pacillus liberti excitarunt hoc propugnaculum Caeſaris Trajani imperio*. Sed num aliter aegri ſomnia illudunt? Profecto nihil minus, quam quae Noſter ibi videre ſibi viſus eſt, contemplari mihi *αὐτόπτῃ* (*oculato teſti*) licuit. Interim nolo, quis haec aliorſum, atque ego dixi, accipiat. Sane non criminandi ſtudio collationem hujus lectionis cum autographo inſtitui; ſed ut archaeologi hoc exemplo deterriti, aegre fidem adhibeant chartulis, quas vel imperitae, vel gypſatae manus ſubmiſerint; neve facile ab hujuſmodi impoſtoribus fucum fieri ſibi patiantur.

(19) Jacet litterati ſilicis moles praegrandis (nam quaquaverſum tredecim palmos Neapolitanos patet) medio ferme intervallo, quod a turri maritima, ſupercilio montis impoſitâ, excurrit ad ſubjectum aequor, quod incolae *ad Laccum* vocant. A cacumine montis (nam a mari nec ipſae caprae aſcenſionem facerent) a cacumine, inquam, montis anguſta ſemita aperitur ad ſilicis ſtationem, ſed adeo anceps, praerupta ac pendula, ut hâc ingreſſus, pedem certe retuliſſem, ni mihi feciſſet animos Michaël Melillus, vir apprime cultus, probitate, facilitate, amicitia, uno dicam verbo, antiquis moribus, adeo commendandus, ut nihil ſupra. Hic me cunctantem exemplo ſuo excitavit, uti ſe praeeuntem inſequerer. Vix & aegre, fateor, nec ſine trepidatione, perreptavi; cum nunc quoque ad ſolam aditi diſcriminis recordationem exhorreſcam. Eo ſcilicet me deduxit antiquitatum inveſtigandarum ſive amor is eſt, ſive ſtudium: nonnulli fortaſſe dixerint inſaniam. Sed ne multis. Ad locum, quo pervenire erat animus, tandem evaſimus, & epigraphen collata opera deſcripſimus. Litterarum ductus ſunt affabre ſcalpti, quamvis non nimis profunde impacti, fortaſſe ob ſilicis duritiem indomabilem. Figura vero litterarum delineatur ad antiquitatis normam, niſi quod littera Σ, uti C depingitur, & elementum Ω, ſuperne non ſinuatur in arcum, ſed in angulos rectos praeciditur.

ΠΑΚΙΟϹ ΝΥΜΦΙΟϹ
ΜΑΙΟϹ Π ΑΚΥΛΑϹ
ΑΡΞΑΝΤΕϹ
ΑΝΕΘΗΚΑΝ
ΤΟ ΤΟΙΧΙΟΝ
ΚΑΙ ΟΙ ϹΤΡΑ
ΤΙΩΤΑΙ

Latinam verſionem, & ſi quid aliud dicere ſuccurrit, infra conjeci (20). Nam nunc praeſtat, ſtilum convertere ad *Aulum Pollionem*, quem Archontem *Eponymum*, i. e. eum, cujus nomen in actis perſcribebatur, exſtitiſſe (21) judico. Nec te illud commoveat, quod ex-

(20) H. e. *Pacius Nymphius Majus*, *Publius Aquila Praefecti* (ſive *Praetores*) *&* *milites murum exſtruxerunt*. In Graeco vox *Milites* ultimo loco ponitur, eadem ſtructura, qua in antiquis lapp. legitur: *Dolus malus abeſto & Juriſconſultus*. Ἀνέθηκαν ad verbum *ſuſpenderunt*, hoc eſt, ſurſum, in cacumine ſcilicet montis, τοιχίον (*muralem munitionem*) exſtruxerunt. Sane in editis locis caſtra militaria communiri mos erat. In vertice Tifatae in Campania prope Nolam, hodiedum ſupereſt vaſtum ſaxorum ſtupendae magnitudinis ſeptum, quod haud dubie Hannibal hîc agens exſtruxit. Nam in Tabula Peutingeriana locus hic ſic indicatur: CASTRA ANIBA*lis*. Ex mentione autem *Militum* colligi poteſt, militibus inſerviiſſe, quidquid in eo cacumine inaedificatum fuit; tum illud, *Nymphium* & *Aquilam* militari imperio *praefuiſſe*. Quandonam *Muri* opus excitatum fuerit, quis tuto praeſtare auſit? Strabo de ſubterraneis Pithecuſae ignibus, terrae motibus, atque intuta inſulae ſtatione diſſerens, Οἱ πεμφθέντες (inquit lib. V. 248.) παρὰ Ἵερωνος τοῦ τυράννου τῶν Συρακοσίων ἐξέλιπον τὸ κατασκευασθὲν ἐφ᾽ ἑαυτῶν ΤΕΙΧΟΣ, καὶ τὴν νῆσον, *Miſſi a Hierone, tyranno Syracuſanorum, MVRVM a ſe exſtructum, & inſulam dereliquerunt*. Murus autem in noſtra epigraphe deſignatus idem ne ſit ac Hieroneus, an ab eo diverſus, equidem non habeo dicere.

(21) Hoc ſollemne Graecis fuit, ut ſi duo pluresve ſummae reip. praeeſſent, unus eorum ἐπώνυμος eſſet, h. e. ut ejus nomen in actis publicis conſignaretur. Hujuſmodi fuerunt Ephori Spartae, atque Archontes Athenis. Hoc amplius in Coloniis & Municipiis Graece-loquentibus (ubi bini Ἄρχοντες ad imaginem Duumvirorum Latinorum creabantur) obtinuit, ut horum alter ſignaretur in nummis, & interdum adderetur elementum A, quo major hujus dignatio ſupra collegam oſtenderetur. Vide Vaillantium in Numiſm. Gr. pag. 310. & Mazochium in Additam.

expreſſum Archontis nomen in Pollione deſideretur; quandoquidem in nummis Graecis, qui nomina magiſtratuum praeferunt, raro admodum *Archontis* vocabulum intuemur, quod ſaepius ex ipſa nominum ſerie, ſtructuraque intelligendum relinquitur. Vide Vaillantium loco infra citato. Jamvero, ut de hoc etiam dicam, Archontis Pollionis nomen recto caſu effertur, & quidem recte; ſic enim in caſibus, quos vocant abſolutos, interdum Graeci facere (22) conſueverunt.

ΤΟΥ ΛΗΣΑΧΘΕΙΣΗΣ] Viden Abſyrti diſcerpta membra? Tu ne dubites ſic reſtituere: ΒΟΥΛΗΣ ΑΧΘΕΙΣΗΣ, *Senatu habito*; ex quo apparet, Epiſtolam Tyriorum Puteolanorum, Archonte *Pollione* recitatam fuiſſe in *Senatu* legitimo, non indicto. Ἄγειν βουλὴν, eſt *habere Senatum*, ut συνάγειν, *cogere*. In Dionyſ. Halic. Excerpt. tam. ad Voſſii Etymol. in v. *Meddix*, ubi Ennii auctoritate contra Scaligerum contendit, alterum e duobus Meddixtuticis, qui ſupremus erat Oſcorum magiſtratus, vocatum fuiſſe *Summum*. Sed & Romae quoque tametſi duo Conſules pares dignitate forent, alter *Major* dicebatur, teſte Feſto in v. *Majorem*. *Majorem* (inquit) *Conſulem L. Caeſar putat dici vel eum, penes quem faſces ſint, vel eum qui prior factus ſit*. Secundam Grammatici periocham non omnino recte Dacerius interpretatus eſt. Senſus autem Grammatici hic eſt: *Conſulem Majorem dici . . . . eum, qui prior factus*, h. e. qui a primis anni menſibus Conſul ordinarius proceſſit; nam qui extraordinarius, & in reliquum anni tempus creabatur Conſul, adeo non erat Major, ut etiam *Minor* diceretur. Sane Dio Caſſius lib. XLVIII. p. 553. Conſules, quos Latini *Suffectos*, ipſe Σμικροτέρους, *Minores*, appellat. Nec porro mos erat, nomina horum Conſulum Minorum in actis perſcribi, ſed annus inſigniri continuabatur nominibus eorum Conſulum, qui a Kalendis Januarii magiſtratum inierant. Hinc fit manifeſtum, Conſules Ordinarios & *Majores* & *Eponymos* fuiſſe. Enimvero Herodes Atticus in Graeca epigraphe apud Sponium Miſcel. Antiq. p. 324. renuntiatur Conſul Ἐπώνυμος· ipſe enim factus Conſul Ordinarius anno Chr. 142. nomen anno commodavit. Sed haec obiter; illuc unde diſceſſeram, redeo. In Ephemeridibus, ſive Diurnis Populi Rom. commentariis, quidquid quoque die mandabatur memoriae; id ſub illius Conſulis lemmate conſignatum animadvertimus, penes quem eo die faſces erant. Vide Pighii Annales Tom. II. p. 378. Quo minus mirandum eſt, ſi in Coloniarum quoque Actis Diurnis (cujuſmodi fuiſſe videntur illa, e quibus deſcripta fuerint hoc & ſequentia duo capita noſtrae inſcriptionis) nomen unius dumtaxat e duobus Archontibus praefigeretur.

(22) Ut in Tabulis Heracleenſibus a Mazochio editis, ſummus magiſtratus nunc recto caſu effertur, Ἔφορος Ἀρίσταρχος, μὴς (Dorice pro μὴν) Ἀπελλαῖος, *Ephorus Ariſtarchus, menſis Apellaeus*; nunc caſu patrio, Ἐπὶ Ἐφόρω (Dorice pro Ἐφόρου), μηνὸς Ἀπελλαίω, *Ephoro Ariſtione, menſe Apellaeo*.

cerpt. Legat. I. Συγκχθείσης βουλῆς, *coacto Senatu*. Nam *habere Senatum* & *Cogere*, diſtant. Vide II. ad Q. Fratrem Epiſt. 12. illudque de Senatu diebus legitimis vocato, hoc de Senatu extra ordinem indicto, dicitur. Hoc alterum effertur a Dione Caſſio lib. LVI. p. 828. in hunc alium modum: Βουλῆς ἐπαγγελθείσης, *Senatu indicto*.

ΔΙ ΟΥ ΕΤΟΥΣ] h. e. δι' οὗ ἔτους, *per quem annum*, ſeu potius *per quem totum annum* (23). Nihil autem frequentius apud Livium occurrit, quam ut poſt notationem Conſulum initio libri factam, addantur illa: *Eo anno*, *Exitu ejus anni*, & alia hujuſmodi. Conſulum enim, aeque ac Archontum, nomina, pro annorum numeratione valebant. Itaque hîc deſignatur annus is, quo Pollio ſummae reip. Tyriae praefuit.

ΤΩΝΕΦΗΜΕΡΟΝΤΟΣ] Scaliger in Chr. Euſeb. p. 304. corrigit: ἐφημερευόντων: nimis longe a ſcriptura marmoris. Ad hujus autem ſcriptionis aſſequendam intelligentiam non mutatione nec additione litterarum, ſed recta dumtaxat vocabulorum diſcretione, eſt opus. Diſtingue igitur in hunc plane modum: ΤΩΝ ΕΦ' ΗΜΕΡ' (per apoſtrophum pro integro (24) ἡμέρα) ΟΝΤΟΣ Γ. Οὐκλεκίου προέδρου. Pro vario, eoque indiſcreto genere articuli demonſtrativi Τῶν, non una interpretatio huic loco aptari poteſt. Nam ſi hîc Τὰ ἐφ' ἡμέρα ſequi malueris; inde ſenſus elicietur diverſus ab eo, quem Οἱ ἐφ' ἡμέρα ſuppeditant. Utrumque ſenſum apponemus in medium; tum poſtea cuinam ſententiae memet ipſum deſponderim, aperiam.

Τὸ καθ' ἡμέραν eſt *opus diurnum*. Ariſtoteles Polit. V. 11. Πρὸς τὸ καθ' ἡμέραν ὄντες, ἄσχολοι ὦσιν ἐπιβουλεύειν, *Operi quotidiano incumbentes, nihil habeant otii ad inſidiandum*. Porro ἐφ' ἡμέρα Heſychio redditur, ἐφ' ἑκάστης ἡμέρας, *quotidie*. Itaque Τὸ ἐφ' ἡμέρα eſt, *quicquid ſingulis diebus incidit*; uno dicam verbo, Ἐφημερὶς, quae, Suida interprete, eſt (τῶν ἐφ' ἑκάστης ἡμέρας) *rerum quotidianarum deſcriptio*, ſeu *Commentarium diurnum*. Habes jam quid ſibi fortaſſe velint in noſtro lapide, Τὰ ἐφ' ἡμέρα, *Commentaria* ſcilicet *Diurna*, in quibus pro more, quicquid quoque die cecidiſſet, ſcripto mandabatur. *Commentarium Cotidianum* Municipii Caeritum videſis apud Gruterum p. CCXIV. Qui autem ſcribendo aderant, *Commentarienſes* vel

(23) Quemadmodum Διὰ νυκτὸς, pro Δι' ὅλης νυκτὸς, *tota nocte*; Διὰ βίου, pro Δι' ὅλου βίου, *per totam aetatem*; Δι' ἐνιαυτοῦ, *toto anno*. Vide Caſaub. ad Athen. VII. 1.

(24) Niſi quis jacturam ultimae vocalis non apoſtropho abſorbenti, ſed potius feſtinanti ſcalpro quadratarii, vertere malit.

vel *A Commentario* dicebantur. Hujus loci fuiſſe videtur C. Valerius, ὢν πρόεδρος τῶν ἐφ' ἡμέρᾳ, *Commentarii Quotidiani Praeſes*, ſeu potius Curator; nam Πρόεδρος non eſt hîc ſtricte accipiendus pro eo, qui inter collegas primum ſubſellium occupat, ſed is intelligendus, qui cuicumque rei expediendae praepoſitus eſt. Atque haec interpretatio eatenus admittenda eſt, ſi Τὰ ἐφ' ἡμέρᾳ neutro genere legere placeat. Aliter enim rationes ineundae ſunt, ſi Οἱ ἐφ' ἡμέρᾳ nobiliore ſexu deſignati contendantur. Quae altera lectio ad Scaligeri, qui ἐφημερευόντων legit, ſententiam proxime accedit; quandoquidem οἱ ἐφ' ἡμέρᾳ ſunt ipſi ἐφημερεύοντες, ſeu qui ἐφημερίαν, *diurnum* obeunt *munus*: quemadmodum οἱ διὰ πέντε ἐτῶν ſunt, qui alias Πενταετηρικοὶ, *Quinquennales*, notus coloniarum magiſtratus, dicuntur.

Sane in hanc alteram lectionem mihi magis inclinat animus, vel eo praeſertim, quod quae Scaliger de Athenienſium Senatorum ephemeriis eruditiſſime diſſeruit, commode Senatui Tyrio accommodare licet. In decem Tribus (ut vir magnus in De Emend. Temp. I. p. 25. & 62. exſequitur) tota Attica diſtributa fuit. E ſingulis Tribubus quotannis eligebantur Quinquaginta Viri, qui conſtituebant βουλὴν τῶν Πεντακοσίων, *Senatum Quingentorum*; quinquaginta ſcilicet ex unaquaque Tribu. Ad avertendam autem, quae ex multitudine oritur, confuſionem, ſinguli quinquaginta ſingularum Tribuum per unum diem reip. vacabant, & exinde alii aliis ſuccedentes, inque orbem recurrentes, triginta ſex dies in toto anno (qui apud Athenienſes 360. diebus conſtabat) imperabant. Claſſibus Senatorum ſuus cuique praeerat Πρόεδρος, qui ceteros collegas honore anteibat, curabatque ea quae ad concionem erant neceſſaria. Tum Senatorum, tum *Proedri*, ἀρχὴ ἐφήμερος, *magiſtratus diurnus* erat, eorumque diurnum miniſterium ἐφημερία dicebatur. Hactenus Scaliger. Quam Athenienſium πολιτείαν ſi cum iis, quae pauca de Senatu Tyrio in marmore Puteolano innuuntur, ſedulo comparaveris, haud aegre animadvertes, Tyrios in conſtituendo Senatu Athenienſes ſibi ad imitandum propoſuiſſe; Senatoreſque, ne forte rebus publicis perpetuo ac ſine intermiſſione incumbentes, domeſticis negotiis deeſſent, ſic digeſſiſſe, ut κατὰ συστήματα, *per claſſes*, perque vices in Senatum convenirent. Profecto in noſtro marmore mentio fit βουλῆς ἀχθείτης, *habiti Senatûs*; ac protinus excipiunt οἱ ἐφ' ἡμέρᾳ, qui Ephemeriam ſeu *diurnum munus* gerere dicuntur. Ex injecta autem *Senatus* mentione, etiamſi nihil de Athenienſium Senatorum *Ephemeriis* innotuiſſet, in proclivi tamen colligere foret, τοὺς ἐφ' ἡμέρᾳ hujuſmodi certe fuiſſe, qui *diurnum* in

Se-

Senatu *miniſterium* obirent. Nunc vero cum illuſtre de Curialibus Athenienſium ephemeriis praeeat exemplum; proximum eſt, ut Οἱ ἐφ᾽ ἡμέρᾳ Senatûs Tyrii reputentur ſimiles iis, qui *diurnam operam* in Senatu Attico praeſtabant. His adde, quod ad oſtendendam utriuſque Senatus ſimilitudinem non minimum valet: Curiae Tyriorum Πρόεδρος praefuiſſe proditur in noſtro marmore: atqui is idem magiſtratus aderat in Prytaneo Attico, familiamque Senatorum, qui ſortiebantur *Ephemeriam*, ducebat. Itaque ex hac comparatione plane moveor, ut Valerium ὄντα πρόεδρον τῶν ἐφ᾽ ἡμέρᾳ interpreter, *Praeſidem Ephemeriorum* i. e. eorum qui *diurnum miniſterium* in Senatu Tyrio agitabant.

Etſi autem plurima ſimilitudo inter utrumque Senatum interceſſerit; nolo tamen quis credat, cetera quoque omnia pari paſſu utrobique proceſſiſſe. Licuit Tyriis ea, quae in rem ſuam facerent, ex ſorma Reip. Athenienſis deducere, ſed quatenus ipſa cum legibus Colonicis non colluctarentur. Lex autem Coloniarum Rom. (cujuſmodi Tyrus ea tempeſtate erat) ea ubique viguit, ut decuriones ſemel adlecti in Curiam, perpetuo reipublicae advigilarent, ac nolentes e Senatu moveri ſine juſta cauſa non poſſent. Contra Prytanes Athenienſes quotannis eligebantur, perfunctique annuo munere, in ordinem privatorum redigebantur. Quamobrem ut *Ephemeria* Tyriorum cum perennitate decurionum Colonicorum componatur, ſtatuamus oportet, Decuriones Tyrios fuiſſe quidem perpetuos; at vero quia aegre fuit univerſam Curiae familiam eodem cogere quotidie; ſic in claſſes diſtributos fuiſſe, ut alii aliis in orbem ſuccedentes, adeſſent in Senatu quotidie, qui exinde dicti οἱ ἐφ᾽ ἡμέρᾳ. q. d. *diurni*, de rebus incidentibus conſultarent ac decernerent. Quamquam neceſſe non eſt, ut ſupponamus, Claſſem per ſingulos dies in orbem ſucceſſiſſe claſſi; ſatis eſt, ſi poſt definitum aliquot dierum intervallum vices alternarent, ut ipſi merito nomenclationem *Ephemeriorum* gererent (25). Atque haec prima Curiam Athenienſem inter ac Tyriam differentia occurrit; eſt alia aliquanto ſignificantior. Nam Πρόεδρος, qui ἐφήμερον ἀρχήν, *diurnum imperium*, in Prytaneo gerebat, apud Tyrios δι᾽ ἔτους,

an-

(25) Nam *Ephemeria*, quae proprie *diurnum miniſterium* ſignificat, a S. Luca I. 8. traducta fuit ad notandum ἑβδομαδικὸν (*ſeptem dierum*) munus Sacerdotale, quod ipſum in orbem recurrebat. In Gloſſis MSStis apud Cangium, Ε᾽φημερία redditur Παρεβδομεύειν, *hebdomadarium agere;* atque Ε᾽φημερευτὴς univerſe dicitur is, qui ſtato die ſuas vices obit.

annuus, erat. Hinc collige, Tyrium Senatum ſic e Graecis inſtitutis profeciſſe, ut tamen a civitatis Romanae praeſcripto non exorbitaret.

*Verſ.*29. ΕΝΗΗ· ϩ ι ο ι ν ΠΡΟΝΟΙΑΝ] Sic in Grutero pingitur. Noſter Interpres Primus legit: ΕΝ Η Εζητουν ΠΡ. Mihi vero videtur magis congruere cum ſignatis litterarum ſulcis haec altera lectio, ΕΝ Η Ηξιουν ΠΡ. Nunc ſi quaeras, ecqua inciderit cauſa, quamobrem ſcalptor praeter inſtitutum ſuum minuta elementa infiderit; illa erit in promptu, eaque veriſimilior, reſponſio, characterum immutationem non e manu ſcalptoris, ſed utique e diligentia deſcriptoris, derivaſſe: hic autem cum nactus fortaſſe fuerit marmor ea parte corroſum, tot addidit induſtria ſua litteras, quot vacuum a lacuna ſpatium capere videbatur: has porro litteras e ſuo additas, ne quis eas revera in marmore exſtitiſſe crederet, diſcriminis causâ minuto charactere delineavit. Jamvero ejus exemplar, cum forte deſcribendum incidiſſet in manus librarii, qui non adeo familiariter Graecis Muſis uteretur, prodigialiter contaminatum fuit; & pro ΕΝΗΗξιουνΠΡ. exaratum porro fuit ΕΝΗΗ ϩ ι ο ι ν ΠΡ. Sic equidem conjicio.

Verſ. 30. ΔΡΗΣΚΕΙΑΣ] Corrige ΘΡΗΣΚΕΙΑΣ.

Verſ. 33. ΤΩΝ ΓΑΡ ΕΡΓΩΝ &c.] Rectius fuiſſet: Τὰ γὰρ ἔργα, ἀναλώματα, ut ſupra verſ. 17. Tametſi patrius caſus repeti poteſt ab ſuppreſſa per ellipſin voce λόγος, quae facile ſupplenda intelligitur e proximo verbo λογίζεσθαι, ut ea ſit conſtructio: Τῶν γὰρ ἔργων.... ἑαυτοῖς ἐλογίσαντο λόγον, *operum .... rationem ſibi imputarunt.*

Verſ. 35. ΥΠΕΜΝΙΣΚΕ] Primus Interpres: Ὑπέμνησκον· ſcribere fortaſſe voluit Ὑπεμίμνησκον. Vide dicta ad verſum 20. Quamquam nec ei neceſſe fuit, ut ſingularem numerum Ὑπέμιμνησκε cum plurali ὑπεμίμνησκον commutaret. Singularem enim numerum vel ad Stationem in commune ſcribentem refer; vel ad ipſam, quae tunc per ſumma capita recitabatur, epiſtolam. Enimvero ſaepe ſermone vulgari vertimus epiſtolae ipſi (ut eam Epiſtolam hoc vel illud praecipere, vetare &c. dicimus) quod recta ſcribenti datum oportet.

SEGM.

SEGMENTVM III.

ΜΕΘ ΗΝ ΑΝΑΓΝΩΣΙΝ ΦΙΛΟΚΛΗΣ ΔΙΟΔΩΡΟΥ ΕΙΠΕΝ . ΟΙ ΕΝ ΡΩΜΗ ΣΤΑΤΙΩΝΑΡΙΟΙ ΕΘΟΣ ΕΙΧΟΝ ΑΕΙ ΠΟΤΕ ΕΞ ΩΝ ΑΥΤΟΙ ΛΑΜΒΑΝΟΥΣΙ ΠΑΡΕΧΕΙΝ ΤΟΙΣ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ ΚϹΝ. ΑΞΙΟΥΣΙ ΚΑΙ ΝΥΝ ΟΙ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ ΣΤΑΤΙΩΝΑΡΙΟΙ ΑΥΤΑ ΤΑΥΤΑ ΤΗΡΗΣΘΑΙ ΑΥΤΟΙΣ Η ΕΙ ΜΗ ΒΟΥΛΟΝΤΑΙ ΟΙ ΕΝ ΡΟΜΗ ΑΥΤΟΙΣ ΠΑΡΕΧΕΙΝ ΑΥΤΟΙ ΑΝΑΔΕΧΟΝΤΑΙ ΔΥΩ ΣΤΑΤΙΩΝΑΣ ΕΠΙ ΤΗ ΑΥΤΗ ΑΙΡΕΣΙ ΕΠΙΦΩΝΗΣΑΣ ΚΑΛΩΣ ΕΙΠΕΝ ΦΙΛΟΚΛΗΣ ΔΙΚΑΙΑ ΑΞΙΟΥΣΙ ΟΙ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ ΑΕΙ ΟΥΤΩΣ ΕΓΕΝΕΤΟ ΚΑΙ ΝΥΝ ΟΥΤΩΣ ΓΕΝΕΣΘΩ ΤΟΥΤΟ ΠΟΛΕΙ ΣΥΜΦΕΡΕΙ ΦΙΛΑΧΘΗΤΟ Η ΣΥΝΗΘΕΙΑ .

Μεθ' ἣν ἀνάγνωσιν Φιλοκλῆς Διοδώρου εἶπεν· Οἱ ἐν Ῥώμῃ Στατιωνάριοι ἔθος εἶχον ἀεί ποτε ἐξ ὧν αὐτοὶ λαμβάνουσι, παρέχειν τοῖς ἐν Ποτιόλοις ΚϹ. Ν. Ἀξίουσι καὶ νῦν οἱ ἐν Ποτιόλοις Στατιωνάριοι αὐτὰ ταῦτα τηρεῖσθαι αὐτοῖς· ἢ εἰ μὴ βούλονται οἱ ἐν Ῥώμῃ αὐτοῖς παρέχειν, αὐτοὶ ἂν δέχονται δύω Στατίωνας· Ἐπὶ τῇ αὐτῇ αἱρέσει ἐπεφώνησαν, Καλῶς εἶπεν Φιλοκλῆς· Δίκαια ἀξίουσι οἱ ἐν Ποτιόλοις· ἀεὶ οὕτως ἐγένετο, καὶ νῦν οὕτως γενέσθω· Τοῦτο πόλει συμφέρει, φυλαχθήτω ἡ συνήθεια.

Poſtquam Epiſtola recitata fuit, Philocles Diodori F. verba fecit „Stationarii Romanienſes conſuevere ſemper ex iis, quae lucrifaciunt, ſuppeditare Puteolanis CCXX. N. Nunc vero Puteolani Stationarii poſtulant, ut haec ipſa ſarta tecta ſibi praeſtentur: quod ſi Romanienſes ſuppeditare ſibi recuſent; ipſi in ſe duas recipiant Stationes„ Ad ipſam optionem acclamatum eſt „Recte verba fecit Philocles: rem juſtam flagitant Puteolani. Sic, uti ſemper obtinuit, nunc quoque jus eſto. Hoc e re publica eſt; conſuetudo retineatur„

§. III.

Stationes *fuiſſe quaedam ſimulacra Coloniarum, in Emporiis commercii causâ ſtabilitas. Quo jure* Stationarii *tenerentur. Stationarii Tyrii Romanienſes perperam a Scaligero* Flamines Auguſtales *ſalutantur. Heſychii locus defenditur.* Ἐπιφωνεῖν Καλῶς, *formula eſt approbantis, ac laudantis.*

V*Erſ.* 38. ΜΕΘ ΗΝ ΑΝΑΓΝΩΣΙΝ] Poſt lectionem Epiſtolae, quae loco relationis fuit, pro more ſententias exquiri oportuit. Sed hîc unus Philocles verba faciens, unuſque ecquid ea de re ſtatuendum foret, coram edixiſſe inducitur.

Ibid. ΟΙ ΕΝ ΡΩΜΗ] Ex relatione Philoclis intelligimus, Stationarios Romanienſes, miſeratos inopiam Stationariorum Puteolanorum, ultro ſibi penſionem annuam inquilinatus, quam hi Puteòlanae civitati pendere debebant, jampridem impoſuiſſe: ſed mox id onus ultra ferre, detrectaſſe.

Verſ. 40. ΑΞΙΟΥΣΙ] Hîc illud ſalivam movet, quod Philocles nomine ſtationis ea retulerit ad Senatum, quae Stationarii ne mutiverunt quidem. Quamobrem videtur is, vel ſponte ſua Stationariorum cauſae ſtudens, eadem haec excogitaſſe; vel Lachete, qui Epiſtolam tradidit, coram ſuggerente, propoſuiſſe. Alterutrum autem horum Tyrii Puteolani concedi ſibi flagitabant, ut vel Romanienſes ſolitam pro ſe mercedem annuam de more praeſtare pergerent; vel ſi id facere recuſarent, ut non minus Romana, quam Puteolana ſtatio, ſibi unis tuenda permitteretur. Sed eccur Romanienſes adigerentur ad id oneris ſuccollandum? Primo quia hi e ſua ſtatione plurimum, illi nullum e Puteolana, emolumentum capiebant: hinc Statio Romana prae Puteolana locupletior, non poterat ſine deſerta ſuae nationis gloria, deeſſe neceſſitatibus cognatae Stationis. Deinde quia Romanienſium maxime intererat, Puteolanam Stationem (e Puteolano enim portu commeatus mercium Romam fiebat) incolumem ſervari. Inde juſta cauſa oriebatur, ut Romanienſes aliquantulum oneris a cervicibus Puteolanorum levatum, ſibi ultro imponerent. Atque hoc primum fuit legitimae, quam offerebat Statio Puteolana, optionis caput. Sequitur alterum:

Verſ. 41. ΕΙ ΜΗ ΒΟΥΛΟΝΤΑΙ] Poſtulant deinde Tyrii Puteolani, ut Romanienſibus penſionem pro ſe, pendere recuſantibus, Statio Romana ſibi adjudicaretur. Inquiunt enim: ΑΥΤΟΙ ΑΝΑ-ΔΕ-

ΔΕΧΟΝΤΑΙ (pro ΑΝ ΔΕΧΟΝΤΑΙ· vide verſ. 7.) ΔΥΩ ΣΤΑΤΙΩΝΑΣ. Spondent autem, duas in ſe recepturos Stationes, ut e ditiore Romana ſufficerent pauperiori Puteolanae. Hinc collige, plenum Stationum dominium penes Metropolim ſtetiſſe; hanc vero quibuſcumque vellet, colendas illas tuendaſque tradidiſſe ſub certis conditionibus, quibus neglectis, liberum Metropoli fuiſſe, Stationem unis detractam, alteris concredere. Alioquin quî potuiſſent Stationarii Tyrii adire Tyrum patriam, ut eriperet Romanis Tyriis, ac praeſertim nolentibus, Stationem; niſi explorati juris foret, Stationarios ſpoliari poſſe Statione conceſſa, ſi pactis conventis ſtare noluiſſent? Jamvero quae preſſius de Tyriis Stationariis animadvertimus, eadem haec ad ceteras aliarum gentium Stationes protendenda eſſe patet. Omnes enim, ut communi Stationis vocabulo veniebant, ſic aequo jure ubique geſtae videntur. Et quoniam eruditi viri de jure Stationum nimis jejune diſſeruiſſe comperiuntur; juverit hîc, quae ſparſim in inſcriptione Puteolana eo de argumento attinguntur, ſimul una perſtringere, ut cujuſmodi Stationes fuerint, uno veluti obtutu contemplari liceat. I. Ac primum nemini dubium eſſe videtur, Stationes fuiſſe quaſdam coloniarum (26) imagines, quas Metropoles mercium extrudendarum cauſa in loca non ſua, ſed negotiatoribus opportuna, immittebat (27). II. Veriſimile quoque eſt, emptum fuiſſe ære Metro-

(26) Graeci Stationes hujuſmodi vocarunt ἐμποϱικὰς κατοικίας, ut in illo Strabonis lib. XVII. pag. 826. *Lixo & Cotibus ad auſtrum ſinus adjacet, Emporicus dictus* (ἔχων Φοινικικὰς ἐμποϱικὰς κατοικίας) *qui Stationes habet mercatorias Phoenicibus deſtinatas*. Κατοικία cum univerſe *domicilium*, tum preſſius *Coloniam* non raro, notat. Ac fortaſſe *Colonia* eo ſenſu mercatorio haud ignota Latio antiquitus fuit. Profecto quae hodie Corpora mercibus vel comparandis vertendiſque vel a periculo cavendis, coaleſcunt, Italis tum *Compagnie*, tum *Colonne* vocantur, uti *Colonna frumentaria*, *Colonna di aſſicurazione*. Hanc autem vocem Italicam *Colonna*, equidem potius a Latinorum *Colonia mercatoria* (κατοικίᾳ ἐμποϱικῇ) deduxerim, quam conceſſerim ex eo dictam, quod hujuſmodi Societates ſint quaſi *columnae* ſeu fulcra, negotiationis.

(27) Stationis colonos Latini *Stationarios*, Graeci Στατίζοντας, vocarunt; utrique a *ſtando*, *conſiſtendo*. Vox Στατιωνάϱιος legitur quoque in Baſil. lib. 60. tit. 7. cap. 1. uti me Cangius docuit; ad quem locum Scholiaſtes ſic homines id genus definit: Στατίζοντες λέγονται, οἵτινες ἐν τόπῳ ἐτάχθησαν εἶναι, καὶ καταμένειν, καὶ στάσιν ἔχειν, ἵνα φυλάσσωσιν, *Stationarii* h. e. *Conſiſtentes*, *dicuntur ii*, *qui ſtabiliuntur alicubi ut permaneant*, *ſtationemque tuendam habeant*. Nihil ea definitione accuratius, & ad pernoſcendum *Stationariorum* locum conditionemque, opportunius.

tropolis Stationis ſolum, ubi templa ſacris peragendis, apothecae condendis mercibus, hoſpitia pro uſu inquilinorum, inaedificarentur. Ex quo jure emptionis fluebat, ut Metropolis, quibuſcumque vellet, concredere Stationem poſſet: id quod ex eo probatur, quod Stationarii Puteolani a Tyro metropoli poſtulant, ut Statio Romana, pulſis veteribus Stationariis, ſibi tuenda permittatur. III. Quod ad onera Stationis attinet, videtur ſic Stationariis cum Metropoli conveniſſe, ut quae ad tuitionem cultumque Stationis neceſſaria forent, ea omnia rationibus Metropolis imputarentnr: quae tamen Tyrii Puteolani liberaliter in ſe recepiſſe teſtantur, *ne* ſcilicet *urbem ære gravarent*. IV. Quae vero ſolvi oportebat ratione inquilinatus, ut ipſi Stationarii ære ſuo penderent: quam ceteroqui penſionem, etiamſi extra Stationem degerent, tamen, ut inquilini, ſolvere debuiſſent. Atque haec illa merces eſt, cui ſolvendae ſe eſſe impares fatentur Tyrii Puteolani. Haec autem merces, ut ad verſum 13. monui, ſtatim a condita Puteolis ſtatione, definita certo nummorum pondere fuit; eamque in capita plura, tum cum Statio abundabat inquilinis, facile quiſque ferebat: at vero Statione ad paucos redacta, adeo intoleranda viſa illa fuit, ut Romanienſes tacti communicipum miſeratione, tum etiam quia e re ſua erat, ſtare incolumem Puteolanam ſtationem; ultro penſionem inquilinatus Puteolanorum ſuccollarunt. Sed mox iiſdem ferre id oneris renuentibus, Puteolani adeunt Tyriam civitatem, hac oblata optione, ut vel Romanienſes ad ſolitam inquilinatus praeſtationem adigat, vel Stationem Romanam, e qua majora in Stationarios redundabant emolumenta, ſibi Puteolanis adjudicet.

His jam de jure Stationum animadverſis, patet, Scaligerum non recte poſtulata Tyriorum Stationariorum intellexiſſe. Hic autem vir ſtupendae eruditionis, cum Canon. Iſagog. III. p. 304. totus eſſet in Sacris *Ephemeriis* Hebraeorum enucleandis occupatus, ſibique neſcio quam *Ephemeriam* videre in marmore Puteolano videretur; ratus eſt Sacrum pariter negotium in ea epiſtola contineri, eoque proceſſit, ut Stationarios noſtros ſalutaret *Flamines*. Imo quod magis mirere; hanc ipſam epiſtolam, quam Tyrii Puteolis conſiſtentes, ut inſcriptio docet, ad Senatum Populumque Tyrium ſcripſerunt, ipſe tamen (quis crederet?) opinatur miſſam *a Flaminibus Auguſtalibus ad Flamines Tyrios*. Adeo ab eo argumento ſacro, quod ceteroqui ſtrenue tunc diligenterque tractabat, cogitationem deflectere non potuit, ut etiam mercatores infimae ſortis Sacerdotalem apicem geſtare ſibi viderentur. In Scaligeri ſententiam Cangius adeo libenti animo conceſſit, ut verba ipſa

ipſa tranſcripſerit in Append. ad Graecam Gloſſarium v. Στατίων· Verum eos ratio fugit. Nam etſi *Statio* de Sacerdotali (28) etiam miniſterio dicatur; nihil tamen eſt in Puteolana Statione, quod Sacrificuli ſibi proprium vindicent. Exaggerant quidem Stationarii Tyrii impenſas, quas Puteolis in ſacrificia, Deorumque celebritates, erogabant; ſed id eo conſilio faciunt, ut obtentâ in patrios Deos pietate, facilius emolliant Tyrium Senatum, eumque ad ſua deſideria paratiorem habeant, ac flectant. Sed & ex hoc ipſo, quod Stationarii, ſe in res ſacras facere ſumptus profitentur, oſtenditur, eos nihil minus fuiſſe, quam Flamines. Aegre enim uſuveniſſe umquam deprehendes, ubi iidem ipſi & rei ſacrae faciundae operam dederint, & impenſas aere ſuo contulerint. Jamvero praeter Tyrios, exſtiterunt & Berytenſes, Hieropolitani, Alexandrini, tot alii, qui ſibi Stationes Puteolis compararunt. Hos ne etiam negotiatores populos ſuſpicabimur, Stationes Sacerdotales ea in urbe aedificaſſe?

Verſ. 41. ΤΗΡΗΣΘΑΙ] corr. Τηρεῖσθαι.

Verſ. 43. ΕΠΙΦΩΝΗΣΑΣ ΚΑΛΩΣ ΕΙΠΕΝ ΦΙΛΟΚΛΗΣ] Ἐπιφωνεῖν Καλῶς, formula eſt approbantis, laudantiſque, ut ἐπιφωνεῖν Σοφῶς &c. Vide H. Stephanum in v. Σοφοκλεῖς. Itaque locum hunc inſcriptionis, ſi modo lectio marmoris proba foret, ſic interpungerem: Ἐπὶ τῇ αὐτῇ αἱρέσει ἐπιφωνήσας Καλῶς, εἶπεν Φιλοκλῆς &c. *Eidem optioni Philocles, cum acclamaſſet Recte, dixit*; &c. hoc eſt, cum approbaſſet optionem laudaſſetque. Nempe Philocles quae antea capita nomine Stationis Puteolanae expoſuit, iis nunc ſententia ſua ſuffragatur. Sed vereor, ut ſcalptor an quadratarius, diligentiam ſuam hoc loco probarit. Nam quis Senatorum tantum ſibi tribuat, ut quae cenſuerit, tamquam e tripode dicta, acclamatione proſequatur? Quamobrem ſatius eſt, ut τὸ ΕΠΙΦΩΝΗΣΑΣ in τὸ ΕΠΕΦΩΝΗΣΑΝ (*acclamarunt*, Senatores ſcilicet) corrigamus; quemadmodum etiam Primo noſtro Interpreti viſum fuit. Itaque quae Philocles, tamquam *ſententiae princeps*, cenſuerat, Senatus porro communi ſuffragio probavit.

Verſ. 45. ΦΙΛΑΧΘΗΤΟ] corr. Φυλαχθήτω.

SEGM.

(28) *Stationarii* ex aequo dicuntur tum milites, mercatoreſque, tum Sacerdotes, aliique, qui certo in loco conſiſtentes, officii miniſteriive ſui partes obeunt. Vide Gothofr. ad L. 6. C. de Dignit. Univerſas notiones complexus eſt Heſychius, cum ſcripſit: Στατίζονται· Ἱερῶνται, αὐλίζονται, ἵστανται. Stationarii eſſe dicuntur, qui *Miniſterio ſacro funguntur*, *ſtabulantur*, *conſiſtunt*. Perperam in Animadverſionibus ad Heſychium in elegantiſſima Alberti editione pro τῷ Ἱερῶνται, ſubſtituitur Ἱδρύονται. At Grammaticus per verbum ἱεροῦσθαι, vices Sacerdotum Stationariorum comprehendere voluit.

SEGMENTVM IV.

ΑΝΕΓΝΩΣΘΗ ΠΙΤΤΑΚΙΟΝ ΔΟΘΕΝ ΥΠΟ ΛΑΧΗΤΟΣ ΠΡΕΙΜΟΓΕΝΕΙΑΣ ΚΑΙ ΑΓΑΘΟΠΟΔΟΣ ΥΙΟΥ ΑΥΤΟΥ ΤΥΡΙΩΝ ΣΤΑΤΙΩΝΑΡΙΩΝ ΣΤΑΤΙΩΝΟΣ ΤΥΡΙΑΚΗΣ ΕΥΚΟΔΩΝΙΑΣ ΕΒΑΣΘΗ ΕΝ Ω ΕΔΗΛΟΥΝ ΤΟΙΣ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ ΠΑΡΕΧΕΙΝ ΤΗΝ ΗΜΕΤΕΡΑΝ ΠΑΤΡΙΔΑ . . .

Ἀνεγνώσθη πιττάκιον, δοθὲν ὑπὸ Λάχητος Πρειμογενείας, καὶ Ἀγαθόποδος υἱοῦ αὐτοῦ, Τυρίων Στατιωναρίων Στατίωνος Τυριακῆς ἐν Κολωνίᾳ Σεβαστῇ· ἐν ᾧ ἐδήλουν, τοῖς ἐν Ποτιόλοις παρέχειν τὴν ἡμετέραν Πατρίδα . . .

Lecti ſunt pugillares, redditi a Lachete Primigenia & Agathopode ejus filio, Tyriorum Stationariorum Stationis Tyriae in Colonia Augu-ſta (Puteolis): *quibus ſignificabant, Stationariis Puteolanis ſuppeditare noſtram Patriam . . .*

§. IV.

Nomina feminea impoſita maribus. Stationarii Tyrii, non Sidonii, in hoc marmore Puteolano deſignantur. Puteoli Colonia Auguſta.

VErſ. 41. ΑΝΕΓΝΩΣΘΗ] Hinc incipit decretum Senatus, quod in ſententiam Philoclis factum fuiſſe reor. At quoniam Stationarii alterutrum e duobus, quae paullo ante expoſui, concedi ſibi flagitabant; videtur id optaſſe Senatus, quod jampridem uſu receptum erat; ſcilicet, ut Romanenſes mercedem annuam Stationis pro Puteolanis Tyriis pendere continuarent. At vero id ipſum diſerte exprimi in decreto neceſſe erat; & tamen in eo, quod ſupereſt, marmore, quaenam fuerit definita Curiae auctoritas, minime traditur. In Grutero monetur, pauculas dumtaxat voculas in ultima inſcriptionis linea deeſſe, quaſi nihil praeterea deſideraretur. Sed enim mihi non fit veriſimile, Puteolanos Stationarios, qui adeo diligenter curarunt, ut quid ipſi civitati Tyriae ſcripſerint, quid a lectione Epiſtolae tranſactum in Curia, quaeve dictio ſententiarum fuerit, propalam exararetur; tanta por-

porro ſupinitate laboraſſe, ut quod ſua ſciri maxime intererat, poſteritati tradere negligerent. Profecto e re ſua erat, memoriae hominum, ecquid Senatus Tyrius pro Statione ſua decreviſſet, accurate mandare. Id autem cum in marmore ſuperſtite noſſe negetur; vero ſimillimum mihi videtur, inſcriptionem non ſolum illis paucis voculis, quas Gruterus quoque deſideraverat, ſed & pluribus aliis lineis, multatam ad nos perveniſſe. Quamobrem ſic ſentio: Decreti partem quidem priorem (quae *enuntiativa* dicitur) prope integram ſupereſſe; alteram vero partem *diſpoſitivam*, qua Senatus auctoritas perſcribebatur, cum ipſo marmore evanuiſſe.

Ibid. ΥΠΟ ΤΟΥ ΛΑΧΗΤΟΣ ΠΡΕΙΜΟΓΕΝΕΙΑΣ] Noſter interpres τὸ ΠΡΕΙΜΟΓΕΝΕΙΑΣ (veritus fortaſſe, ne videretur Laches, poſtquam liberis operam dediſſet, ad Cybeles deæ famulatum transfugiſſe) commutavit in ΠΡΕΙΜΟΓΕΝΙΟΥ. Equidem ſi correctioni daretur locus, libenter hanc vocem in ΤΡΙΤΟΓΕΝΕΙΑΣ, ſive (I longo cum bivocali ΕΙ alternante) Τρειτογενεῖας, quamminima mutatione, refingerem. *Tritogenia* notum eſt deae *Minervae* epithetum. Hoc autem loco *Tritogenia* non deæ, ſed navis nomenclatio forſan fuerit, pro conſuetudine veterum, qui naves vel a tutela numinum, quorum imagines in puppi, vel a παραστήμῳ (*inſigni*) quod praeſeferebant in prora, compellabant. Itaque vertas licet hunc inſcriptionis locum: *Epiſtolium redditum a Lachetis Tritogenia* h. e. nave, cui a tutela Minervae nomen erat *Tritogenia*. Quamquam mihi veroſimilius videtur, Lachetem ipſum *Tritogeniae* cognomen geſſiſſe. Sane neminem latet, ſaepe maribus cognomina a rebus vel perſonis femineis, indita fuiſſe; ut ab *ovicula*, *ſcrofa*, *ſcapula* &c. Sic C. Geminius *Spes* in Doniano lapide VII. 24. Antonius, nobilis Auguſti medicus, cognomento *Muſa* appellabatur. Quidni igitur & Laches noſter Minervae, ſeu quod tantumdem valet, *Tritogeniae* cognomen gerere potuit? Vel ſic tamen ſi quis in tuenda lectione marmoris ΠΡΕΙΜΟΓΕΝΕΙΑΣ perſiſteret, me omnino conſentientem nanciſcetur, modo ea voce celeberrimum Fortunae *Primigeniae* (29) cognomen intelligatur, apteturque Stationario noſtro in hunc modum: *Epiſtolium redditum a Lachete* (cognomine) *Primogenia* h. e. Fortuna;

(29) Huic Sempronius Sophus aedem in bello Punico promiſit, & in colle Quirinali dedicavit. Vide Seldenum de Diis Syris Syntagm. I. 1. & Plutarchum in Quaeſtion. Rom. Διὰ τί Ῥωμαῖοι Τύχην σέβονται ΠΡΙΜΙΓΕΝΕΙΑΝ, *Quamobrem Romani venerantur* Fortunam PRIMIGENIAM?

Epitheto ſcilicet per antonomaſiam, ut ſaepe fit, in nomen proprium abeunte: eamque lectionem in interpretatione eo ſum libentius amplexus, quod tum ab uſu veterum, tum maxime a ſcriptura marmoris commendatur.

Verſ. 49. ΤΥΡΙΑΚΗΣ ΕΥΚΟΔΩΝΙΑΣ ΕΒΑΣΘΗ] Ingentes turbas hîc ciet Interpres noſter, ſic corrigens: ΤΥΡΙΑΚΗΣ ΚΑΙ ΣΙΔΩΝΙΑΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ, ratus, quemadmodum umbra a corpore, ſic Tyrum a Sidone numquam divelli poſſe. Sed non recte rationes temporum collegit: etenim qua tempeſtate marmor Puteolanum exaratum fuit, nihil Tyrus cum Sidone commune habuit: utraque civitas privatim ſibi conſulens diverſis utique magiſtratibus gerebatur. Praeterea, qui Stationarii in marmore comparent, ii ſaepe Tyrii, numquam Sidonii enuntiantur. Denique Tyrus non Sidon, hiſce litteris aditur: itaque quicquid Tyria Curia decrevit, unice ad Tyrios homines ſpectabat. Quamobrem emendatis, quae vel incuria quadratarii, vel oſcitantia deſcriptoris effudit, ſic locum hunc inſcriptionis reſtitue: Στατίωνος ΤΥΡΙΑΚΗΣ ΕΝ ΚΟΛΩΝΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, *Stationis Tyriae in Colonia Auguſta*; quibus poſtremis verbis circumſcribitur urbs *Puteoli*, jam inde a Nerone, ac rurſus ſub Flaviis, id cognomen conſecuta: ſed ejus nomen hîc reticetur, quia in proximo inculcandum fuerat. Ceterum quo preſſius tempore Puteoli *Colonia Auguſta* dici coeperit, ne longiores, quam opus eſt, tricas nectam, videſis dicta ſupra pag. 229. Nunc ilicet: Sed antequam e ſcena recedam; monitum lectorem volo, correctionem hujus loci Ἐν κολωνίᾳ Σεβάστῃ fuiſſe quoque probatam magno Scaligero in Animadverſion. in Gruter. Inſc. Quod eo conſilio monendum duxi, ne quis me alienas merces in pergulâ, uti meas, expoſuiſſe judicet. Profecto enim ab eo ſtellionatus crimine adeo ſemper abhorrui, ut ſi quid in hoc meo commentario nec opinans dixerim, quod a quovis alio dictum ſit prius, id ultro repudiem, nec meum eſſe agnoſcam. Cetera quae reſtant, ſive placuerint, ſive ſecus, in ære meo eſſe volo: niſi quod in hanc alteram partem, lectoris humanitatem efflagito, ut ſi quid minus moratum aut etiam illiberaliter dictum exciderit, id calamo tribuat, qui ſaepe σπευστικὸς ἢ σπουδαστικὸς currere juſſus, praeter ſcribentis opinionem ſolet extra ſemitam delirare. Nam illa alia, quae mihi indiligenti, nec in rem praeſentem ſatis inſtructo, acciderunt humanitus, mea eſſe peccata, a meque luenda non diffiteor.

F I N I S.

AD.

PAg. 24. lin. 13. *poſt verba* videri volunt, *adde*: Ceterum quae de athletarum hoſpitiis conjeci, confirmari poſſunt inſcriptione Sponii Miſcell. pag. 306. ubi P. Licinius Priſcus (τὰς καταλύσεις τοῖς ἀπὸ τῆς οἰκουμένης ἐπὶ τὰ Ἴσθμια παραγινομένοις ἀθληταῖς κατεσκεύασεν) *diverſoria athletis qui ab orbe univerſo ad Iſthmicos ludos conveniunt*, *exſtruxit*. Idem Licinius infra dicitur feciſſe, στοὰν τὴν πρὸς τῷ σταδίῳ σὺν τοῖς κεκαμερωμένοις οἴκοις, *porticum ſtadio proximam cum concameratis cubiculis*. Pauſanias quoque Eliac. II. 21. memorat (οἰκήσεις τῶν ἀθλητῶν) *domicilia athletarum*, applicita gymnaſio. Quibus docemur, conſueviſſe veteres, athletis advenis hoſpitia parare. Sed ubi ea commoda publica deeſſent, uti Romae; athletae conductum, prout cuique commodum erat, privatim ſibi parabant. Inde ortum illud, ἀπὸ καταλύσεως κατοικεῖν.

Pag. 31. *Quae de Colonia Flavia Neapoli, quaſi conſecuta id nominis ſub Flaviis Impp. innui; refingenda ſunt ad normam eorum, quae eodem de argumento pluribus diſputavi pag.* 196. ſeqq.

Pag. 34. l. 12. *poſt* Alexandrinum, *adde*: Enimvero Alexandrinis ſollemne fuit cum nomine nectere etiam cognomen, quo fortaſſe notiores erant. Pauſan. Eliac. I. 21. Ὄνομα μὲν . . . Ἀπολλώνιος, ἐπίκλησιν δὲ ἦν Ῥάντις· καὶ πως καὶ ἐπιχώριον τὸ ἐς τὰς ἐπικλήσεις τοῖς Ἀλεξανδρεῦσίν ἐστιν. *Nomen ei fuit Apollonio, cognomen Rhanti; patrium enim fuit Alexandrinis, habere cognomina.*

Pag. 42. Adn. 7. *poſt* Caſaubonus, *adde*: Simile eſt quod legitur III. Reg. V. 11. *Salomon autem praebebat Hiram, coros tritici viginti millia . . . . & viginti coros puriſſimi olei*: ubi τὸ *Millia* e ſuperiore membro repetendum eſt, ut ſit intelligendum ex aequo, *viginti millia coros olei*; quemadmodum οἱ LXX. verterunt: εἴκοσι χιλιάδας κόρους πυροῦ . . . . καὶ εἴκοσι χιλιάδας βαὶθ ἐλαίου &c.

Pag. 42. lin. 15. *poſt* infuſcari neceſſe eſt, *adde*: Sed & ad colligendas diſtantiarum ſummas non minus neceſſaria eſt ſupputationis hujuſmodi animadverſio. Plinius V. 29. Magneſiae ſitum definiturus, ejus poſitum inter Epheſum & Tralles, urbes conterminas, ſic deſcripſerat: *Supra haec Magneſia Maeandri cognomine inſignis, a Theſſala Magneſia orta. Abeſt ab Epheſo XV. M. paſſuum, Trallibus eo amplius MMM.* Inde vir amiciſſimus, qui eruditum tractatum *de Maeandri origine ac flexibus* edidit Neapoli an. 1768. colligebat, Tralles a Maeandro (cui fluvio Magneſia adſita erat) abeſſe *tribus milliaribus*. Sed non recte, ut mihi videtur, & quidem ex duplici

capite: nam primo locus hic Plinii ad definiendam quidem Magneſiae a Trallibus diſtantiam apprime valet, Trallium vero a Maeandro non valet: deinde diſtantia Magneſiae a Trallibus non ſolis conſtat milliaribus tribus, ſed utique tribus ſupra quindecim milliaria, hoc eſt, milliaribus octo ac decem. Id enim verba Plinii *eo amplius* ſignificant, ut minor ſumma *trium* cum *quindecim* milliaribus, paullo ante memoratis, coacervanda ſit. Scilicet ea apud veteres fuit modeſtia ac parſimonia verborum. Enimvero ſaepe animadverti, Pauſaniam, enuntiaturum aliquam Olympiadem, non repetere ejus numerationem ab Olympiade Prima, ſed utique ab ea, quam proxime deſignarat; ut Eliac. I. 9. *Quinquageſima Olympiade Duumviris ex ipſa Eleorum civitate ſorte ductis, Olympiorum cura mandata fuit .... Quinta & viceſima Olympiade* (h. e. Olymp. LXXV.) *novem Hellanodicae creati .... Secunda deinceps Olympiade* (h. e. Olymp. LXXVII.) *additus eſt decimus* &c. Nec ſecus obtinuit in enumerandis paginis librorum. Illuſtre exemplum nobis ſuppeditat inſcriptio Gruteri p. CCXIV. ubi ex Commentario Quotidiano Municipii Caeritum primum indicatur *Pagina XXVII. Kapite VI.* Mox, *Inde Pagina altera Kapite primo*: poſtremo, *Inde Pagina octava Kapite primo*; h. e. pagina XXVIII. & pagina XXXVI. coacervatis nempe minoribus ſummis cum majore numero XXVII. ſuperius inſcripto.

Pag. 52. in Adnot. col. 2. lin. 18. *poſt* Καθαροῦ, *adde*: Sed audi nunc crimen, ut ille ajebat, majoris abollae. Joſephus, cum de Nabale (qui I. Reg. XXV. 3. dicitur *De genere Caleb*) verba faceret, vox vero *Caleb* tum nomen proprium Viri, tum *canem* ſignificaret; deceptus hac ultima notione dicit, Nabalem fuiſſe ἐκ κυνικῆς ἀσκήσεως, *e Secta Cynica*. Nec levius, Cicerone judice, peccarunt Latini veteres, qui ſtellas *Hyadas*, ἀπὸ τοῦ Ὕειν, a *pluendo*, dictas, ipſi ob imperitiam Graeci ſermonis *Suculas* verterunt, quaſi (ἀπὸ τῶν ὑῶν) a *Suibus* eſſent.

Pag. 130. lin. 1. *poſt* fuerint, *adde*: Docet id Cornelius Nepos, qui ubi narraſſet Chabriam (in ejus Vita cap. 1.) eo quod primus omnium docuiſſet Athenienſes, obnixo genu ſcuto, projectaque haſta excipere hoſtium impetum, voluiſſe, ut illo ſtatu ſibi ſtatua fieret, ſic dicere pergit: *Ex quo factum eſt, ut poſtea athletae .... his ſtatibus in ſtatuis uterentur, in quibus victoriam eſſent adepti.*

Pag. 250. lin. 13. *Ubi legitur*: Sed tum argentei, tum ærei ſunt inſcripti &c. *contrahe in hunc modum*: Sed ærei ſunt inſcripti ΑΡΠΑΝΟΥ. *Sane argenteus nummus, quem in ſchemate exhibui, habet* ΑΡΠΑΝΟΣ.

Pag. 251. lin. 25. *poſt* edidit, *adde*: quem ab eo deſcriptum, exhibere in ſchemate ſuperſedi.

Pag.

Pag. 259. *poſt* lin. 5. ΜΥΡΓΑΝΤΙΑ. Ex Pellerenio Supplem. III. Numiſm. pag. 95. qui controverſum urbis *Murgantiae* poſitum, recte conjicit, non procul a Campania eſſe metandum. Nam etſi colligi e Livio poſſet, Murgantiam ad Samnium pertinuiſſe; tamen cum typus numiſmatis, ac litterarum ductus, proxime ad nummos Tyrrhenicos ſive Oſcos Teani ac Nuceriae accedant; facile eſt ſuſpicari, non procul inde olim ſtetiſſe Murgantiam. Liviana porro Murgantiae metatio in Samnio ſic, opinor, intelligenda eſt, ut eo loco *Samnium* non pro regione Samnii ſtricte dicti, accipiatur; ſed protendatur etiam ad ſignificandos conterminos Samnio tractus, a Samnitibus occupatos. Samnites autem Nolae, Nuceriae, Compulteriae, Teani &c. aliquando dominatos, res eſt exploratiſſima.

Pag. 259. lin. 6. *Tres Neapolit. nummorum typos me exhibiturum profeſſus, duos tantum in ſchemate exhibui; nam tertium, ubi ſimplex bos pingebatur, fruſtra nunc is, qui numiſmata haec delineavit, in ingenti Ducis Nojae nummaria ſupellectile quaeſivit. Sed hunc quoque typum me olim vidiſſe, probe nemini.*

Pag. 266. lin. 30. *Nec Sybaritarum nummos aerea forma exprimere mihi curae fuit, contento amandaſſe lectorem ad laudatum Ducis Nojae Muſeum: quod ut publici juris per aeneas formas fiat, communibus votis exoptandum eſt.*

Pag. 276. lin. 23. *poſt* impenderetur, *adde:* At, inquies, ſi Buthyſia potius venationis, quam legitimi gymnici certaminis ſpecies fuit, quid attinuit, Puteolos in vacua diſſecti marmoris athletici ſede ſupponere, & inſerere iis urbibus, in quibus exploratum eſt, olim patuiſſe gymnaſia? Verum ſi ea quae nunc de Buthyſia diſputavi, tum mihi innotuiſſent, cum ſupplendo marmori operam dabam; haud fortaſſe de Puteolis cogitaſſem. Attamen facti non me plane poenitet. Nam ut ut excludatur Buthyſia; non continuo ſequitur, Gymnica certamina tunc temporis ignota Puteolis fuiſſe. Supra Cap. III. p. 37. ſeqq. demonſtravi, ſcalptum fuiſſe illud marmor Imperatore Hadriano. Succeſſit Hadriano Antoninus, qui Puteolis *Sacri Certaminis Iſelaſtici conſtitutor* in quodam vetere lapide dicitur. Vide dicta p. 144. adnot. 8. Antoninus autem non primus, opinor, gymnaſium Puteolis aperuit, ſed agonem gymnicum, qui ibi forſan edebatur, magnificentius a ſe in honorem patris ſui Hadriani inſtauratum, renuntiavit *Sacrum* & *Iſelaſticum*. Quo novo titulorum addito incremento, Puteolanus agon cum praeſtantiſſimis Graeciae certaminibus aequatus eſt.

IN-

INDEX AVCTORVM

Qui laudantur, notantur, explicantur.

AEgyptius (Matthaeus) *notatur*, pag. 234.
Antinorius (Antonius) Archiep. *laudatur*, 50.
Ariſtoteles *illuſtr.* 211. n. 32.
S. Auguſtinus *explicatur*, 221. n. 40.
Auguſtinus (Antonius) *not.* 262. n. 40.
Auliſius (Dominicus) *laudat.* 17.
Auſonius *defenditur*, 60.

BEgerus *not.* 269.
Berkelius *not.* 21. n. 4.
Burmannus (Petrus) *not.* 211. n. 32. *laud.* 235.

CApacius (Jul. Caeſar) *not.* 234. 249.
Capycius (Cajetanus) *laud.* 60. n. 13.
Caracciolus (Franciſcus) *laud.* 50.
Carafa (Joannes) Dux Nojae *laud.* 149. n. 1.
Carrera (Petrus) *laud.* 236.
Corſinius *not.* 43. 61. n. 14. 151. 293. n. 11. 12.
Caſaubonus (Iſaacus) *laud.* 43. n. 9. *not.* 240.
Caſtellus (Gabriel) *laud.* 236.
Cenſorinus *illuſtr.* 47. n. 1.
Cicero *illuſtr.* 20. *explic.* 161. & *ſeqq.*
Codex Theodoſianus *explic.* 132.

DIo Caſſius *illuſtr.* 65. 218. *defenditur*, 77. n. 7.
Dio Chryſoſtomus *explic.* 101. 140. n. 2.
Diodorus Siculus *laud.* 243.
Dodwellus (Henricus) *not.* 43.
D'Orvilius (Philippus) *not.* 286. n. 6.

FAber *not.* 116. n. 4. 147. n. 10.
Fabricius *not.* 224.
Falconerius *laud.* & *not.* 23. n. 10. *not.* 116. n. 4.
Feſtus *explicat.* 301. n. 21.

GAlianus (Berardus) *laud.* 236. n. 5.
Gruterus *not.* 278.
Guarnaccius (Marius) *not.* 233. n. 2. 249. n. 2. 262. n. 40. 267. n. 46.
Guietus *not.* 22. n. 6.

HArduinus *not.* 250. n. 20.
Harpocration *defenditur* 62. *illuſtr.* 294.
Herodianus *illuſtr.* 27.
Heſychius *defend.* 311. n. 28.
Homerus *illuſtr.* 67. 282. n. 3.
Horatius *illuſtr.* 69. n. 22.

INſcriptiones illuſtratae.
Aenariana inedita, 300.
Calatina 235. n. 4.
Frinianenſis 130. & *ſeqq.*
Gruterianae 43. 44. 278. & *ſeqq.*
Hiſtonienſis 49. 50. n. 3.
Neapolitanae 61. n. 14. 104. & *ſeqq.* 150. & *ſeqq.* 166. n. 5. 220.
Panormitana 51. n. 4.
Pauſylipana 174.
Puteolana inedita 161. n. 2. *altera* 289.
Romana 178. n. 14.
S. Juſtinus Martyr *illuſtr.* 212.

LAſena (Petrus) *laud.* 17. *not.* 147. n. 11.
Livius *explic.* 95. n. 2. 160. n. 1.

Ma-

MAcrobius *laud.* 241.
Magnonius (Paſchalis) *not.* 263.
Mazochius (Alexius Symmachus) *defend.* 31. 108. n. 2. 131. n. 5. 197. n. 13. *laud.* 222. 234. 265. 269. 237. n. 7. 246. 257. 301. n. 21.
Mauſſacus *not.* 62.
Melillus (Michaël) *laudatur* 300. n. 19.
Mercurialis *not.* 116. n. 4.
Meurſius (Joannes) *laud.* 223.

NOdotius *laud.* & *not.* 188. n. 8.

PAlmerius *not.* 64. n. 17.
Pauſanias *emend.* 32. n. 9. 58. n. 11. *illuſtr.* 42. n. 8. 70. n. 23. 213.
Pellerenius *not.* 254. n. 26.
Pellegrinius *not.* 169.
Petronius *explic.* 124. n. 2. *illuſtr. a p.* 182. *uſque ad p.* 221.
Philoſtratus *illuſtr.* 191. *a p.* 221. *uſque ad p.* 226.
Phoeniciarum Coloniarum Scriptor *laud.* 250. n. 21. 277. *not.* 184. n. 6. 234. 282. 285. 289. n. 8. 291. 293. 296. 297. 299. 311.
Pighius (Stephanus Vinandus) *laud.* 236. *not.* 245. n. 15.
Plato *illuſtr.* 25. 70. n. 23.
Plinius *illuſtr.* 55. 72. n. 25. 86. *emend.* 56. n. 10. *defend.* 60. *explicatur* 251. *reſtituitur* 268. n. 48.
Plutarchus *illuſtr.* 34. n. 11. *explic.* 236. n. 5. *defend.* 250. n. 21.
Propertius *illuſtr.* 254.

REineſius *not.* 23. n. 8. 49. 50. n. 2. 213. n. 35. 285.
Ronchius (Dominicus) *commend.* 258. n. 35.
Rovignus (Franciſcus) *commend.* 256.

SArno (Robertus de) *laud.* & *not.* 191. n. 11.
Scaliger (Jul. Caeſar) *laud.* 58. 67. 71. n. 24 254. 255. n. 28. 304. *not.* 60. 303. 310.
Schefferus *not.* 212. n. 34.
Scriptura Sacra *illuſtr.* 102. 284. n. 5. 291.
Scutillus (Dominicus) *laud.* & *not.* 274. n. 1.
Sophocles *explic.* 239.
Statius *explic.* 120. n. 13.
Stephanus Ethnicographus *emend.* 20. *defend.* 64. n. 16. *not.* 247.
Strabo *illuſtr.* 21. 28. n. 4. 56. n. 10. 171. 255. n. 29. *explic.* & *defend.* 64. & *ſeqq.* n. 17. *explic.* 95. & *ſeqq.* 166. n. 5. 198. n. 17. 277. 284. n. 5. *refellit.* 67. n. 21. *not.* 247.
Suetonius *illuſtr.* 23. n. 7. 27. n. 3. 42. n. 7.
Suidas *not.* 25. n. 11.

THecae Calamariae Scriptor *laud.* 109. *notatur* 77. n 7. 91. n. 3. 4. 92. n. 5. 100. n. 2. 111. n. 6. 118. 130. n. 4. 131. n. 5. 6. 133. n. 9. 143. n. 6. 150. n. 3. 151. 152. n. 8. 153. n. 10. 155. 165. 166. n. 5. 168. n. 6. 169. 172. 178. n. 14. 190. n. 10. 197. n. 13. 15. 220. 234. 259.

VAillantius *not.* 265. 285.
Valeſius *laud.* 76.
Vandalus *not.* 23. n. 9. 27. 117. n. 5.
Venutus *laud.* 99. n. 1.
Virgilius *illuſtr.* & *not.* 68. n. 22.
Vitruvius *explic.* 100. & *ſeqq.*
Vrſinus (Fulvius) *laud.* 241.

XYlander *not.* 71. n. 24. 77. n. 7. 166. n. 5.

IN-

INDEX

RERVM ET VERBORVM.

A

ABantes iidem ac Chalcidenſes. p. 254.

Abdita loca, num faviſſae ſive theſauri, ubi ſigna vetera recondebantur, p. 131. an potius loca obſcura, nulliuſque nominis. Ib. *Ex abditis locis* ſigna transferri vetita. Ibid. & p. 132.

Acclamationes hieronicarum. p. 35. n. 12. p. 36.

Acheloi, fluminis Acarnaniae, converſio in taurum humano vultu ſuperſtite. p. 239. Ad hanc metamorphoſin compoſita biformis tauri ſpecies, in nummis Acarnaniae, Italiae, ac Siciliae obvia. Ibid. Achelous pro *aqua*, uſurpatus apud veteres, p. 241. & quamobrem. Ibid. Ejus *cornu copiae*. p. 242. Achelous ſub ſpecie bovis barbati ſignatur in nummis Italicis, uti ſymbolum ubertatis agrorum, p. 244. Id ſymbolum in Aetolia primitus excogitatum, p. 243. n. 12. deinde a Chalcidenſibus Ambraciotis invectum in Italiam, p. 244. p. 254. Cur in numiſmatis Campaniae ſupervolitante Victoria, cudatur. p. 245. Numiſmata Acheloia plura recenſentur, p. 250. ſeqq.

Actia certamina Nicopoli, Antiochiae, Alexandriae edita, p. 63. ſeqq. quando inſtituta. V. Auguſtus.

Agones gymnici. V. Certamina.

Ad Arcum veterem regio quaedam urbis Neapolis, p. 191.

Aegyptii cur *pingendi audacia* picturae fata maturaſſe dicantur. p. 124. n. 2.

Aenariae murus a Syracuſanis conſtruitur. p. 301. n. 20.

Aeolica migratio. p. 74.

Aes. Ex ære parabantur praemia athletarum. p. 82. n. 2.

Aeſerninorum nummi. p. 250.

Aetates ad palaeſtram idoneae, p. 38. interdum athletae diſpares aetatibus committebantur. p. 40. *Certare per omnem aetatem*, quid in reſcripto Diocletiani. p. 147.

Ἀέτος & ἀέτωμα quid in re tectonica. p. 103.

Ἀγαθῇ τύχῃ, formula contra faſcinationes, p. 18. Latine eſt *Praefiſcine*. Ib. n. 1. Cur fauſtum hoc omen infauſtis quoque argumentis veteres praemiſerint. p. 19. n. 2.

Ἄγαλμα Ἡλίου in vetere quadam epigraphe non eſt *Solis Victima*, ſed *Solis imago*. p. 178. n. 14.

Agonotheta, qui. p. 142. Hujuſmodi munus praeſentibus deferebatur. p. 110. Agonotheta quo differat a Gymnaſiarcha. p. 142. n. 5. Claudius ac Titus Impp. in gymnaſio Neap. Agonothetae. p. 141. ſeq.

Alexandriae certamina gymnica. V. Actia.

Alexandrinis patrium fuit gerere cognomina, p. 20. p. 315.

Alexunteria apud Stephanum Ethnic. non eſt Alexandria. p. 21. n. 4. Quid revera ſit. Ibid.

Ambraciotae Chalcidenſes, Cumarum conditores. p. 254.

Amphitheatrum Neap. pro Stadio gymnaſii, p. 120. n. 13.

Am-

Ampulla, in qua oſſa Sibyllae Cumanae requieſcebant. p. 211. ſeqq.
A'νδρειὰς, quid. p. 28. n. 4.
Anni unius ejuſdemque duplex conſignatio. p. 155.
Antinoiton phratria. V. Antinous.
Antinous ab Hadriano amatus, uti Deus cultus a Graecis. p. 260. ejus Sacerdotes, & Oracula. Ibid. Sub ſpecie Apollinis exhibitus in nummis Neapolitanorum. Ibid. Ab Antinoi nomine Phratria Antinoiton dicta Neapoli. p. 144. n. 7.
Antiochiae certamina gymnica. V. Actia.
Apluſtre in nummis, eſt indicium urbis maritimae. p. 263.
A'ποβάτης in certamine equeſtri. p. 175. n. 11.
A'πὸ καταλύσεως οἰκεῖν, quid in inſcriptionibus athleticis. p. 23. p. 24. n. 10. p. 294. n. 14. p. 315.
Aquilae legionariae, indicium Coloniae militaris. p. 270. n. 50.
Aichibius, cognomen Alexandrinis familiare. p. 33.
A'ρχιερεὺς διὰ βίȣ. p. 34.
Archontes Coloniae Tyri. p. 185.
Arcuovo. Hujus vocis Italicae originatio. p. 250.
Argivorum in Homerum obſervantia. p. 85. n. 7. Argivum certamen æreum. p. 86.
A'ργος ἵππιον. V. Arpi.
Arpi, urbs Dauniae. p. 250. Ejus nummi, ubertas, opulentia. Ibid. An vere a Plinio dicatur, frumentum ibi ſatum non naſci. p. 251.
Arpinum, oppidum, an antiquitus *Arpi* dictum. p. 250.
Arpinum Ciceronis praedium. p. 250. n. 20.
Articuli praepoſitivi vis ſequente conjunctione. p. 33. Ejus vis emphatica. p. 274.
Aſclepiades athleta quo anno vicerit. p. 43. ſeq.
Aſia, quae preſſius olim diceretur a Graecis Latiniſque Scriptoribus. p. 77.
Aſianae civitates terraemotu collapſae quare monumentum Tiberio reſtitutori poſuerint Puteolis. p. 290.
Aſiarchae in ludis gymnicis. p. 78. ſeq.
A'σπὶς ἐξ A'ργους, unde hoc ludicri genus originem duxerit. p. 81. An inſtitutum, ut exprimeretur Homerica armorum Glauci cum Diomedis permutatio. p. 85.
Athletae *Vrbani* qui. p. 180. cur Περιπολιστικοὶ i. e. *cricumforanei* dicantur. p. 24.
Athletarum hoſpitia. p. 24. p. 313. obſonia publice data. p. 72. aetates. V. Aetates. Immunitas a publicis muneribus. p. 73. Athletarum nomina faſtis mandata. p. 2. p. 29. Elogia & acclamationes. p. 35. n. 12. V. Hieronicae.
Athletarum palma prima, ſecunda, tertia. p. 41. n. 5. Probationes & proludia. p. 176.
Auguſtalia (Σέβαστα) certamina, in honorem Auguſti inſtituta, p. 139. edita Alexandriae ac Neapoli, p. 141. p. 152. n. 6. quando Neapoli inſtituta, p. 148. aequiparata Olympiis, & *Iſolympia* dicta. p. 152. Inde Olympiades Italicae decurrere incipiunt. p. 154. ſeqq.
Auguſtae cognomen a Senatu conceſſum Civitatibus. p. 218.
Auguſtus Caeſar, quando quave de cauſa Actia Nicopoli ediderit. p. 63. Num potius pridem inſtituta inſtaurarit, p. 60. n. 15. quid in Actiis innovarit. p. 65.
Αὐλῳδία cur e ludis Pythicis ab Amphictyonibus ſublata. p. 58. n. 11.

B

B. Hujus litterae antiqua delineatio. p. 262. n. 40.
Baebius an patronus Coloniae Neapolitanae. p. 31. n. 7. p. 197. n. 13. 15.
Balbillia certamina Epheſi, unde dicta. p. 76.
Baſilica Colonia apud Petronium, idem ac Auguſta. p. 200.
Batrachus ſculptor, quo artificio nomen ſuum expreſſerit. p. 236. n. 5.
Beſtiarii gladiatores. p. 274. n. 1.
Bos in nummis ſignatus, eſt agriculturae index. p. 236. Atque indicium Coloniae plebejae. p. 270. n. 50. A bobus mactandis veterum religio. p. 238. Bos barbatus. V. Semibos.
Βουλὴν ἄγειν, ἐπαγγέλλειν. p. 302.
Βουθυσία quid, p. 230. unde dicta. p. 273. An eadem ac Buphonia. p. 274. Buthyſiae agon Puteolanus, p. 230. potius venationis, quam ſacrificii ſpecies. p. 274.
Brunduſium an unquam Graecum oppidum. 78. n. 7.

C

ΚΑὶ interdum loco encliticae Τε. p. 286.
Calatia, duplex in Campania. p. 251. Nummi quomodo diſtinguendi. p. 252. Calatinorum numen patrium *Hebon*. p. 235.
Calenum municipium Rom. p. 252. Ejus nummi. Ib. *Cales* primitivum municipii vocabulum. Ibid.
Calliphana Velienſis, ſacerdos Cereris. p. 163.
Καλῶς ἐπιφωνεῖν. p. 311.
Calpurnius (L. & C.) Capitolinus. p. 289.
Campaniae fertilitas. p. 245. Cur in ejus nummis ſemibos vir, ſupervolitante Victoria, cudatur. Ibid.
Capitolinus agon, muſicus ac poëticus. p. 47. quinquennalis. Ib. n. 1. Quando inſtitutus. p. 48. cur *Sacer* dictus. p. 53.
Καπίλυσις. p. 23. n. 10. p. 192. n. 12. p. 294. n. 14. p...
Κατοικία, *Colonia*. p. 309. n. 26.
Cereris Sacerdotes Romae plerumque Neapolitanae aut Velienſes. p. 161. Ejus ſacra ritu Graeco peracta. p. 161. ſeq.
Certamina gymnica. Actia, p. 63. Ἀσπὶς ἐξ Ἄργους. p. 82. Auguſtalia. p. 139. Balbillia Epheſi. p. 761. Buthyſia Puteolis. p. 273. Capitolina. p. 46. Commune Aſiae, p. 77. Epinicia Trajani. p. 54. Εὐσέβεια (ſive *Pialia*) Puteolis. p. 145. Hecatombaea Argis. p. 82. Iſolympia Neapoli. p. 152. Iſthmia, Nemea. p. 57. Neronia, p. 158. Olympia. p. 67. Pythia. p. 57. ſeqq.
Certamina olim, ſpe praemii conſequendi inita, ſero *coronaria* evaſerunt. 67. Quae *Sacra* preſſius dicta. p. 71. quae *Iſelaſtica*. p. 72. Quo *Sacrum* certamen ab *Iſelaſtico* differat. p. 144. n. 8.
Certamina Quinquennalia per ſiglam E notata. p. 47. n. 1. Equeſtria. p. 174.
Certaminum proludia. p. 176.
Chalcidenſes iidem ac Abantes. p. 254. Horum in Italiam ac Siciliam coloniae. p. 255. n. 29.
Χάλκειος ἀγὼν (*aereum certamen*) Argis, unde ſic dictus. p. 83.
Χαρώνειον, Ditis ſpiraculum. p. 276. n. 2.
Claudius Imp. Neapoli Agonotheta. p. 141.
Clivus Neapolitanus (*Capo di Chino*) p. 189. huc indicta a Neapolitanis nudipedalia, pluviae impetran-

trandae cauſa. p. 190. n. 9.
Clypeus quo differat a ſtatua. p. 28. n. 4.
Coccejus, architectus Cryptae tum Neapolitanae, tum Cumanae. p. 166. n. 5.
Cognomina bina uni homini impoſita. p. 33.
Κοινὸν Ἀσίας. p. 77. p. 79.
Colonia Baſilica, eadem ac Auguſta. p. 200. Quaenam Coloniae in Italia habuerint jus feriendae monetae. p. 265. *Coloniae*, (Ital. *colonne*) ſocietates mercatorum. p. 309. n. 26.
Conſules Romae, qui Majores quive Minores, p. 301. n. 21. Conſules Suffecti dicti *Minores*. Ibid.
Convivia poſt rem ſacram inſtructa. p. 82. n. 2. p. 87. n. 9.
Copia, tranſnominatur urbs Thurium a deducta colonia. p. 247.
Cornu Copiae ab Acheloo decuſſum, traditumque Aetolis. p. 242. Ejus ſignificatio. Ibid. Ejus vice ſignatus in nummis Semibos barbatus. p. 248.
Coronarum an meminerit Homerus. p. 68. n. 22. Coronae olim Diis, non victoribus athletis oblatae. Ibid.
Κρίνειν, ejuſque compoſita, in uſum argumenti athletici. p. 176.
Κρίσις, dicta dies, qua judicium de athletis ferebatur. p. 176. Quid Κρίσεως πένταθλον, Κρίσεως παγκράτιον. Ibid.
Criticus dies. V. Dies criticus.
Crotoniatarum conſilium abolendi Olympici certaminis. p. 43. n. 9.
Crypta Neapolitana. p. 187. n. 7. Ejus architectus Coccejus. p. 166. n. 5.
Cumae Campaniae, vetuſtiſſima coloniarum Italicarum. p. 254. Cur *Theſproti regnum* a Propertio dicantur. Ibid. Quo ſenſu a Grammaticis adſcribatur Siciliae. p. 255. Cur *Cyme Liternum* in vetuſtiſſimis nummis conjunctim ſcribatur. p. 253. n. 25.
Cumani, origine Graeci, quando facti cives Romani. p. 95. n. 2. Ipſis permittitur, ut publice latine loquantur. Ibid. Nummi Κυμαίων inſcripti communes Cumis Italicis cum Cyme Aeolica. p. 253. Quo pacto uni ab alteris ſint diſtinguendi. Ibid. Cumarum conditores a Chalcide, an ex Ambracia in Italiam navigarint. p. 254. p. 255. n. 28. Cumanum ſepulcrum Sibyllae. p. 212.
Cupa, quid in re tectonica. p. 104. n. 8. inde orta vox Italica *Cupola*. Ibid.

D

DElphinium, templum Apollini dedicatum. p. 92. n. 6.
Delphinus in nummis, eſt indicium maritimae urbis. p. 263.
Demarchus, ſupremus Neapoli magiſtratus. p. 110. Titus & Hadrianus Impp. Neapoli Demarchum egerunt. p. 111. p. 142. p. 144.
Demetros. V. Cereris.
Diauli deſcriptio. p. 153. n. 9.
Dierum nomenclatio a Planetis, quando in uſum civilem inducta. p. 209.
Dies critici in re Medica unde dicti. p. 178. n. 14. Dies *criticus* oppoſite ad *genethliacum*, eſt emortualis. Ibid.
Diomedis arma cum Glauci permutata, an occaſionem Argivo certamini æreo dederint. p. 83. ſeq.
Diphthongi AI, OI, interdum correptae. p. 286. n. 6.
Duodenarii numeri religio apud veteres. p. 74. n. 1. duodenarius numerus, conſueta populorum diviſio. Ib.

Duſaris cultus Puteolis. p. 291.

E

E, Nota quinquennalis certaminis. p. 47. n. 1. p. 80. n. 1.

Ε᾽κατόμβαια, agon gymnicus apud Argivos, p. 83. ab hecatombis ne immolatis, an ab hecatomboeis Glauci armis, cum Diomede permutatis. Ibid.

Ε᾽κατόμβη, tum de victimis ſacrificiorum, tum de menſarum ferculis. p. 82 n. 3.

Echelidae, pagus Atticae. p. 81. Ibi gymnica ſpectacula agitata. Ib. & p. 82.

Echûs repetitiones in ſepulcro Sibyllae Cumanae loco prodigii habitae. p. 214.

Ε᾽ισελαύνειν, de hieronicis dictum. p. 72.

Eleorum prytanenm. p. 70. n. 23.

Elis an Piſatidem aevo Homerico complecteretur. p. 67. n. 21.

Ε᾽νεργεία. p. 52. n. 4.

Ephebeum, locus exercitiis puerorum dedicatus, p. 101. Herculi ſacer. Ibid. Cur Πέτασος a Scriptore Machabaic. dicatur. p. 105. *Ephebeum*, & *Ephebia* aevo ſequiore idem, ac *Lupanar*. Ib.

Ephemerii, Senatores qui per diem vices agebant in Senatu: p. 304. *Ephemeria*, ipſum ſtato die exercitium. Ib.

Epheſus, Jonici conventus particeps. p. 74. ibi certamen *Balbillia* frequentatum. p. 76.

Epinicia Trajani certamina, quando quave in urbe inſtituta, p. 37. n. 1. p. 54. n. 6. 7. p. 55. n. 8. an primum edita a Plinio Bithyniae. p. 55. Iſelaſtica a Trajano facta, p. 57. communia Heracleotis cum Tianis. p. 56.

Ε᾽πιφωνεῖν καλῶς, formula laudantis. p. 311.

Ε᾽ποίκιον (Ital. *piggione*) merces pro domo conducta, p. 295. n. 15. quo differat a μετοίκιον. Ib.

Eumelidarum phratria. p. 150.

Eumolpus poëta coronatus. p. 206.

Eurypylus heros. p. 84.

Εὐσέβεια Puteolis inſtituta. p. 145. p. 229.

Euthaleos elegans epitaphium. p. 286. n. 6.

Exhedrae Gymnaſii, a philoſophis occupatae. p. 100. Exhedra Herculis in Gymnaſio Neapol. eſt Ephebeum. p. 101.

F

FAbricae, a forma, quam exhibent, nomen mutuatae. p. 103.

Faviſſae, ſeu theſauri, ubi ſigna vetera recondebantur. p. 131. n. 8.

Flavia gens, hoſpita Neapoli. p. 31. p. 33. n. 10. Flavia colonia Puteoli. Ib. & p. 229.

Flavius, cognomine Archibius, Alexandrinus, periodonices, quem honorem Neapoli conſecutus ſit. p. 26. Cujus loci ac dignitatis fuerit, p. 32. p. 34. qua aetate certarit. p. 37. p. 46.

Foedus Neapolitanorum cum Romanis. p. 160. n. 1.

Fratres, quos Paulus Apoſt. Puteolis reperit, Chriſtiani, non Ethnici fuerunt. p. 291.

G

GLadiatores Manicarii. V. Manicarii.

Graeca lingua num aevo Auguſteo vernacula Neapoli. p. 175.

Graecari cur male ſonaret latinis auribus. p. 82. n. 3.

Grae-

Graeci antiqua urbium vocabula barbarica vel per interpretationem efſerebant, p. 185. n. *6.* vel interpolabant. p. 265. n. 44.

Graecia antiqua in reſcripto Diocletiani Imp. eſt Graecia tranſmarina, non Italica. p. 147. Graecia Magna tum dicta, cum haec regio Italiae Graecis oppidis abundabat. p. 154. an Graecia Magna Neapolim comprehenderet. p. 153.

Graecorum migrationess. p. 74.

Graphices ars liberalis. p. 134. Ipſius opus praecipuum in recta *Nudi* delineatione conſiſtit. p. 126. hujus rudimenta quam infeliciter hodie tradantur. p. 127. Praeſidia ad hanc comparandam neceſſaria Graecis abunde ſuppetebant. p. 128. Ipſius jactura e deſuetudine palaeſtrarum repetenda. p. 122. ſeqq.

Gymnaſiarcha qui p. 142. n. 5. an idem ac Xyſtarcha. p. 116.

Gymnaſium, quoddam fabricae genus exercitationibus athleticis comparatum. p. 89. ſeqq. Gymnaſii aedificandi rationes e Gymnaſio Neap. collegit Vitruvius. p. 99. ſeqq. Gymnaſii abolitioni imputandum, quod Graeci Italici ad barbariem defecerint, p. *96.* & quod optima Graphices ratio interciderit. p. 122. ſeqq.

Gymnaſium quo conveniat cum Palaeſtra ac Xyſto, p. 114. Gymnaſium ſecutis temporibus pro Diatribis Philoſophorum, p. 100. aevo ſequiore pro balineo, p. 117. & pro thermis, p. 119. & quamobrem, p. 117. n. 7. Gymnaſii Neap. Stadium aevo infimo dictum Amphitheatrum. p. 120.

Gymnaſium cur a Statio dicatur *Nudum theatrum*. p. 120. n. 13.

Gymnaſia quando quave de cauſa in deſuetudinem abierint. p. 119.

Gymnaſiorum ſacrificia quando ſublata. p. 34. Gymnaſiorum parietes. p. 93. n. 8.

Gymnaſticae artis utilitas & pretium. p. 1. ſeqq.

H

HAdrianus Imp. Neapoli Demarchus. p. 143.

Hebon idem ac Bacchus, cultus a Neapolitanis, p. 234. ſeq. & Calatinis. Ibid. perperam putatur, exprimi in nummis ſub effigie bovis barbati. Ibid.

Hecatombe, & Hecatombaea. V. Ἑκατομβ.

Heraclea Bithyniae, p. 54. n. 5. *6.* An ibi inſtituta *Epinicia* Trajani, id agente Plinio. Ib.

Herculaneum oppidum an aetate Petronii ſuperſtes. p. 188. n. 8.

Herculis artifices, p. 23. n. 10. Exhedra, p. 101. Porticus. p. 188. n. 8.

Hiero murum in inſula Aenaria exſtruxit, p. 301. n. 20. Hieronei juniores qui fuerint, p. *66.* n. 20.

Hieronicae plurium urbium cives renuntiati. p. 32. Hieronicarum triumphus in patriam p. 72. Hieronicis victus e publico ſuppeditatus in Prytaneo. p. 70. Hieronicarum immunitas a muneribus publicis quibus limitibus a Diocletiano coarctata. p. 172. p. 147.

Homerus quando floruerit. p. 75. n. 2. ab Argivis cultus. p. 85. n. 7. tamquam artium ſcientiarumque origo prima a veteribus habitus, p. 83. Quo ſtudio populi Graeciae actu exſequi ſtuduerint, quae Homerus cecinerat. Ibid. An Olympici certaminis meminerit. p. *67.* n. 21.

Hyrina, urbs Italica, incerti poſitûs. p. *268.* Hyrinaeorum nummi. Ib.

I

IMago quid preſſius notet . p. 28. n. 4.

Inquilini pendebant penſionem inquilinatus urbi, in qua morabantur. p. 294.

Inſcriptiones qua diligentia ſcalptae a veteribus. p. 51.

Jonica migratio. p. 74.

Iria, urbs Italica, prope Frentanos. p. 256. Eadem ac *Uria*, ſive *Varia* Plinii. p. 257. Ab ea dictus lacus *Varanus*. Ib. Hujus urbis nummi. Ib.

Iſelaſtica certamina, cur ita dicta, p. 72. quo differant a *Sacris*. p. 144. n. 8.

Iſolympia certamina, quaenam fuerint. p. 46.

Iſthmia certamina trieterica, p. 60. quo ſenſu iis imputetur pentaëteris. p. 60. ſeqq.

Italia *ſuburbana* quaenam diceretur. p. 265.

Juno *Lacedaemonia* num Crotone culta. p. 32. n. 9.

L

LAtina lingua conceſſa loco beneficii Graecis oppidis. p. 95. n. 2. Latinus ſermo Neapoli vernaculus. p. 199. n. 17.

Larinum, oppidum in Frentanis. p. 257. Ab eo aliud eſt, quod exſtat in Comitatu Moliſii & Capitanatae. p. 258. Hujus urbis nummi. Ibid.

Laus, urbs Lucaniae a Sybaritis condita. p. 258. Ipſius nummus ineditus. Ibid.

Leges antiquae de non transferendis ſignis. p. 131. n. 7.

Λειτουργεῖν, quid. p. 296.

Lingua Graeca, Latina. Vide ſuis locis.

Liternum, urbs, fluvius, lacus. p. 253. Cur in nummis Cumanorum adſcribatur. Ibid.

Loca abdita, unde lex transferri ſigna vetabat, ſaviſſae ne fuerint, an pagi, & vici obſcuri, nulliuſque nominis. p. 131.

Lucceii (Gnei) Pater & Filius Praetores Puteolis. p. 161. n. 2.

Luctae variae ſpecies. p. 128.

Lupanar aevo ſequiore ſynonymum cum Ephebeo. p. 102.

Luſtrum Capitolinum, p. 47. luſtrum ad ludos relatum, quadriennium abſolutum notabat. p. 47. n. 1.

M

MAgna Graecia. V. Graecia. Magneſiae a Trallibus diſtantia. p. 315.

Majores & Minores Conſules, qui. p. 301. n. 21.

Mamertinis cur *Bruttiorum* cognomentum addatur. p. 258. n. 34. Ipſorum nummi. Ibid.

Manicare aevo medio idem ac *matutinum agere*, p. 274. n. 1.

Manicarii gladiatores dicti, qui matutino ludo prodibant. p. 274. n. 1.

Meddix Tuticus, Oſcorum magiſtratus. p. 264. n. 43. p. 301. n. 21.

Melancomas athleta a Tito Imp. amatus, p. 143. n. 6.

Mercatores, qui Puteolis negotiabantur. p. 282.

Metapontini aeſtatem auream Delphis dedicant. p. 28. n. 4.

Μετοίκιον, penſio quam inquilini in urbe non ſua pendebant. p. 295. n. 15.

Μισθὸς quid. p. 294.

Modulata laudatio. p. 23. n. 7.

Monetae feriendae jus quaenam Coloniae in Italia habuerint. p. 265.

Murus diſſectus in tranſvectione athletarum. p. 145. n. 8.

N

N Littera, notis numeralibus addita. p. 295.

Ναυαρχεῖν, de imperio maris, & de poteſtate aedificandae claſſis dicitur. p. 285.

Neapolis, ſive Palaepolis, an in Magna Graecia cenſenda. p. 153. A Romanis triumphata, poſtea cum iis foedere non aequo jungitur, p. 160. n. 1. Ex foederata civitate ad Municipium per legem Juliam evaſit, p. 161. ſeqq. inde magiſtratus habuit aevo Strabonis partim Graecanicos partim Latinos, p. 198. n. 17. an ſub Flaviis Imp. jura coloniae acquiſierit, p. 31. n. 7. p. 197. n. 14. Sub Hadriano nondum ad Coloniam perveniſſe oſtenditur. p. 201. Sub Antoninis Imp. facta Colonia Auguſta, p. 218. Hujus Coloniae acquiſitae Epocha. p. 217. ſeqq.

Neapolis, urbs deſcripta a Petronio. p. 182. Neapolis cur ad barbariem non defeciſſe Straboni dicatur. p. 98. Neapoli Impp. Titus & Hadrianus *Demarchi*. p. 110. p. 143.

Neapolitana Palaeſtra Vitruvianis rationibus exacte reſpondens. p. 99. ſeq. ab Imp. Tito reſtituta. p. 107. ſeqq. Aevo poſteriore in *Thermarum* nomen conceſſit. p. 120. ac poſtremo *Amphitheatri*. Ibid. Neapolitanae Palaeſtrae *agonothetae* Claudius. p. 141. Titus. p. 142. & Hadrianus. p. 144.

Neapolitana gymnica certamina cum praeſtantiſſimis Graecorum comparanda. p. 141. hinc dicta *Iſolympia*. p. 152. pluribus, quam in Graecia, diebus abſoluta. p. 140. n. 2. Urbe facta Municipio, imminui coeperunt. p. 159. hinc operâ peregrinorum artificum inſtaurata. p. 17. p. 173. ac tandem facta Colonia, refrixerunt. p. 147. quamdiu durarint. p. 138. Neapolitanae Coloniae patroni. p. 197. n. 13. 15.

Neapolitani pueri athletae. p. 180. Neapolitanorum vulgus an Graece loqueretur aevo Auguſteo. p. 175. Neapolitanorum nummi. p. 259. Olympiades. p. 154. ſeq. Certamina equeſtria. p. 174. Phratria *Antinoiton*. p. 144. n. 7. p. 202. p. 260. Eorum cultus erga *Antinoum*. Ib. & *Hebonem*. p. 234.

Neapolis in ſinu Bajano, urbs commentitia. p. 166. n. 5.

Nemea certamina. p. 60.

Neronius agon an agitatus Neapoli. p. 158.

Noctua, ſapientiae ſymbolum. p. 243.

Nola, urbs Chalcidicae originis. p. 261. Nolanorum nummi. Ibid.

Nomina feminea impoſita maribus. p. 313.

Nudi ſcientia Picturae neceſſaria. p. 126. ſeq.

Nudipedalia, impetrandae pluviae causâ. p. 190.

Numerorum ſupputandorum breviloquentia apud veteres. p. 41. ſeq. p. 313. ſeq. Numerus duodenarius religioſe habitus. p. 74. n. 1.

Numiſius Theatri Herculanenſis architectus an Vitruvii ſocius. p. 99. n. 1.

Numiſma idem ac nummus aureus. p. 296.

Nummi Acheloii. p. 248. ſeq.

Nummi Aeſerninorum. p. 250. Arpanorum. Ib. Calatinorum. p. 251. Calenorum. p. 252. Cumanorum ad Liternum. p. 253. Irinorum prope Frentanos. p. 256. Larinorum. p. 257. Lainorum. p. 258. Mamertinorum Brettiorum. Ib. Murgantinorum. p. 315. Neapolitanorum. p. 259. Nolanorum. p. 261.

261. Orrae Locrorum. p. 253. n. 25. 8iſtuvis, ſive Paeſti. p. 262. ſeq. Poſidoniae. p. 264. Sueſanorum. p. 266. Sybaritarum. Ibid. Teani Sidicini. p. 267. Teiorum. p. 267. n. 46. Urinorum ſive Hyrinorum. p. 268. ſeq.

O

ODei ſtructura. p. 103. n. 6.
Olympia certamina an ab Homero memorata. p. 67. n. 21. Olympia Piſae inſtituta, alibi quoque frequentata. p. 64. Olympia certamina moliuntur abolere Crotoniatae. p. 43. n. 9.
Olympiades vergente altero Chriſti Saeculo celebratae. p. 156. Olympiades Alexandrinae exploſae. p. 43.
Olympiades Italicae ſeu potius Neapolitanae. p. 154. unde exordiendae. p. 155. ſeqq.
Olympicus agon quot diebus abſolutus. p. 176. n. 12.
Opera tum artificum tum Scriptorum ſub alieno nomine edita. p. 111. n. 6. Opera exacta a Stationariis. p. 296.
Opus, opera. p. 52. n. 4.
Ordinare, & *Sculpere*, quid. p. 53.
Orra Locrorum urbs. p. 253. n. 25.
Ovum quid in re tectonica. p. 103. n. 5.

P

PAeaniſtae. p. 23. n. 7.
Palaeopolitani a Romanis triumphati. p. 160. n. 1. Cetera vide in *Neapolis*.
Palaeſtra quo conveniat cum Xyſto, & Gymnaſio. p. 114. Palaeſtrae uſu cur civibus interdicerent tyranni. p. 2. Cetera vide in *Gymnaſium*.
Πανηγύρις & Πενταετηρὶς pro ſynonymis habitae. p. 62.
Παραδοξονίκης qui. p. 34. p. 35. n. 4.
Parentheſes non obſervatae, officiunt perſpicuitati lectionis. p. 166. n. 5.
Pentaëteris litterâ E notata. p. 47. n. 1. interdum non pro quinquennali ſpatio, ſed pro quavis periodo feſti conventûs, accipitur. p. 62.
Περιοδονίκης qui. p. 35. n. 11. p. 60.
Περίπατος. p. 97. n. 3.
Periodus certaminum. p. 35. p. 60.
Περιπολιςικοὶ cur athletae dicantur. p. 22. n. 5. p. 24.
Πέτασος cur dictum Ephebeum. p. 102.
Petronii Satyrici nomen confictum. p 194. Ex idiotiſmis Neapolitanis proditur fuiſſe Neapolitanus. p. 193. Ejus aetas Antoninorum temporibus ſtatuitur. p. 204. ſeqq. Urbs, in qua is coenam Trimalchionis inſtruxit, Neapolis fuiſſe oſtenditur. p. 182. ſeq. Ejus teſtimonia de Colonia Neapolitana. p. 196. ſeqq. An Herculanei meminerit. p. 188. n. 8. Ejus ſtylus floridus, ſed barbariſmis inquinatus. p. 205. n. 24. cum L. Appulejo comparandus. p. 208. Myſteriorum Chriſtianorum irriſor. p. 210. S. Juſtino martyre aliquanto junior. p. 211. ſeqq.
Φακὸς, ampulla formae lenticularis, in qua recondebantur oſſa Cumanae Sibyllae. p. 213.
Philini ſervi epitaphium. p. 167. n. 5.
Φιλοσέβαςος, καὶ Φιλορώμαιος. p. 20.
Philoſtrati plures. p. 223. n. 42. Iconographus ſpectaculo gymnico Neapol. interfuit. p. 222. Hujus aetas a Suida perperam aſſignata temporibus Philippi Imp. retrahenda ad tempora Neronis. p. 223. ſeqq.
Phratriae Neapoli, ſacrum an civile corpus. p. 144. n. 7. p. 202. Phratria Antinoiton. Ib. & p. 260. Eumelidarum. p. 150.

Pia-

Pialia. V. Ε'υσέβεια.

Pichiovi, locus prope Neapolim, unde ſic corruptus. p. 190. n. 9.

Pictura an dignitatem priſtinam amiſerit ſub Chriſtiana religione. p. 123. an ſub barbarorum incurſione. Ib. Unde ejus jacturam arceſſiverit Plinius ac Petronius. p. 124. ſeq. Ejus opus praecipuum in Nudi ſcientia verſatur. p. 126. ſeq. In Gymnaſiis facile addiſci dabatur tum ex motionibus athletarum, p. 128. tum e ſimulacris victorum palaeſtritarum. p. 129. p. 316.

Piggione vox Ital. unde fluxerit. p. 295. n. 15.

Pingere interdum pro *Sculpere*. p. 134. n. 10.

Piſtuvis nummus ſic inſcriptus ad urbem *Paeſtum* pertinet. p. 262. ea vox non primitivum urbis, ſed gentile nomen exprimit. p. 264.

Pittacium. p. 283. n. 4.

Platano a Petronio memoratus, non eſt regionis Neap. nomen. p. 190. n. 10.

Plotae ſeu Strophades, inſulae. p. 22. n. 6.

Πολίστη, cur νῆσος ab Heſychio reddatur. p. 22. n. 6.

Polla (Lucceia) aedem Cereris reſtituit Puteolis. p. 162.

Pollio, rector Aſiae. p. 84. n. 4.

Pollio, archon Tyri. p. 299. ſeqq.

Porticus Herculis, hodie *Portici*. p. 188. n. 2.

Praemia athletarum prima, ſecunda, tertia. p. 40. n. 5.

Praetores in Coloniis ac Municipiis. p. 161. n. 2. iidem ac Duum-viri. Ibid.

Primogenia, cognomen viri. p. 313.

Probatio athletarum. p. 176.

Πρόεδρος in Senatu Attico, ac Tyrio. p. 304. ſeq.

Proludia ſeu Προπεῖραι certaminum. p. 176.

Προτομαὶ. p. 243. n. 12.

Πρῶτος ἀνθρώπων, elogium athletae qui primus viciſſet. p. 36.

Prytaneum, ubi caenatio Olympionicis dabatur. p. 70. n. 23.

Ψευδοπαρηχήσεως exemplum. p. 166. n. 5.

Πτύχη involucrum Epiſtolae, & Index Navis. p. 283. n. 3.

Πτύσσω verbum Epiſtolare. p. 283. n. 3. cur a Suida reddatur *claudere*. Ibid.

Puteoli, numquam Graeca urbs. p. 184. n. 6. nummi Graeci Puteolorum commentitii. p. 187. in n. 6. antea dicta *Dicaearchia*, navale Cumanorum, non urbs fuit. p. 184. n. 6. deducta Colonia Rom. *Puteoli* tranſnominatur, & quare. Ibid. Quid *Puteoli* ſignificent. Ib. Puteoli ex Colonia reſtituuntur libertati ſuarum legum circa Syllana tempora. Ibid. Inde rurſus *Coloniae* jus ſub Nerone recepit. Ib. & ſub Flaviis Principibus dicta *Colonia Flavia Auguſta Puteoli*. p. 229. Puteolis Buthyſiae agon agitatus. p. 299. Puteoli, Emporium mercatorum Alexandriae, Syriae atque Aſiae. p. 289. Quamobrem Aſiaticae urbes terrae motu collapſae, Puteolis monumentum Tiberio earum reſtitutori, poſuerint. p. 290.

Puteolani Fratres a Paulo Apoſtolo ſalutati eccujates fuerint. p. 291. ſeq. Puteolani Stationarii. p. 289. penſionem inquilinatus urbi Puteolis pendunt. p. 294. ſeq.

Pythiades cum Olympiadum annis compoſitae. p. 58.

Q

QUinquennale certamen (Graece Πενταετηρὶς) dictum id quod abſoluto quadriennio inſtaurabatur. p. 47. n. 1. *Luſtro* Latinorum

rum reſpondet. Ib. interdum per litteram E, quinarii numeri notam, exprimebatur. Ib. & p. 80. n. 1.

R

RAna, ſymbolum nummorum Cumanorum. p. 253. Rana ſculpta in aenea palma Corinthiorum quid portenderit. p. 236. n. 5. in quibuſdam ſpiris columnarum ſculpta, artificem Batrachum ſignificabat. Ibid.

Reprobatio athletarum. p. 176.

Rhegium cur ad barbariem non defeciſſe a Strabone dicatur. p. 97. ſeq. ſupplemento accepto a Caeſare Aug. cognomen *Julii* accepit. p. 96. Rheginorum Prytaneum. p. 97.

S

SAcra certamina. V. Certamina. Salutationis Epiſtolaris ordo antiquus, quando perverti coeperit. p. 287. n. 7.

Saurus ſcalptor, vice nominis ſui ſculpſit lacertam. p. 236. n. 5.

Σκιὰς (*umbella*) quid in re tectonica. p. 103. n. 6.

Sculpturae jactura unde repetenda. V. Pictura.

Semibos vir barbatus, in nummis Aetoliae, Italiae, ac Siciliae. p. 232. non eſt Minotaurus, p. 233. neque Neptunus, p. 234. neque Hebon ſive Bacchus, Ibid. neque Genius fluviorum, p. 235. ſed ſymbolum agriculturae atque ubertatis. p. 236. ipſe eſt Achelous, in taurum humano vultu ſuperſtite transformatus. V. Achelous.

Serapion inſignis aſtrologus. p. 209.

Sibyllae carmina, altero Chriſti ſaeculo conſarcinata. p. 215. Sibyllae Cumanae ſepulcrum. p. 212. Sibylla in tumulo quieſcens, interroganti reſpondere credita. p. 215. unde ea fabula repetenda. Ib. n. 39.

Siciliae nomine pleraque pars veteris Italiae aevo medio veniebat. p. 214. n. 37.

Siglae. Littera E, cum de ludis agitur, eſt nota *quinarii* numeri, ſive ludi Quinquennalis. p. 47. n. 1. litterae KC. N. & CK. N. eamdem numerorum ſummam conficiunt. p. 293. M. Γ. Ιταλίδος. p. 154.

Signa vetera non transferenda e locis abditis. p. 131.

Similitudo pro *Imagine*. p. 28. n. 4.

Smyrna, Jonici conventus particeps. p. 74. ibi feſtum Κοινὸν Ἀσίας agitatum. p. 77.

Solis die naſci, & *Solis die judicari*, quid. p. 178. n. 14.

Stadium Gymnaſii Neapol. dictum aevo medio *Amphitheatrum*. p. 120. n. 13.

Stationes militum, mercatorum, ſacerdotum. p. 311. Stationes mercatoriae in Emporiis commercii cauſa, ſtabilitae. p. 309. erant quaedam ſimulacra coloniarum. Ibid. inde Graecis dictae κατοικίαι (*coloniae*). Ib. n. 26. Quo jure regerentur, p. 310. mercedem quamdam ratione inquilinatus pendebant, p. 310. & ad opera publica tenebantur. Ibid.

Sueſanorum nummi Latini. p. 266. Graeci ſunt ſuppoſititii. Ibid.

Sybaris. hujus vocis origo. p. 246. n. 16. poſtea dicta *Thurium*. Ibid. deducta Colonia Rom. cur *Copiae* tranſnominata. Ib. Sybaritarum nummi. p. 266.

Sylla ſcripſit leges Puteolanis. p. 169. n. 8.

Symbola in interpretatione nummorum ſunt maxime attendenda. p. 263. Symbolica ſcalpendi veterum ratio. p. 236.

Τάγ-

T

TΆγμα, ſive Claſſis athletarum p. 152. n. 8.
Tarentum cur ad barbariem non defeciſſe Straboni dicatur. p. 94. ſeqq.
Teanum Sidicinum, Oſcae originis. p. 267. Nummi Tyrrhenicae ſcripturae. p. 268. n. 47. Perperam nummi inſcripti Τηίων, Teano Sidicino adſcribuntur. p. 267. n. 46.
Τέμενος, p. 64. n. 17.
Terrae tuber. p. 193.
Tertulla Pia (Lucceia) aedem Cereris reſtituit Puteolis. p. 162.
Theatrum *tectum ac nudum* quid Statio. p. 120. n. 13.
Thermae aevo ſequiore, quae prius Gymnaſia. p. 119. Thermae Neapol. a Tito Imp. reſtitutae. p. 121.
Thermenſis regio urbis Neapolis. p. 120.
Theſauri, foveae humi depreſſae. p. 131. n. 8.
Thurium. V. Sybaris.
Τιμὴ, idem ac Titulus. p. 27. n. 2. p. 28.
Titus Imp. Agonotheta ac Gymnaſiarcha Neapoli. p. 110. an *Demarchus* quoque fuerit. Ibid. & p. 142. Gymnaſium ac Thermas reſtituit. p. 107. p. 121. Melancomam athletam amavit p. 143.
Trajanus quando *Dacici* & *Parthici* cognomen adeptus. p. 37. n. 1. Ejus Epinicia ubi celebrata. p. 54. n. 5. 6. p. 55. n. 8.
Tranſvectio athletarum. p. 144. n. 8.
Trulla, quid in re tectonica. p. 104. n. 8.
Τύχῃ ἀγαθῇ, formula contra faſcinationes. p. 18. infauſtis etiam argumentis praemiſſa. p. 19. n. 2.
Τυποῦν & χαράσσειν, quo differant. p. 53.
Tyrus, quando renuntiata Phoenices metropolis. p. 284. quo ſenſu Ναυαρχὶς dicatur. p. 285. Ejus *Archontes*. Ibid. Tyrius Senatus fere ſimilis Senatui Attico. p. 304.
Tyrii Stationarii Puteolis. p. 289. num *Duſaris* cultum invexerint Puteolos. p. 291. an fuerint congeneres cum iis, quos Paulus Ap. *Fratres* ſalutavit Puteolis. Ibid. quam *inquilinatus* mercedem Puteolanis pependerint. p. 293.
Tyrii Stationarii Romae, perperam a Scaligero *Flamines Auguſtales* reputantur. p. 310.

V

VAlerius (L. Pudens) Poëta annorum 13. coronatur. p. 49. ſeqq.
Varanus lacus, unde id nominis ſibi quaeſierit. p. 257.
Varia V. Vria.
Vectigal *decimae*, *viceſimae* manumiſſionis. p. 219.
Veſtiarius tenuiarius. p. 50. n. 2.
Vitruvius an rationes aedificandae palaeſtrae e palaeſtra Neapolitana collegerit. p. 99. ſeqq.
Vmbella, quid in re tectonica. p. 104.
Vrbes binomines, ſed quae idem per interpretationem ſignificant. p. 185. n. 6. Vrbes cognomines additamento aliquo diſtinctae. p. 263. n. 25.
Vria cur *Varia* dicta. p. 257. n. 31. Eadem ac *Iria* in Frentanis. p. 256. atque *Hyria* in Salentinis. p. 268.

X

XYſtarcha an idem, ac Gymaſiarcha. p. 116.
Xyſtus in quo conveniat cum Palaeſtra & Gymnaſio. p. 114.

S. R. M.

SIGNORE

LO Stampatore Donato Campo deſiderando dare alle ſtampe un' Opera di D. Nicola Ignarra Profeſſore Primario nella Regia Univerſità di queſta Città, intitolata *De Palaeſtra Neapolitana &c.* ricorre dalla Clemenza di V. M. per averne il permeſſo, e commetterſene la reviſione a chi meglio Le parrà. E l'avrà a grazia, *ut Deus*.

Magnif. U. J. D. D. Dominicus Mangieri in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor Primarius revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neap. 13. *April.* 1770.

NICOLAUS DE ROSA EPISC. PUTEOL. C. M.

JUſſu Tuo, Auguſtiſſime Princeps, ſedulo perlegi & ſumma cum voluptate, Opus quod inſcribitur De Palaeſtra Neapolitana, &c. *Cui quidem argumento potiſſimam praebuit cauſſam pervetuſtum litteratum marmor ex parte mutilum, paucis abhinc annis erutum in hac Regia Urbe prope Portam Nolanam, Athleticam Graecam exhibens inſcriptionem, honoris ergo poſitam in Neapolitano Gymnaſio cuidam Archibio Alexandrino eximio Athletae, qui puer, imberbis, vir a pluribus agonibus victor diſceſſerat. Ad hanc autem inſcriptionem egregie commentatus eſt Cl. Vir collega meus Nicolaus Ignarra, qui ſcite eam Latine reddidit, & quod magni moliminis eſt, mira ſagacitate ſupplevit. Plane quae habet de Palaeſtra Neapolitana, ſive qua* εἰδικὴ, *ſive qua* ὑλικὴ, *poſt Laſenam & Auliſium: de Neapoli Civitate Graeca, poſtea facta ſub Antoninis Colonia Auguſta, ubi plura de aetate Petronii non injucunda nec vulgaria: quaeque graviter ediſſerit de Gymnaſio Puteolano & Buthyſiae Agone, ſunt quidem praeſtantiſſima & omni laude digniſſima: in iis enim enucleandis Vir acerrimi ingenii ſubactique judicii omnes eruditionis & induſtriae ſuae nervos contendit: in primis vocum Latinarum Graecarumque origines ſubtiliter perveſtigans, inde rariora numiſmata, marmora, & id genus rudera undique conferens, curate etiam*

etiam temporum ratione ſubducta, ſtrenue conatus eſt, omnia ex horrida antiquitate in lucem educere clariorem. Etſi vero in his rebus ut plurimum perobſcuris & ſpinis quaqua verſus obſitis, luculenter pertractandis ab aliis praeclariſſimis rerum noſtrarum Scriptoribus nonnunquam diſſenſerit (vereor, quam in partem ipſi ſint hoc accepturi) non leves tamen habuit cauſſas, cur cum illis ſive viris, ſive imberbibus, more Athletico ſaepe ſe committeret: ſed quod mirari licet, nunquam id factum a graviſſimo Auctore, niſi cum honoris praefatione, nullo convicio. In hoc itaque praeſtantiſſimo Opere tot vigiliis elucubrato nihil prorſus reperi, Optime Rex, quod Jura Tua Suprema imminuat, vel rei Tuae ſtatum attingat, bonoſque mores inficiat: imo adeo ſunt multa, quae illud magnopere commendent, omnigena quippe eruditio, ſermonis venuſtas, & elegantia pulcherrimarum rerum & ſcitu dignarum congeries, ut ejus editionem bono publico maturandam eſſe cenſeam. Dab. Neap. Non. Septemb. CIƆIƆCCLXX.

Dominicus Mangieri.

Die 3. menſis Novembris 1770. Neapoli.

Viſo reſcripto S. R. M. de die 25. menſis Septembris currentis anni, ac relatione U. J. D. D. Dominici Mangieri de Commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris ordine Præfatæ Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris. Verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica: hoc ſuum &c.

GAETA. SALAMONE. Vidit Fiſcus Regalis Coronæ.

Illuſtr. Marchio Citus Præſ. S. R. C. & cæteri Illuſtr. Aularum Præfecti non interfuerunt.

Attanaſius

Regiſtr.
Carulli.

Adm.

Adm. Rev. Dom. D. Salvator Ruggieri S. Th. P. & Philoſophiæ Lector in Aula Archiep. revideat & in ſcriptis referat. Datum. die 4. Julii 1770.

F. X. EPISC. VENAFR. VICAR. GENER.

J. SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

GRatulandum nobis eſt V. Cl. Nicolao Ignarrae, qui in Libro, cui titulus De Palaeſtra Neapolitana &c. *cum Inſcriptionem Athleticam Neapoli erutam erudito commentario illuſtrat, non pauca, quae ſive aliorum curas effugerunt, ſive non fuerunt accurate tradita, ſatis apte enucleata proponit. Quod ſane judicium meum cum archaeologis, tum maxime rerum noſtrarum ſtudioſis probandum eſſe confido, cum in ipſorum manus Liber pervenerit; quippe iis lautiſſima penitioris doctrinae ſupellex ad patriam potiſſimum illuſtrandam mirari abunde dabitur. Auctor enim Gymnaſium urbi Neapoli adeo luculenter aſſeruit, ut Vitruvium ipſum aedificandae palaeſtrae rationes e Palaeſtra Neapolitana collegiſſe, oſtendat. Ubi vero gymnica majorum noſtrorum ſub Auguſtis certamina perſequitur, Olympiadum Neapolit. initium ſumma perſpicuitate aperit: & jus Coloniae Romanae, ingenti animorum contentione diſceptatum, a Neapolitanis quaeſitum in cauſſa fuiſſe, quamobrem apud ipſos Palaeſtra ſiluerit, ornate copioſeque contendit. Jam vero quantivis pretii eſt Divinatio (ſic eam Auctor, modeſte de ſe ſentiens, appellat) de Picturae Sculpturaeque interitu, a Palaeſtrae deſuetudine repetendo. Neque minus diligentiae nervos illum intendiſſe apparet, cum Petronii Arbitri, & Philoſtrati Iconographi aetatem inter diſſona doctorum virorum ſtudia definire allaborat. Porro praeclara ſunt ea, quae de Buthyſia Puteolanorum, & quae hanc nactus opportunitatem, de Semibove viro barbato, frequentiſſimo Italiae veteris monetarum ſymbolo, contra recentiorum ſcriptorum opinionem, diſputat. Quae quidem omnia, ne ſingula nunc recenſendo longum faciam, tanti ſunt, adeoque late patent, ut non ſolum patriarum rerum amatores, ſed & univerſi archaeologi gratias Auctori debeant. Cum autem nihil in hoc Libro occur-*

occurrat Catholicae fidei, aut Chriſtianis moribus abſonum, typis committi poſſe cenſeo, modo ſumma Eminentiae Tuae auctoritas acceſſerit. Neapoli IV. Idus Auguſti 1770.

E. T.

Addictiſs. atque Obſequentiſs.
Salvator Rogerius.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur: Datum die 11. Auguſti 1770.

F. X. EPISC. VENAFR. VICAR. GENER.

J. SPARANUS CAN. DEP.

ER.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 25. n. 11. lin. 3. περιπορεουομένους	περιπορευομένους
26. lin. 3. τίμης	τιμῆς
38. col. 2. l. 8. Elaeis	Eleis
46. l. 32. par ergo debuit	par ergo eſſe debuit
55. l. 14. Epiſt. X. 81.	Epiſt. X. 79.
57. l. 8. Epiſt. X. 125.	Epiſt. X. 119.
105. l. 28. ſuo aevi	ſui aevi
133. l. 2. habeantur	habebantur
147. n. 11. l. 2. poene	paene
149. n. 1. l. 11. anno ſuperiore	anno 1768.
152. l. 13. συτελεῖται	συντελεῖται
156. l. ult. *dele* vero.	
167. col. 2. l. 9. num. . . .	num. 13. anni 1763.
204. lin. antepen. *dele* quantum	
211. col. 2. l. 1. Ε'ν τῇ περὶ	Ε'ν τῇ Κύμῃ περὶ &c.
217. l. 23. ſeorſim	ſeorſum
281. col. 1. l. 10. αὐτοὶ	ἑαυτοῖς

Atque ea ſunt perperam edita, quae mihi, nunc aliud agenti, notanda occurrerunt. Nam a capite repetere ſcripturae lectionem, ut inde typographicas mendas, diligenter excuſſas, obelo configerem, mihi jucundum non fuit. Sed nullibi, fateor, niſi in diagrammate nummorum Acheloiorum, peccatum eſt oſcitantius. Equidem diligentiae artificis commendaram, uti ſchedas in quibus typi monetarum ſignabantur, in ordinem litterarum, ut in Commentario illuſtratae fuerant, digeſtas, in aes incideret. At quid? ſic ille mihi chartulas perturbavit, ut ignorem, an olim ventus reſponſa Sibyllae, foliis mandata, magis inordinate confuderit. Cui incommodo, ut potui, occurri. Curavi enim, ut ordinem, quo quaeque moneta locanda erat, numeri adpicti diſtinguerent. Itaque ſeries numerorum, veluti Ariadnae filum, certam viam per itinerum flexus edocebit.

ECIAL 93-B
4397